


600049017R

M. TULLII CICERONIS

PRO

SEXTO ROSCIO AMERINO

ORATIO.

RECENSUIT, EMENDAVIT,

SCRIPTURAE VARIETATEM, VETEREM SCHOLIASTAM, SELECTAS VARIORUM ANNOTATIONES SUASQUE

ADIECIT

Dr. GUILELMUS BÜCHNER,

SUPERIORUM ORDINUM IN GYMNASIO FRIDERICIANO SUERINENSI PRAECEPTOR, MAGNID. BIBLIOTHECAE SUER. PRAEFECTUS.

LIPSIAE,

SUMTU REICHENBACHIORUM FRATRUM.

MDCCCXXXV.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS

FRANCISCO SPITZNERO,

RECTORI VITEBERGENSI.

GREGORIO GUILELMO NITZSCHIO,

PROFESSORI KILIENSI.

MAURITIO HENRICO EDUARDO MEIERO,

PROFESSORI HALENSI.

PRAEFATIO.

Quum primum ad M. Tullii Ciceronis orationem, quam pro Sexto Roscio habuit Amerino, et diligentius examinandam et accuratius castigandam animum appulissem, diu multumque in eo elaboravi, ut codicum hucusque nondum collatorum copiam mihi facerem, quippe qui me eorum ope destitutum in re tam lubrica tamque difficili nihil plane posse proficere arbitrarer. Etenim viri docti, quorum in hisce rebus summa est auctoritas, hodie sic plerumque iudicant, ut neminem nisi novis instructum subsidiis ad haec studia accedere debere existiment. Quod quidem faciunt vel iccirco, ut editores, quo minus veterum scriptorum opera vagis ubique tentent coniecturis et inutilibus, prohibeant; nova iidem desiderant adiumenta, quod ex libris MStis iam collatis, quicquid

commodae investigari possit scripturae, a prioribus exhaustum esse putant interpretibus. Quorum igitur ad arbitrium quum voluissem operam accommodare meam, non sine magno meo factum est dolore, ut codicum recens collatorum frustra quaererem subsidia; itaque misi rem; conquievi. Pertractatio autem huius Orationis sedulo deinceps instituta non ita multo post me edocuit, quae et quanta ex libris iam pridem fere posthabitis ad oratoris verba afferri possent tum emendanda tum rectius interpretanda; accessit etiam illud, quod multis locis Orationem corruptam esse videbam coniecturis temere illatis. Plerique enim veterum scriptorum editores, quibus contigit codices inspicere nondum publici iuris factos, munere suo ita soliti sunt fungi, ut suis copiis plurimum esse auctoritatis summo arderent studio evincere. Quin adeo multi editoris munus sibi impositum esse opinati sunt, ubi vel fortuito in libros aliquos inciderunt nondum in lucem protractos. Quo factum est, ut reliquorum librorum vestigiis sine ulla haesitatione repudiatis summam sibi viderentur utilitatem scriptoribus attulisse et suorum librorum scripturis et sui ingenii commentis in auctorum verba illatis. Unde

perspici potest, qui factum sit, ut et antiquiores et recentiores editiones plerumque ita inter se discrepent, ut, quae vera sit et genuina scriptura, vix ac ne vix quidem accurate possit discerni. Quae quum ita sese habere intellexissem, hanc pro Sexto Roscio orationem pertractavi ita, ut librorum, quibus ante me usi sunt editores, diversas scripturas sedulo congererem easque denuo, qua fieri cumque potuit et assiduitate et intelligentia, examinarem; ex quibus eam ubique Ciceroni volui restituere, quam et plurimorum librorum auctoritate et ab ipso scriptore maxime commendari videbam. Codices recensenti mihi non licuit accurate definire, quibus prae reliquis maxima esset concedenda auctoritas; quamquam tacere nolo, Codd. Oxonienses, certe quod hanc nostram attinet orationem, multo esse praestantiores, quam haberi solent. Selectas antiquiorum editorum annotationes adieci, tum quod gratum id fore existimabam et acceptum iis, qui publicarum bibliothecarum opportunitate carentes ad eos fontes haud facile possent accedere, tum quod, ubi me dissentire ab iis oportebat, pro se quemque malebam intromittere loquentem ac tuentem sua, quam sen-

tentias eorum mea repetere argumentatione. Garatonii notas dedi omnes, quum, quanti sit huius viri facienda eruditio, vix umquam possit satis praedicari.

Haec editioni nostrae praemittere voluimus.

Scribebam Suerini
a. d. XII Kal. Iul. MDCCCXXXV.

Dr. *Büchner.*

RO

A

I O.

ARGUMENTUM P. MANUTII.

L. Chrysogonus, Sullae dictatoris libertus, Sex. Roscii Amerini interfecti bona, tamquam unius e proscriptorum numero, coemerat; cumque Roscium a Sulla proscriptum non fuisse satis exploratum haberet verereturque, ne quando filius eius, pro quo haec habita oratio est, paterna bona repeteret, induxit C. Erucium, qui eum de parricidio accusaret parricidiique caussam afferet, quod eum pater, in praedia rustica amandatum, exheredare cogitaret. Roscium Cicero defendit non minore animo, quam ingenio; libere enim in Chrysogonum, Sullae libertum valdeque gratiosum, est invectus. Calumniam autem refellit tribus argumentis, primum, quod Roscio, cur patrem odisse ac se tam nefario scelere adstringere deberet, caussae nihil esset; deinde, quod in duos potius Roscios, Capitonem et Magnum, cum quibus patri Roscio veteres inimicitiae fuerant, eius maleficii suspicio caderet; postremo, quod Chrysogonus, potentia sua fretus, Roscii patris bonis ab hasta minimo emptis omni vi atque ope contenderet, ut eius unico filio, quo incolumi patrimonium tam amplum et copiosum se posse obtinere non arbitraretur, damnato et eiecto tutius ea bona, nullo litis metu perpetuo, possideret. Absolutum esse Roscium, nemo, ut arbitror,

dubitabit, qui verba illa in Bruto [1]) legerit: *Prima caussa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non nostro digna patrocinio videretur.* Et illa lib. II. Off. [2]) *Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur; ut nos et saepe alias et adolescentes contra L. Sullae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus.* Acta caussa est L. Sulla II. Q. Metello Pio coss. Quaesitore M. Fannio, cum annos Cicero XXVII [3]) natus esset, ut Gellius Asconium secutus ostendit. [4])

1) Brut. c. 90. §. 312. 2) de Off. II, c. 14. §. 51. cf. Argum. vet. Schol. 3) cf. Annott. init. 4) De hac parricidii quaestione pluribus disserit in argumento Menardus. Ego J. Gothofredo assentior, qui ad L. ult. C. Th. ad L. Corn. de falso, tria fuisse capita existimat unius Corneliae legis, de sicariis scilicet, de parricidio, de veneficiis; qui enim in alia eunt, mihi non satisfaciunt. A sicariis potissimum denominatam eam legem, quod ea res latius pateat, facile potest existimari; unum etiam Praetorem tribus quaestionibus constitutum, quemadmodum in Roscii caussa Fannius, qui cognoscere dicitur *inter sicarios* cap. 5. Cur enim parricidii Praetor, ipso latore legis Sulla dominante, non appellatur? Certe ita debuit nominari, si divisae quaestiones illae lege fuerant tam recenti. Aliquando tamen inter plures Praetores dividi potuerunt extra ordinem, praesertim post latam legem Pompeiam, quae parricidia unice complexa est, gradusque cognationis, ad quos id crimen pertineret, accurate definivit; qui in remotiore commiserint, eos pro sicariis tantummodo haberi voluit Legeque Cornelia teneri. Instit. IV. 18. §. 6. Sed verius etiam est, Praetores, qui de sicariis cognoscerent, in magna quaestionum copia Quaesitores parricidii et veneficii saepe constituisse; quam nemo ignorat antiquam consuetudinem indiciorum. Hinc posteriores Icti et iudices et Leges ex una Cornelia plures fecerunt, veluti Pomponius L. 2. §. 32. D. de orig. iur. Nostram

etiam sententiam videtur confirmare Marcianus L. 1. D. de parricid. qui Lege Pompeia cautum dicit, ut parricida *poena ea teneatur, quae est Legis Corneliae de sicariis.* Ex quo cum illud consequitur unam de sicariis legem ad parricidas pertinuisse, tum etiam nihil a Pompeio veteri parricidarum poenae fuisse additum, de quo vide ad cap. 25 in f. Nisi mutila Marciani verba in Pandectas relata putamus atque ex cit. §. Institutionum esse supplenda; quod tamen rationes nostras infirmare non poterit. Nam qui pro *sicariis* ibi *parricidiis* ponunt, satis temere agunt. Vide Hoffmannum Hist. Jur. Tom. I. p. 112. De sicariis autem latam a Sulla fuisse legem, antequam Tullius pro Roscio caussam dixerit, probabilibus argumentis ostendit Joh. Fr. Ramos *del Manzano* in errorib. Triboniani de poena parr. init. lib. IV., etsi non omnia, quae in hanc rem attulit, mihi placent; cui fere omnes adstipulantur. Quod si ita est, et Pompeius ex d. Lege 1. nihil Sullanae poenae addidit, sequetur, neque Sullam culleo quidquam, qui solus a Tullio nominatur, addidisse; cetera proinde a Caesare, qui de parricidarum bonis quaedam graviora constituit, teste Suetonio in eius vita cap. 42. sequentibusve Imperatoribus fuisse addita; nisi auctorum veterum aevi Tulliani silentium ita contemnamus, ut omnes L. 9. D. eod. et d. §. Inst. descriptas poenas *more maiorum* iam pridem receptas existimemus. Qua in re an aliquid ex Plutarchi Graccho, ubi C. Villii supplicium narrat, confici possit, aliis expendendum relinquo. Tam densa huic historiae particulae offusa caligo est, ut nihil iudicare satius mihi videatur. *Garaton.*

ARGUMENTUM VETERIS SCHOLIASTAE.

Sex. Roscius Amerinus locuples fuit. Hic quum haberet Roscius filium rigidioris naturae in paternis [1]) praediis commorantem [2]) et haberet duos inimicos municipes suos, Roscium Magnum et Capitonem, hic [3]) Sulla dominante et iam [4]) proscriptione finita ad balneas Pallacine [5]) rediens a coena occisus est. De morte eius primus nuntiavit Ameriam Glaucia quidam, Rosciorum cliens. Delatum est ad Sullam nomen: occisi bona venierunt, empta a Chrysogono, Sullae liberto,

1) Inepte d. *paternis* pro *suis*. 2) *Commemorantem* Graev. Verb. 3) *Capitonem, Sulla* Sch. Or. 4) *et iam* coni. Sch. — Rec. Or. *etiam* Gron. Gr. Verb. 5) *Pallacine* Gron. *Pallatinas* Verb. *Pallacinere* Gr. ,,Facillimum est emendare *ad balneas Palatinas*, ut fecit Verburgius. Sed quid est, quod hic idem Anonymus ex huius orationis deperdita particula haec affert verba *in vico Pallacine?* Locum esse ait, ubi coenaverat Roscius. Huius vici neque in illa percelebri Gruteriana inscriptione p. CCL neque apud Rufum mentio ulla est; imo sex tantummodo videntur in ea regione vici fuisse, quorum omnium nomina, nec in his *Pallacine*, cognoscimus. An hoc fuit post Ciceronem nomen immutatum? Est tamen Christianus apud Reinesium XX. 146. Saeculi IV lapis, in quo lector quidam nominatur *de Pallacine*. Videtur hic vicus exstitisse; fortasse in hoc etiam argumento atque hoc ipso loco memorabatur; quod tamen ita mutilum maleque habitum est, ut ab affirmando atque ab emendando deterreat.“ *Garaton.*

in societate cum Rosciis possideri [1]) coepta sunt, filio expulso. Amerini [2]) legatos ad Sullam miserunt, qui dicerent, bona Roscii non debuisse venire [3]) obreptumque ipsi esse, quum esset Roscius iniuriam passus. Inducti a Chrysogono sunt, promittente emptionem remissurum [4]). Interim Sex. Roscius adolescens parricidii accusatus est ab Erucio quodam ex novis accusatoribus et absolutus. — Duplicis coniecturae caussam dispositione naturali persequitur [5]); nam dum [6]) defendit filium, regerit crimen in Roscios, comparando personas, caussas ceteraque, quae aut oriuntur ex illis aut illa [7]) referuntur. Et tuetur reum, ut intellegi facile sit, accusatori supposito periclitandum (esse) multum [8]). Itaque circa Erucium terrorem calumniae movet [9]) urbanissimis salibus. Insignis actio [10]) libertate patroni [11]), quam evitari [12]) non potuisse publicis temporibus apparet, Sulla dominante. Placet igitur Ciceroni excursus ille iuvenilis de suppliciis parricidarum, ad annos suos, ad existimationem tam floride [13]) partes inter medias huius orationis positus [14]). Status

1) *possideri* Or. *possidere* Gr. Verb. 2) *filio expulso. Amerini* de coni. J. F. Gron. Rec. Verb. Sch. Or. — *filio expulso Amerino. Leg.* Gr. 3) *venire* Gron. Verb. Sch. Or. *veniri* Gr. 4) Scr. *remissum iri* aut *se remissurum*. 5) Vulg. *prosequitur*. 6) Vulg. *quum*. 7) f. *ad illa referuntur*. Graev. Rec. Verb. Sch. Or. — Debebat *ad illas* emendare. Aut retine *illa* cf. Plaut: Most. III, 3, v. 27. Tacit. Agric. XXVIII. 3. Hist. III, 8. aut repone *illac*. 8) Vulg. *accusatore supposito periclitantem. Multum itaque*. 9) Vulg. *movens*. 10) *actio*. „Hic in MS verba quaedam intercidisse videntur.“ Sch. 11) *patroni* coni. Sch. Vulg. *patrono*. 12) Aut accipiendum *evitari* pro *exstingui*, uti docet Ennianum illud apud Cic. de Orat. III, c. 38. §. 217, aut leg. *evirari*. 13) *floride* Gr. Verb. — *floridae* Or. 14) *ad existimationem, tum floride partes intermedias haec oratio ponitur*. Sch. — *ad existimationem tam floridae partis. Inter medias haec oratio ponitur*.

coniectura [1]); transfusio per ἀντικατηγορίαν [2]). „Non ego feci parricidium, sed vos." — Genus caussae admirabile. Nata primo [3]) admirabilitas ex adverso tempore, ex potentia Sullana, ex magnitudine parricidii. —

Recordabatur scil. Scholiastes Oratoris §. 107. *Tam floridae* partis est ῥήσεως οὕτως ἀνθηρᾶς, quo significatu v. *pars* apud rhetores usurpabatur. Tum: *inter medias haec oratio ponitur*, id est, neque praestantissimis adnumeratur neque inter minus illustres, veluti pro Quintio, Tullio, Roscio Comoedo cet. refertur." *Orell.* — Vulg. *haec oratio ponitur.*

1) *coniectura* Or. — *coniecturae*, Gr. Verb. 2) Sic de J. F. Gron. coni. — *antikathropeian* Gron. Gr. — *antikategoriam* Verb. 3) F. *primum admirabilitas ex adv. temp.*, *ex pot. Sullana*, *tum ex magn. parric*,

ORATIO

PRO

SEXTO ROSCIO AMERINO.

I. 1. Credo ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, quum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is qui [a]) neque aetate neque ingenio neque auctoritate sim cum his [b]), qui sedeant, comparandus. Omnes enim [c]) hi, quos videtis adesse, in hac caussa [d]) iniuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi; defendere ipsi [e]) propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adsint propterea, quod officium se-

a) *is qui* codd. Parr. duo. Lamb. Lall. — Vulg. *is* om. — b) *his* Pal. Nieb. cod. Par. 1. Ju. Crat. L. Or. St. — *iis* codd. multi. Graev. Ern. Oliv. B. M. c) *enim* om. Vet. Schol. Pal. N. prob. Nieb. d) *adesse*, *in hac caussa iniur.* distinxit Heus. prob. Sch. — Vulg. *adesse in hac caussa*, *iniur.* — e) *defendere autem ipsi* Pal. N. prob. Nieb.

quuntur; taceant autem iccirco, quia periculum metuunt [a]). 2. Quid ergo? [b]) audacissimus ego ex omnibus? Minime. An [c]) tanto officiosior quam ceteri? Ne istius quidem laudis ita sim [d]) cupidus, ut aliis eam praereptam velim. Quae me [e]) igitur res praeter ceteros impulit, ut caussam Sex. Roscii reciperem? quia, si qui [f]) istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo, si verbum de re publica fecisset, id quod in hac caussa fieri [g]) necesse est, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur; 3. ego etiam [h]) si omnia, quae dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit; deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi propter aetatem et prudentiam; ego si quid liberius [i]) dixero, vel occultum esse, propterea quod nondum ad rem publicam accessi, vel ignosci adolescentiae meae [k]) poterit, tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam [l])

a) *vitant* Pal. N. prob. Nieb. *timent seu metuunt* Ox. T. b) *quid? ego* Vet. Schol. *quid? ergo* Sch. c) *an* Vet. Sch. *aut* cod. Jannoct. *at* vulg. d) *sim* Pal. N. prob. Nieb. vulg. *sum.* — *sum* om. Ox. *χ*. e) *mihi* Ox. C. f) *si qui* Pal. N. vulg. *quis.* g) *fieri* del. cens. Guilielm. h) *ego autem si omnia* Pal. N. prob. Nieb. i) *libere* cod. Ox. *χ*. Ed. Oliv. k) *meae* om. Pal. N. prob. Nieb. l) *verum et* vid. not. ad h. l.

cognoscendi consuetudo iam de civitate sublata est. 4. Accedit illa quoque [a]) caussa, quod a ceteris forsitan ita petitum sit [b]), ut dicerent, ut utrumvis salvo officio se facere [c]) posse arbitrarentur; a me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia et beneficiis et dignitate plurimum possunt, quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare nec auctoritatem aspernari nec voluntatem negligere debeam [d]).

II. 5. His de caussis ego huic caussae patronus exstiti, non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo [e]) periculo possem [f]) dicere, neque uti satis firmo praesidio defensus Sex. Roscius, verum uti ne omnino desertus esset [g]). Forsitan quaeratis [h]), qui iste terror [i]) sit et quae tanta formido, quae tot ac tales [k]) viros impediat, quo minus pro capite et fortunis alterius, quemadmodum consuerunt [l]), caussam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum est propterea, quod consulto ab accusatoribus eius rei, quae conflavit hoc iudicium, mentio facta non est.

a) *quoque* om. Vet. Schol. b) *est* Ox. χ. c) *facere se* edd. princc. ap. Nieb. d) *debebam* coni. Ern. pr. W. Sch. e) *omnino* Ox. χ. f) *possim* Pal. N. *posse* Ox. χ. g) *esset* om. Ox. χ. h) *quaeretis* Ox. χ. i) *error* Ox. χ. k) *talis* Oxonn. C. H. l) *consueverunt* Ven. Ju. Crat. L. Oliv. *consueverint* Ox. T.

6. Quae res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagies [a]), quae [b]) de viro fortissimo et clarissimo, L. Sulla, quem honoris caussa nomino, duobus millibus nummum [c]) sese [d]) dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus. Is a vobis, iudices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam atque praeclaram nullo iure invaserit quoniamque ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare atque officere videatur, deleatis [e]) ex animo suo suspicionem omnem metumque tollatis; sese hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere; damnato et eiecto [f]) sperat [g]) se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit [h]), ut evellatis [i]), postulat, ut [k]) ad hanc suam praedam tam nefariam adiutores vos profiteamini. 7. Si vo-

a) *sexagies* (sed in m. *sexaginta*) Ox. R. *sexagesies* Ox. T. b) *quae* del. censet W. c) *nummis* Ox. T. d) *nummum sese* Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. edd. Rom. Venn. (1480 et 1483) Ju. Crat. L. B. Sch. M. Or. St. — *se* Graev. Verb. Ern. e) *deleatisque* Ox. χ. f) *obiecto* Ox. T. g) *spes est* Codd. duo. *speret* Oxonn. R. S. χ. h) *stimulet ac pungat* coni. Ern. recc. B. W. Sch. — repp. Oliv. M. Or. St. i) *avellatis* cod. Guelph. k) *et* coni. Hotom. recc. L. Manut.

bis aequa et honesta postulatio videtur, iudices, ego contra brevem postulationem affero et (quomodo mihi persuadeo) aliquanto aequiorem.

III. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat, deinde a vobis, iudices, ut audacium [a]) sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis et in caussa Sex. Roscii periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis. 8. Quod si aut caussa criminis aut facti suspicio aut quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen [b]) in deferendo nomine sequuti [c]), postremo si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud caussae inveneritis, non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscii vita dedatur; sin aliud agitur nihil, nisi ut iis [d]) ne quid desit, quibus satis nihil est, si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam praeclaramque praedam damnatio Sex. Roscii velut cumulus accedat, nonne quum multa indigna tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias [e])

a) *audacissimo* ed. Ven. 1480. b) *ut nihil tamen in defendendo* Ox. χ. *tum* pro *tamen* Ox. R. Ju. *nonnihil in deferendo* cod. Pal. tert. *quam rem videantur illi tamen sequuti* coni. Passerat. prob. Lamb. c) *Sexti Roscii* Ox. C. d) *his* Ju. Lamb. e) *sententiam* Ox. χ.

iusque iurandum id assequantur [a]) quod antea ipsi scelere et ferro assequi consuerant [b])? Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem, ab his hoc postulare homines sicarios atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam ut spoliis Sexti Roscii [c]) hoc iudicio [d]) ornati auctique discedant [e])?

IV. 9. His de rebus tantis tamque atrocibus neque satis me commode dicere neque satis graviter conqueri neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit, et vestra dignitas et vis adversariorum et Sex. Roscii pericula. Quapropter vos oro atque obsecro, iudices, ut attente bonaque cum venia verba mea audiatis. 10. Fide sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis [f]), feram, ut potero, studio et in-

a) *assequatur* Ox. χ. b) *consuerant* coni. Ernest. rec. M. — Vulg. *consuerunt. consueverunt* ed. Venet. prob. Facciol. c) *Roscii* om. codd. Pall. S. Vict. ed. Gruter. d) *ex hoc iudicio* coni. Ern. repp. editt. e) *descendant* Ox. χ. f) *alleviabitis* Ox. χ.

dustria, iudices. Sin a vobis, id quod non spero, deserar, tamen animo non deficiam et id, quod suscepi, quoad potero, perferam. Quod si [a]) perferre non potero, opprimi [b]) me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abiicere aut propter infirmitatem animi deponere. 11. Te quoque maximo opere [c]), M. Fanni, quaeso, ut qualem te iam antea populo Romano praebuisti, quum huic eidem [d]) quaestioni iudex praeesses, talem te et nobis et populo Romano [e]) hoc tempore impertias [f]).

V. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc iudicium, vides; quae sit omnium mortalium exspectatio, quae cupiditas, ut acria [g]) ac severa iudicia fiant, intelligis. Longo intervallo [h]) iudicium inter sicarios hoc primum committitur, quum interea caedes indignissimae maximaeque factae sint [i]). Omnes hanc quaestionem te praetore de [k]) manifestis malefi-

a) *Et quod si* ed. Neap. repp. editt. b) *potius opprimi* Ox. H. c) *maximo opere* Vet. Schol. probb. Gar. B. recc. W. M. Or. vulg. *magnopere*. Quod sequitur M. om. Vet. Schol. d) *eidem* Ox. T. aliique. ed. Neap. probb. Hotom. Lamb. Urs. Gr. Heus. vulg. *idem*. e) *et rei publicae* cod. Jannoct. probb. Gar. W. Fort. *talem te nobis P R* i. e. praetorem. f) *impartias* Oxonn. C. H. T. g) *acria* om. Ox. χ. h) *Longo item intervallo* Vet. Schol. i) *sunt* Oxonn. H. T. k) *de* om. Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Pall. edd. Rom. Ven.

ciis quotidianoque sanguine haud [a]) remissius [b]) sperant futuram [c]). **12.** Qua vociferatione in ceteris iudiciis accusatores [d]) uti consueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui caussam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, iudices, ut quam acerrime [e]) maleficia vindicetis, ut quam fortissime hominibus audacissimis resistatis, ut hoc cogitetis, nisi in hac caussa, qui vester animus sit, ostendetis [f]), eo prorumpere [g]) hominum cupiditatem et scelus et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint. **13.** Etenim quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi ut id [h]) fieri

a) *haud* om. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Pall. Franc. prim. edd. Rom. Ven. *aut* edd. nonn. teste Lamb. b) *dimissius* Ox. C. *demissius* Oxonn. H. R. S. χ. *demissus* Ox. T. Eadem varietas in codd. Pall. *demissm* Parr. 1. 4. 7. et S. Vict. (teste Steinm. *demissivi*, si fides Grut.) [*remissuis* Ox. ψ.?] c) *futurum* coni. Hotom. probb. Sch. M. *de manif. maleficiis ante admissis quotidianoque sanguine sperant futuram* coni. Lamb. ed. 1566. *quotidianoque sanguini haud remissiorem sper. futuram* coni. Gar. *de manif. malef. quot. que sanguine dimissorum sper. futuram* idem Gar., quam coni. deleta *de* praep. rec. Steinm. prob. Orell. ad Vet. Schol. p. 427. d) *accusatore* Ox. χ. e) *acerrima* Ox. χ. f) *ostenderitis* coni. Ern. recc. B. M. Or. St. *ostendatis* coni. B. Matthaei. g) *prorumpe* Ox. χ. h) *id* om. Ox. χ.

liceat? Accusant ii, qui in fortunas huius invaserunt, caussam dicit is, cui[a]) praeter calamitatem nihil reliquerunt; accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit, caussam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem; accusant ii, qui hunc ipsum iugulare summe cupierunt, caussam dicit is, qui etiam ad[b]) hoc ipsum iudicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur; denique accusant ii, quos populus poscit, caussam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria caede restat. 14. Atque ut facilius intelligere possitis, iudices[c]), ea, quae facta sunt, indigniora esse, quam haec sunt, quae dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus, quo facilius et huius hominis innocentissimi miserias et illorum audaciam cognoscere possitis et rei publicae calamitatem.

VI. 15. Sex. Roscius, pater huiusce, municeps Amerinus[d]) fuit, quum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Sci-

a) *cuius* Ox. χ. b) *ab* Ox. χ. c) *iudices* om. Ox. C. *iudices, ea — possitis* om. Ox. χ. d) *Amerinus* om. Ox. C. (sed *Ameriae* scribitur supra lineam a manu recentiore.)

pionibus erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo, quas, ut aequum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit. Nam patrimonium domestici praedones vi ereptum possident, fama et vita [a]) innocentis ab hospitibus amicisque [b]) paternis defenditur. 16. Hic [c]) quum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, quum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret [d]), praeter ceteros in ea vicinitate [e]) eam partem caussamque opera, studio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Posteaquam victoria constituta est ab armisque recessimus, quum proscriberentur homines atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, erat ille Romae frequens atque [f]) in foro et in ore omnium quotidie versabatur, magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. 17. Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria

a) *iura* Ox. χ. b) *ab hostibus inimicisque* Ox. χ. prob. Matthaei. c) *hic enim* Ox. χ. d) *venisse* Ox. χ. e) *civitate* Ox. χ. f) *atque* om. Oxonn. C. H. S.

huiusce praedia possidere audio. Quas inimicitias si tam cavere [a]) potuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque enim, iudices, iniuria metuebat. Nam duo isti sunt T. Roscii [b]) — quorum alteri Capitoni cognomen est, iste, qui adest, Magnus vocatur — homines eiusmodi [c]): alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur; hic autem nuper se ad eum lanistam contulit; qui [d]) antea in [e]) pugna tiro esset, quod sciam [f]), facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.

VII. 18. Nam quum hic [g]) Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem [h]) iste Roscius Romae, quum hic [i]) filius assiduus in praediis esset quumque se voluntate patris rei familiari vitaeque rusticae dedisset, iste autem frequens Romae esset, occiditur ad balneas Palatinas [k])

a) *prohibere* Cur. Fortunatianus. b) *Tit Rosci* Ox. C. *toti Roscii* Ox. χ. c) *huiusmodi* coni. Reisig. d) Vulg. *qui, quum* edd. Rom. Herv. L. Gr. Verb. Ern. B. M. Or. — Om. *quum* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. ψ, Parr. 1. 4. 8. 9. cod. S. Victor. Pall. ed. St. e) *antea in* Vet. Schol. *ante hanc* codd. et edd. deinde *pugna* dedimus ex coni. *pugnam* codd., etiam Vet. Schol., vett. edd. f) *quod sciam* Oxonn. C. H. χ Parr. 1. 4. 8. 9. Codd. Pall. S. Victor. edd. Rom. Herv. Steinm. *quod scientia* codd. Oxonn. R. T. ψ. — Vulg. *esset scientia* Lamb. Gr. Verb. B. M. Or. — Fort. *quod sciā, jā facile.* g) *hic* om. ed. Ven. 1480. h) *alter* Ox. H. ed. Ven. 1480. i) *quum hic — Romae* suspecta Facciolato. k) *Pallatinas* Ox. C. *Pallacinas* Oxonn. H. χ.

rediens a coena Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat; verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem culpae iudicatote. 19. Occiso Sex. Roscio primus Ameriam [a]) nuntiat Manlius [b]) Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris istius T. Roscii, et nuntiat [c]) domum non filii, sed T. Capitonis, inimici; et quum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis [d]) pervolavit, non modo ut exoptatum inimico nuntium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quam recentissimum telumque paullo ante e corpore extractum ostenderet. 20. Quatriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullae Volaterrana [e]) defertur, magnitudo pecuniae demonstratur, bonitas praediorum (nam fundos decem et tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt),

a) *Ameriae* Ox. H. *Amerinus* Ox. T. b) *Manlius Glaucia* Oxonn. H. S. χ. ψ. Pall. duo. edd. Ven. Ju. Lamb. — Vulg. *Mallius*. c) *nuntiam* Ox. χ. d) *cissis* cum asterisco Ox. H. *cissis* Vet. Schol. Oxonn. R. S. T. χ. ψ. *sissis* cum asterisco supra lineam et in marg. cod. unus (Ox. C. ?). e) *Volaterrana* Vet. Schol. probb. Garat. Orell. Vulg. *Volaterras*.

huius inopia et solitudo commemoratur; demonstrant, quum pater huiusce, Sex. Roscius, homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominem incautum et rusticum [a]) et Romae ignotum de medio tolli posse; ad eam rem operam suam pollicentur. Ne [b]) diutius [c]) teneam, iudices, societas coitur [d]).

VIII. 21. Quum iam proscriptionis mentio nulla fieret et [e]) quum etiam, qui antea metuerant, redirent [f]) ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur [g]), hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus; tria praedia vel nobilissima Capitoni propria [h]) traduntur, quae hodie possidet; in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine [i]) Chrysogoni,

a) *incautum et rus et Romae* Oxonn. H. S. Pal. prim. et S. Victor. *incautum et rure et Romae* Ox. χ. edd. Ven. Ju. *incautum et rusticum et rure et Romae* vet. ed. b) *Et ne* Ox. χ. c) *diutius teneam* codd. Oxonn. C. H. R. S. χ. Pall. et S. Victor. ed. Ven. — Vulg. *diutius vos teneam.* d) *cogitur* ed. W. At vide not. Steinm. e) *et* om. Ox. χ. Par. 1. Diomed. I, p. 384. Charis. III, p. 235. Steinm. f) *sederent* Charis. g) Post *arbitrarentur* ex Sos. Charis. et Diomed. ll. ll. primus inseruit Graevius haec: *nomen refertur in tabulas Sexti Roscii,* quod Grammaticorum supplementum recepp. editt. omnes, praeter Oliv. *in tabulas refertur nomen Sexti Roscii* coni. W. h) *praemia* cod. Jannoct. ed. Ju. prob. Garat. i) *nomini* Ox. χ.

quemadmodum ipse dicit, impetum facit. Haec bona [a]) sexagies [b]) HS. emuntur duobus millibus nummum. Haec omnia [c]), iudices, imprudente L. Sulla facta esse certe [d]) scio. 22. Neque enim mirum, quum eodem tempore et [e]) ea, quae praeterita sunt [f]), et ea, quae videntur instare, praeparet [g]), quum et pacis constituendae rationem et belli gerendi potestatem solus habeat, quum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet, quum tot tantisque negotiis distentus [h]) sit, ut respirare libere non possit, si aliquid non animadvertat [i]), quum praesertim tam multi occupationem eius observent tempusque aucupentur, ut, simul atque ille despexerit [k]), aliquid huiuscemodi moliantur. Huc accedit, quod, quamvis ille felix sit, sicut [l]) est, tamen in [m]) tanta

a) *Haec bona-nummum* om. Ox. T. b) *Haec bona emuntur sextertiorum duob. m. n.* Oxonn. C. H. S. R. *sestertiorum* Ox. χ. edd. vett. c) *omina* Ox. T. d) *certo* cod. Guelph. codd. ap. Gruter. edd. Ald. Manut. Ern. M. Or. St. — *certe* codd. ed. Oliv. Beck. e) *et* om. Ox. R. f) *sunt* om. Ox. χ. Post *sunt* addi voluit Hotom. *reputet*, Renat. Boëmoraeus *constituat*. Lamb. ex uno cod. rec. *reparet*. g) *praepararet* cod. Guelph. *per se curet* coni. Withof. h) *distinctus* Ox. ψ. i) *animadverterat* Ox χ. Verba *si-animadvertat* nobis suspecta. k) *respexerit* codd. Jannoct. *simul atque alio respexerit* coni. Renat. Boëmoraeus. l) *ut est* Lamb. m) *in* de Lamb. sententia om. Ald. Manut. Sch. [legitur *in* ap. Lamb. ed. 1566.]

felicitate nemo potest esse [a]), in magna [b]) familia qui [c]) neminem neque servum neque libertum [d]) improbum habeat. 23. Interea iste [e]) T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit, in praedia huius invasit [f]), hunc miserum, luctu perditum [g]), qui nondum etiam paterno [h]) funeri iusta solvisset, nudum eiecit [i]); domo atque focis patriis diisque penatibus praecipitem Sextum [k]), iudices, exturbat [l]); ipse amplissimae pecuniae fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena [m]). Multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio removebat, non pauca suis adiutoribus large effuseque donabat, reliqua constituta auctione [n]) vendebat.

a) Sic primus interpunxit Ernest. probb. B. Sch. M. Or. St. — Edd. vett. etiam Oliv. *potest esse in magna familia, qui.* b) *tanta* Ox. χ. c) *quin* Oxonn. H. S. d) *liberum* Ox. χ. e) *iste* om. Ox. T. f) *invadit* codd. et edd. g) *praeditum* Oxonn. χ. ψ. h) Vulg. *etiam omnia paterno.* Om. *omnia* codd. multi; edd. Crat. L. Sch. — Praebent codd. Pall. duo, S. Vict. edd. Ven. Iu. Grut. — Ex codd. Oxonn. nihil annotatum est. *Omnia paterna* codd. nonn. *nondum etiam paterna iura* codd. vid. Beck. *nondum etiam esset omnia paterna* ed. 1472. Vid. Varr. Lectt. ap. Graev. i) *eiecit* codd. Oxonn. C. R. S. ψ. Ed. Ven. 1480. Vulg. *eiicit.* k) *praecipitem Sextum* codd. Oxonn. C. H. S. ψ. Ed. Ven. 1480 (Oxonn H. S. *Sixtum*) — Vulg. om. *Sextum.* l) *turbat* Ox. C. m) *alienam* Oxonn. C. H. R. T. χ. ψ. n) *actione* Ox. χ.

IX. 24. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur: mors hominis florentissimi Sex. Roscii crudelissima, filii autem eius egestas indignissima, cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium [a]) reliquisset; bonorum emptio [b]) flagitiosa, malitiosa [c]) possessio, furta, rapinae, donationes [d]). Nemo erat, qui non ardere [e]) omnia [f]) mallet, quam videre in Sex. Roscii, viri optimi atque honestissimi, bonis iactantem [g]) se [h]) ac dominantem T. Roscium. 25. Itaque decurionum decretum statim fit, ut decem primi proficiscantur ad L. Sullam doceantque eum, qui vir Sex. Roscius fuerit; conquerantur de istorum scelere et iniuriis; orent, ut et [i]) illius mortui famam et filii innocentis fortunas conservatas velit. Atque

a) *patruum* Ox. T. b) *bonorum emptio, flagitiosa possessio* Codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Pall. Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. 1566. *emptio flagitiosa*, *flagitiosa poss.* ex cod. Memm. dedit Lambin. — recc. editt. omnes. c) Sic dedim. de coni. — Vulg. *flagitiosa.* d) *donationes* om. Oxonn. H. S. e) *audere* coni. Scheller. f) *ardere illa omnia* Rufinian. de Fig. c. 36. prob. Garat. g) *iacientem* Ox. C. h) *iactantem se* cod. Guelph. Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. Neap. Ern. Oliv. B. M. Or. St., etiam codd. Oxonn., quum ex iis nihil sit annotatum. — *Se* om. codd. Pall. aliique. — i) *et* om. Ox. χ.

ipsum decretum, quaeso, cognoscite. *Decretum decurionum* a). Legati in castra veniunt. Intelligitur, iudices, id b) quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla scelera haec et flagitia fieri. Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit et c) homines nobiles allegat d) iis, qui peterent, ne ad Sullam adirent, et omnia Chrysogonum, quae vellent e), esse facturum pollicerentur. 26. Usque adeo autem ille pertimuerat, ut mori f) mallet, quam de g) his rebus Sullam doceri. Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, quum ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de tabulis exemturum, praedia vacua filio traditurum, quumque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis h) erat, appromitteret, crediderunt, Ameriam re inorata i) reverterunt k). Ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti [coeperunt] l); deinde ali-

a) *Decret. decur.* om. Ox. C. b) *ut* Oxonn. C. H. T. *vel* Ox. χ. c) *ad* Ox. ψ. d) *allegat iis* codd. fere omnes. — *allegabat* cod. unus ap. Lamb., unde reponi voluit *allegat*, *ab iis qui* probb. Graev. Gar. Weisk. *a legatis iis*, *qui* Ju. (vid. Orell. — teste Beck. ed. Junt. verba *allegat iis* omisit). *iis* del. censet Ern., delevit Sch. e) *vellet* Ox. χ. f) *omnia mallet* coni. Ant. Augustin. g) *quam se de* Ox. χ. h) *legatus* Ox. χ. ed. Oliv. i) *morata* Ox. ψ. k) *revertunt* Oxonn. H. S. l) *coeperunt* del. cens. W. — Nos [ ] inclusimus. Pro *isti* Grut. Graev. Ern. *illi*.

quantulum tum [a]) nihil agere atque deludere; postremo, id quod facile intellectum est, insidias vitae huiusce Sex. Roscii parare neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam [b]) domino [c]) incolumi obtinere.

X. 27. Quod hic [d]) simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit et sese ad Caeciliam, Nepotis sororem [e]), quam honoris caussa nomino, contulit, qua pater usus erat plurimum; in qua muliere, iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimaverunt, quasi exempli caussa vestigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela et minas, recepit domum [f]) hospitique [g]) oppresso iam desperatoque ab omnibus opitulata est. Eius virtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. 28. Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri neque sibi ullam caedis faciundae [h]) potestatem dari, consilium ceperunt plenum

a) *aliquanto lentius* codd. et editt. vett. b) *pecuniam* omis. Graev. c) *dominio* Ox. χ. d) *hic* codd. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. ed. Rom. Steinm. — Vulg. *is*. e) *Nepotis sororem* de coni. Passerat. — recc. W. M. — *Caeciliam, Balearici filiam, Nep. sororem* coni. Hotom. Vulg. *Nepotis filiam;* delevit Sch. f) *domi* Oxonn. H. S. g) *hospitioque* Oxonn. χ. ψ. h) *faciendae* Ed. Oliv.

sceleris et audaciae, ut nomen huius de parricidio [a]) deferrent, ut [b]) ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset [c]) dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio, denique ut, quoniam [d]) crimine non poterant, tempore ipso pugnarent [e]). Ita loqui homines: quod iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum [f]) oportere, qui primus [g]) in iudicium adductus esset; huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos; de bonorum [h]) venditione et de ista societate verbum esse facturum neminem; ipso nomine parricidii et atrocitate criminis fore, ut hic nullo negotio tolleretur, quum ab nullo defensus esset. 29. Hoc consilio atque adeo hac amentia impulsi [i]), quem ipsi, quum cuperent, non potuerunt occidere [k]), eum iugulandum vobis tradiderunt.

XI. Quid primum querar? Aut unde potissimum, iudices [l]), ordiar? [m]) Aut quod [n]) aut a [o]) quibus auxilium petam? Deorumne

a) *patricidio* Lamb. b) *et* Ox. C. c) *possit* Oxonn. C. H. (sed supra lineam cod. C. scribitur *e* et in margine ponitur asteriscus). d) *quo* Ox. C. e) *tempore ipsum oppugnarent.* coni. Hotom. f) *cum eum* Ox. χ. g) *primum* Ox. χ. h) *horum* Ox. χ. i) *depulsi* Ox. χ. k) *occidere* in cod. Guelph. a manu est sec. et in margine l) *iudices* om. Ox. H. *exordiar, iudices?* Edd. Ven. Crat. L. m) *exordiar* codd. Oxonn. H. R. S. χ. Edd. Ven. Crat. L. n) *aut quod* om. Sch. o) *a* om. Ox. χ.

immortalium? [a]) Populine Romani? vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? 30. Pater occisus nefarie, domus obsessa ab inimicis, bona adempta [b]), possessa [c]), direpta; filii vita infesta, saepe ferro [d]) atque insidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? [e]) Tamen haec aliis nefariis [f]) cumulant atque adaugent; crimen incredibile confingunt, testes in hunc et accusatores huiusce pecunia comparant, hanc conditionem misero ferunt, ut optet [g]), utrum malit cervices [h]) Roscio dare, an insutus in culeum [i]) per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt; desunt. Qui [k]) libere dicat [l]), qui

a) *mortalium* Ox. C. b) *adempta* del. cens. Ant. Augustin. *empta* coni. Pantag. c) *bona adempta*, *possessio direpta* Ed. Ven. 1480. Ju. prob. Passerat. d) *infesta saepe ferro*, *atque* interpungi voluit Lamb. sed tamen non ita dedit in Ed. 1566. e) *videatur* Ox. χ. f) *nefariis* om. Sch. g) *optetur* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Ed. Venet. *ut optet* susp. Gruter. h) *cervicem* Ox. χ. i) *culleum* Lamb. Graev. Ern. Verb. al. — *culeum* Oliv. cett. *culeum supplicium parricidarum* cod. Franc. prim. *culeum supplicium parric.* Oxonn. χ. ψ. Parr. 1. 4. Crat. Graev. *culeum supplicio parricidarum* Parr. 8. 9. al. Edd. Rom. Ven. Ju. prob. Grut. *suppl. parr.* del. cens. Hotom. Expunxx. Lamb. Ern. B. Or. St. k) *desunt*, *qui* Oxonn. χ. ψ. l) *dicant* Oxonn. C. R. T. χ. ψ.

va- -cat

cum fide defendat a), id quod in hac caussa est b) satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices. 31. Et forsitan in suscipienda caussa temere impulsus adolescentia fecerim; quoniam quidem semel suscepi, licet hercules c) undique d) omnes e) minae f), terrores periculaque impendeant g) omnia h), succurram atque subibo. Certum est deliberatumque, quae ad caussam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter i) libereque dicere. Nulla res tanta k)

a) *defendant* Oxonn. C. R. T. χ. b) *est* om. Oxonn. H. T. χ. Sequentia *quoniam quidem suscepi* de Heus. sententia delevv. Sch. M. Uncis incl. Orell. — Retinuit St. c) *hercule* Ox. χ. d) *undique* om. Ox. R. e) *omnes* om. Ox. T. cod. Franc. prim. Ed. 1472. f) *minae* Ox. χ. Pall. duo, etiam Edd. Naug. Lamb. 1566, ubi tamen *minae* post *terrores* collocatum est. Quae collocatio num eadem sit in codd. Pall., ignoro. Vulg. *omnes in me terrores.* g) *impendeant* Oxonn. R. S. ψ. Ed. Ven. 1480. Lamb. Ern. Oliv. B. M. Or. St. al. *impendant* Oxonn. H. T. χ. cod. Franc. prim. (at vid. Or.). Ed. 1472. Naug. R. Steph. *impediant* Ox. C. h) *impendant*, *omnia succ. atq. subibo* cod. Franc. prim. ed. 1472. *licet hercules undique in me terrores periculaque impendant*, *succurram atque omnia subibo.* coni. Graev. — *undique omnes minae*, *terrores pers impendeant omnia*, s. de Garat. sent. dedimus. i) *audaciter* Lamb. ed. 1566. k) *tamen?* vid. varr. Lectt. ap. Graev. — Beck. haec annotavit: pro *tamen* in duob. Pall. *tanta.* Fort. sic voluit scribere: pro *tanta* in duob. Pall. *tamen.*

exsistat[a]), iudices, ut possit vim mihi maiorem adhibere metus quam fides. 32. Etenim quis tam dissoluto animo est, qui haec[b]) quum videat, tacere ac negligere possit? Patrem meum, quum proscriptus non esset, iugulastis, occisum in proscriptorum numerum[c]) retulistis, me domo mea per vim expulistis, patrimonium meum possidetis. — Quid vultis amplius? etiamne ad subsellia cum ferro atque[d]) telis venistis, ut hic aut iuguletis aut condemnetis Sex. Roscium?[e])

XII. 33. Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate, C. Fimbriam, et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is quum curasset in funere C. Marii, ut Q. Scaevola vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostrae[f]) civitatis (de cuius laude neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus Romanus

a) *exsistat* Oxonn. C. R. T. χ. ψ. Parr. 1. 4. Edd. Ald. Crat. Lamb. Ern. B. St. *exsistet* Pal. Octav. Franc. prim. Guelph. a. m. s. Par. 7. Ed. Neap. Gr. Sch. W. M. Or. *exsistit* Oxonn. H. S. Pal. prim. Parr. 8. 9. Edd. Rom. Ven. Ju. b) *hoc* Ox. T. c) *numero* Ox. χ. d) *et cum telis* coni. Heus. rec. Sch. e) *Sex. Roscium* absunt ab Lamb. Ed. 1584 cum nota in margine: „alii libri — *cond. Sex. Roscium.* mendose.“ — Leguntur in Ed. 1566. — *ut hic aut iug.* — — *Roscium?* susp. Sch. f) *suae* Ox. χ.

memoria retinet a)), diem Scaevolae dixit, posteaquam comperit, eum posse vivere. Quum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset b), aiunt, hominem, ut erat furiosus c), respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. Quo d) populus Romanus nihil vidit indignius, nisi eiusdem viri mortem, quae tantum potuit, ut omnes occisus e) perdiderit f) et afflixerit; quos quia g) servare h) per compositionem i) volebat, ipse ab iis interemtus est. 34. Estne hoc illi dicto atque k) facto Fimbriae non l) simillimum? Accusatis Sex.

a) *tenet* vet. cod. Fulv. Ursin. b) *possit* ed. Weisk. c) *furiosum* Ox. χ. d) Verba *quo populus — interemptus est* loco suo mota esse censet Ern. eaque post *retinet* sic vult restitui: *qui nihil vidit indignius* etc. — *Quo — interemptus est* Sch. [ ] inclus. e) *occisus* ex codd. Parr. 1. 4. primus dedit Steinm. Vulg. *cives suos*; verum tamen *suos* om. Oxonn. H. R. S. ψ. Parr. 8. 9. 7. Franc. prim. — uncis incl. *Suos* Sch. pro *cives suos* coni. Hotom. *eius conscios*. f) fort. *perculerit*. verba *quae tantum — afflixerit* susp. Heus. g) *qui quos* coni. Ursin. Fort. transponenda verba *quia*, *quos*. h) *conservare* Oxonn. C. H. S. i) *positionem* Ox. C. k) *aut* Ox. χ. l) *Fimbriano simillimum* de Renat. Boëmor. coni. dedit Lamb. in Ed. 1584. Ipse in Ed. 1566. *Fimbriae non sim.* Confirmare videtur eam coni. Rufinian. de fig. c. 23. *Fimbriano n simill.* at vid. annot. ad h. l. *Fimbriano sim.* prob. Ruhnk. Recepp. M. Or. Rep. St.

Roscium. Quid ita? quia de manibus vestris effugit, quia se occidi passus non est [a]). Illud quia in Scaevola factum est, magis indignum videtur hoc, quia fit a Chrysogono? [b]) non [c]) est ferendum. Nam per deos immortales! quid est in hac caussa, quod defensionis indigeat? Qui locus ingenium patroni requirit aut oratoris eloquentiam magno opere desiderat? Totam caussam, iudices, explicemus atque ante oculos expositam [d]) consideremus. Ita facillime, quae res totum iudicium contineat et quibus de [e]) rebus nos dicere oporteat et quid vos sequi [f]) conveniat, intelligetis.

XIII. 35. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quae obstent [g]) hoc tempore Sex. Roscio: crimen adversariorum et audacia et potentia. Criminis confictionem [h]) accusator Erucius suscepit; audaciae partes Roscii sibi poposcerunt; Chrysogonus autem, is qui plurimum potest, potentia pugnat. 36. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intel-

a) *esset* Ox. C. b) *magis indignum videtur; hoc, quia fit a Chrys., non est ferendum* Codd. et Edd. vett. c) *num* de Hotom. coni. Edd. Grut. Ern. Sch. W. M. *Illud — est, indignum videtur; hoc, quia f. a. Chr. num magis est ferendum?* coni. Sch. d) *positam* Ox. χ. Paullo supra *orationis eloquentiam* Ern. Beck. Or. — male. e) *de* om. Oxonn. C. χ. f) *consequi* Ox. χ. g) *obstant* Ox. χ. Parr. 8, 7. prob. W. h) *confectionem* Ox. χ.

Ego. Quid igitur est?[a]) num[b]) eodem[c]) modo de omnibus? Ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet, duas autem reliquas vobis populus Romanus imposuit[d]), ego crimen oportet diluam, vos et audaciae resistere et hominum eiusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exstinguere atque opprimere debetis.

37. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales! ac nefarium facinus atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa[e]) esse videantur. Etenim si, id quod praeclare a sapientibus dicitur, vultu saepe laeditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana cogebant? 38. In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro exstitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur, quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne et audaciam eius, qui in crimen vocetur[f]), singularem ostendere et mores feros

a) *est* om. Ox. χ. *quid igitur est* aut post *pugnat* aut post *imposuit* transponi voluerunt Hotom. Passer. prob. Ern. b) *num* cod. Guelph. *nonne* Ox. H. Vulg. *non*. c) *non eodem tamen* Sch. d) Vulg. *imposuit. Ego*. e) *amplexa* Ox. χ. f) *vocatur* Ox. C.

immanemque naturam et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? Quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obiiciendi quidem caussa, contulisti.

XIV. 39. Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adolescentulus corruptus et ab hominibus nequam inductus? [a]) Annos natus maior [b]) quadraginta; vetus [c]) videlicet sicarius, homo audax et saepe in caede versatus. At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem [d]) nimirum [e]) et aeris alieni magnitudo et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? [f]) De luxuria purgavit Erucius, quum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse [g]) in eo, qui, ut ipse accusator obiecit [h]), ruri semper habitarit et in agro colendo vixerit? quae vita maxime disiuncta a [i]) cupiditate est [k]) et cum officio coniun-

a) *iudicatus* Oxonn. H. S. b) *major* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Pall. 3. 8. S. Victor. Ursin. Guelph. Edd. Rom. Ju. W. St. *magis* cod. Pal. prim. Crat. Lamb. Gr. Ern. B. *annis maior quadraginta* de Graevii sent. recc. Ma. Or. c) *Anetus* Ox. χ. d) *hominum* Ox. H. e) Fort. *nimia.* f) Vulg. *impulerunt.* g) *esse* om. Ox. χ. h) *obicit* Ox. C. i) *a* om. Oxonn. H. R. S. T. χ. ψ. Guelph. Edd. vett. k) *cupiditate est*

cta [a]). 40. Quae [b]) res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? [c]) Quam ob caussam? [d]) Necesse est enim, eam quoque [e]) iustam et magnam et perspicuam fuisse. Nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis et maximis caussis, sic [f]) hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine caussis multis et magnis et necessariis. 41. Rursus igitur eodem revertamur et quaeramus, quae tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine caussa, quem procrearat? [g]) At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud iam perspicuum profecto est, si neque amens pater neque perditus [h]) filius fuerit [i]), neque odii caussam patri neque sceleris filio fuisse.

XV. 42. Nescio, inquit, quae caussa odii fuerit; fuisse odium intelligo, quia [k]) antea, quum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse,

Oxonn. H. R. Cod. Guelph. a. m. s. codd. Hotomani. L. M. Or. *est* om. codd. cett. et edd., etiam St.

a) *cum officio coniuncta* om. Ox. C. *coniuncta* om. Oxonn. T. χ. b) *quae quare* Ox. C. c) *patri non placebat?* om. Ox. ψ. d) *quam ob rem?* Ox. χ. e) *quo* Ox. χ. f) *si hoc* Ox. χ. g) Vulg. *procrearat*. h) *perfidus* Oxonn. H. S. i) *fuit* Ox. ψ. k) *qui antea* Lamb.

hunc in praedia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usu venit [a]) in caussa optima. Ille, quomodo crimen commenticium confirmaret, non inveniebat; ego res tam leves qua ratione infirmem ac [b]) diluam, reperire non possum. 43. Quid ais, Eruci? tot praedia, tam pulcra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo [c]) relegationis ac supplicii gratia colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? Patresfamiliae [d]), qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis ex [e]) municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere? 44. An amandarat hunc sic, ut esset in agro ac tantummodo aleretur ad villam? ut [f]) commodis omnibus careret? Quid? si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis patre vivo frui solitum esse? Tamenne haec attenta [g]) vita et rusticana relegatio at-

a) *usu evenit* Ox. χ. *usu mihi venit.* Edd. Ven. 1480, Ju. *usuvenit* Ed. Oliv. b) *confirmem aut* Ox. ψ. (sed in margine *infirmem).* c) *suo* om. Ox. H. *filio suo* om. Oxonn. C. S. d) *patresfamiliae* Oxonn. C. H. R. S. Parr. 4. 1. 8. 9. Pall. S. Victor. Ed. Rom. St. *patrisfamiliae* Ox. χ. Vulg. *patresfamilias.* e) *et* Ox. χ. f) *et commodis* coni. Hotom. In seqq. pro *Quid? si constat* Vet. Schol. *quod si constat.* g) *haec attente* codd. Oxonn. C. H. R. S. χ. Parr. 4. 1. Cod.

que amandatio appellabitur? a) Vides, Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa atque a veritate. Quod consuetudine patres faciunt, id quasi novum reprehendis b); quod benevolentia fit, id odio factum criminaris c); quod honoris caussa pater filio suo concessit, id eum supplicii caussa fecisse dicis. 45. Neque haec tu non intelligis, sed usque eo, quid d) arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam contraque consuetudinem hominum contraque opiniones omnium.

XVI. At e) enim, quum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Quaeso, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias; non enim exprobrandi caussa, sed commonendi f) gratia dicam. 46. Si g) tibi fortuna non dedit, ut patre certo h) nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset, at natura certe dedit, ut humanitatis non parum

S. Victor. *hoc attente* Ox. T. *haec a te vita* cod. Par. 9. Edd. Rom. Ven. Ju. *haec a te attenta vita* coni. Garat. *arta vita* coni. Amicus quidam Ursini.

a) *appellabatur* Ox. R. b) *reprehendis?* Ox. ψ. c) *criminaris?* Ox. ψ. d) *quod* Ox. R. Edd. Lamb. Ern. B. *quid* Cett. e) *ait* Ox. C. f) *commovendi* Oxonn. χ. ψ. g) *Etenim si tibi* Vet. Schol. h) *certo patre* Sch., quo versus hexam. evitaretur: *non dedit, ut patre certo.*

haberes. Eo accessit studium doctrinae, ut ne a litteris quidem alienus esses. Ecquid[a]) tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum [b]), filium rusticum, quam illum alterum, Chaerestratum? (nam, ut opinor, hoc nomine est;) alterum in urbe secum honoris [c]) caussa habere? alterum rus supplicii caussa relegasse? Quid ad istas ineptias abis? inquies[d]). 47. Quasi vero mihi [e]) difficile sit quamvis multos nominatim proferre [f]), ne longius abeam [g]), vel tribules [h]) vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos [i]) esse cupiunt. Verum homines notos sumere odiosum est, quum et illud incertum sit, velintne hi sese nominari, et nemo vobis magis notus futurus sit [k]), quam est hic Eutychus [l]), et certe ad rem nihil intersit, utrum hunc [m]) ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente [n]) nominem. Etenim haec conficta arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis

a) *quid* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. ψ. b) *Euthicum* Ox. C. In seqq. pro *Chaerestratum* cod. Ox. χ. *terrestrarum*. c) *honori* Ox. C. d) *inquies* om. Ox. χ. e) *nihil* Ox. ψ. f) *proferre possim* codd. Oxonn. H. S. χ. ψ. g) *ob eam* Ox. χ. h) *tribulis* Oxonn. C. H. i) *continuos* Ox. χ. k) *sit* om. Ox. H. l) *Euthicus* Ox. C. m) *hunc* om. Oxonn. C. H. S. n) *venientem* codd. Oxonn. C. χ. ψ.

expressamque imaginem nostrae [a]) vitae quotidianae videremus [b]). 48. Age nunc [c]), refer [d]) animum, sis [e]), ad veritatem et considera, non modo in Umbria atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis quae studia a patribusfamilias [f]) maxime laudentur. Iam [g]) profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae dedisse.

XVII. At [h]) non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos et [i]) ego novi et, nisi me fallit animus, unusquisque [k]) vestrum, qui et ipsi incensi sunt studio, quod [l]) ad agrum colendum attinet, vitamque hanc [m]) rusticam, quam tu probro et crimini putas esse oportere, et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur. 49. Quid censes hunc ipsum [n]) Sex. Roscium quo studio et qua intelligentia esse in rusticis rebus? Ut ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non [o]) tu in isto artificio accusatorio

a) *nostram* codd. Oxonn. C S. T. χ. Edd. Ven. Ju. Crat. al. b) *viderimus* Oxonn. C. S. *videamus* Edd. Ven. 1480. Ju. c) *Age, nunc ref.* dist. Sch. d) *refer ad anim.* Vet. Sch. e) *Si ad verit.* Ox. χ. f) *patribus familiis* codd. Oxonn. C. T. χ. cf. Priscian. VI, p. 679. Sos. Charis. p. 82 et 83. g) *eam* Ox. ψ. h) *ac* coni Heus. Recc. Sch. M. i) *ut ego* Ox. C. k) *quisque* cod Ox. χ. l) *quo ad* Oxonn. C. χ. ψ. m) *vitamque hanc* om. Ox. χ. n) *istum* Ox. χ. o) *audio? num* Ox. ψ.

callidior es [a]), quam hic in suo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliviscatur et studium deponat, licebit [b]). Quod [c]) tametsi miserum et indignum est, feret [d]) tamen aequo animo, iudices, si per vos vitam et famam potest [e]) obtinere; hoc vero est, quod ferri [f]) non [g]) potest, si et in hanc calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem, et, quod ea studiose coluit [h]), id erit ei maxime fraudi, ut parum miseriae sit, quod aliis coluit, non sibi, nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.

XVIII. 50. Nae tu, Eruci, accusator esses [i]) ridiculus, si illis temporibus natus esses, quum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Etenim qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum iudicares. At hercule maiores nostri longe aliter et de illo et de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex

a) *es* om. Vet. Schol. b) *libere licebit* Ox. T. Ed. Ven. 1480. prob. Garat. c) *quoniam* Ox. χ. d) *ferret* Oxonn. C. H. χ. e) *poterit* Lamb. f) *ferre* coni. Claud. Putean. prob. Lamb. g) *nullo modo* Vet. Schol. h) *colunt* Ox. χ. i) *es* Ox. χ.

minima tenuissimaque re publica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant; quibus rebus et agris et urbibus et nationibus rem publicam atque hoc imperium et a) populi Romani nomen auxerunt. 51. Neque ego haec eo profero, quo b) conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus, sed ut illud intelligas c), quum apud maiores nostros d) summi viri clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula rei publicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumpserunt e), ignosci oportere ei homini, qui se fateatur f) esse rusticum, quum g) ruri h) assiduus i) vixerit k), quum praesertim

a) *etiam pop. Rom.* Ed. Venet. b) *quod* Lamb. c) *intelligas* codd. Oxonn. C. H. S. ψ. Edd. Ven. Ju. prob. Garat. *intelligant* Ox. χ. — Vulg. *intelligatur.* Paullo supra pro *neque ego haec eo profero, quo* Vet. Schol. haec praebet: *Neque haec profero, quae.* d) *nostros* om. Ox. χ. e) *consumpserunt* Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Vulg. *consumpserint.* f) *fatetur* Ox. χ. g) *qui ruri* cod. Jannoct. probb. Ursin. Jacciol. Ern. — Recc. B. M. — *qui quum rure* ed. Ju. *quod ruri* coni. Sch. — *quum ruri* Or. St. h) *rari* Ox. C. *rure* Cod. S. Victor. Edd. Ju. Lamb. i) *assiduos* cod. S. Victor. *assiduis* Ox. C. *assiduo* (id quod voluit Guil. de coni.) Ox. χ. *assiduus* susp. Beckio. k) Vulg. *semper vixerit;* — *semper* om. Ed. Ju. susp. Ern. — nos eiecimus. *semper assiduus* Ed. Crat.

nihil esset, quod aut patri gratius aut sibi iucundius aut re vera honestius facere posset. 52. Odium igitur acerrimum patris in filium ex [a]) hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc [b]) ruri esse patiebatur. Numquid est aliud? Immo vero, inquit, est [c]); nam istum [d]) exheredare [e]) in animo habebat. Audio; nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. Nam illa [f]), opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta: „Convivia cum patre non inibat." Quippe qui [g]) ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. „Domum suam istum non fere quisquam vocabat." Nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset [h]).

XIX. Verum haec quoque tu [i]) intelligis esse nugatoria. Illud, quod coepimus [k]),

a) *ex* om. Ox. χ. b) *hunc* om. Ox. χ. c) *est aliud* Ox. T. d) *istud* Ox. T. e) *heredare* Ox. χ. f) *illam* Ox. χ. g) *qui* om. Ox. χ. Infra pro *perraro* Oxonn. C. H. S. *raro.* h) *revocaturus esset* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. codd. Pall. cod. vet. Fulv. Ursin. Edd. Ven. 1480. Ju. Grut. Gr. Ern. B. M. Or. St. — *rure vocaturus* Ox. R. Edd. Crat. Cam. — *evocaturus* coni. Hotom. — *quem neque in urbe videret neque rure vocaturus esset* coni. Manut. rec. Lamb. 1566. — *quem — viseret* etc. al. vid. Varr. Lectt. ap. Graev. — *rus vocaturus* coni. Anonym. vid. Orell. — Fort. *revocare rus posset.* i) *tu quoque* Edd. Ju. Heus. W. M. Or. — *quoque tu* recte St. k) *incepimus* Ox. T. — pro *videamus* Ox. χ. *iudicamus.*

videamus, quo certius argumentum odii reperiri nullo modo potest. Exheredare pater filium cogitabat. 53. Mitto quaerere, qua de caussa; quaero, qui [a]) scias [b]), tametsi te dicere atque enumerare caussas omnes oportebat, et [c]) id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia atque peccata filii, quibus incensus pater [d]) potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum [e]) eiiceret ex animo, ut denique patrem esse sese [f]) oblivisceretur; quae sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror. 54. Verum concedo tibi, ut ea praetereas, quae, quum taces, nulla esse concedis. Illum quidem voluisse [g]) exheredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Vere nihil potes [h]) dicere. Finge aliquid [i]) saltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunis et horum virorum talium [k]) dignitati illudere. — Exheredare [l]) filium voluit. — Quam ob caussam? — Nescio. — Exheredavitne? — Non. — Quis prohibuit? —

a) *quid* Oxonn. C. ψ. b) *scis?* Ox. χ. c) *et* om. Ox. C. d) *pater* Oxonn. C. H. S. T. Edd. Steph. Ven. 1480. Ju. Lamb. Vulg. *parens*. e) *in suum* Ox. χ. f) *patrem se esse* Sch. g) *noluisse* Ox. χ. h) *potes se dicere* cod. S. Victor. i) *aliud* Ox. H. k) *talium* om. Ox. C. l) *exhaeredari* Ox. C.

Cogitabat. — Cogitabat? [a]) Cui dixit? — Nemini. — Quid est aliud iudicio ac legibus ac maiestate vestra abuti ad quaestum atque ad [b]) libidinem, nisi hoc modo accusare atque id obiicere, quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem? 55. Nemo nostrum est, Eruci, quin [c]) sciat, tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse; vident omnes, qua de caussa huc [d]) inimicus venias; sciunt, huiusce pecunia te adductum esse [e]). Quid ergo est? ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem et legem Remmiam [f]) putares aliquid valere oportere.

XX. Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia; verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. Innocens est quispiam. Verumtamen [g]) quamquam abest a culpa,

a) *cogitabat?* om. Ox. T. Edd. Naug. al. b) *ad* om. Ox. χ. c) *quid* Ox. χ. d) *huc* Oxonn. C. T. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Ed. Rom. — Rec. St. Vulg. *huic.* e) Verba *vident* — *adductum esse* om. Ox. χ. f) *Remmiam* Vet. Schol. cod. Guelph. a. m. pr. Ed. Ven. — Gr. Ern. B. M. Or. St. *Remiam* Oxonn. S. T. codd. Ant. August. *Reminiam* (sed punctis subscr. et a manu recent. *Memiam)* Ox. C. (?) — *Memiam* Ox. R. *Herenniam*, *Rei miam*, *Reumiam* codd. Pall. *legem renuas* Ed. 1472. *Memmiam* coni. Hotom. primus dedit Manut. Recc. Crat. Naug. Lamb. g) *verum* coni. Sch.

suspicione tamen non caret. Tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere. Quum enim aliquid habeat, quod possit [a]) criminose ac suspiciose dicere, aperte ludificari et caluminari sciens non videatur. 56. Quare facile omnes patimur, esse quam plurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolvi potest, nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Utilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem caussam non dicere. Anseribus cibaria publice locantur et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. At fures internoscere non possunt. Significant tamen, si qui noctu [b]) in Capitolium venerint et, quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt [c]), tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, quum deos salutatum aliqui venerint [d]), opinor, iis crura suffringantur [e]), quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. 57. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alii canes, qui et latrare et mordere possunt. Ci-

a) *possim* Oxonn. H. S. χ. *possum* Ox. R. b) *noctu* om. Ox. χ. c) *sint* Oxonn. C. H. S. d) *veniunt* Ox. χ. e) *ii cruci suffigantur* coni. Claud. Putean. vid. §. 57.

baria vobis praeberi [a]) videmus, vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur; hoc populo gratissimum est. Deinde, si voletis [b]), etiam tum, quum verisimile erit [c]) aliquem [d]) commisisse [e]), in suspicione latratote [f]); id quoque concedi potest. Sin autem sic [g]) agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis, crura quidem vobis nemo suffringet [h]), sed si ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam Kalendas omnes [i]) oderitis, ita vehementer ad caput affigent [k]), ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.

a) *praebere* Oxonn. H. S. χ. *praeferri* Ox. R. b) *voltis* Ox. χ. c) *est* Ox. χ. d) *aliquid aliquem commisisse* coni. Hotom. e) *commisisse. In* Ox. χ. f) *latro te id* Ox. χ. g) *hoc* Ox. χ. h) *cruci quidem vos nemo suffiget* coni. Putean. i) *Kalendas omnes* ex verissima coni. dedit *Steph.* probb. Pigh. Voss. Garat.; eamque confirmat scriptura codd. Parr. 4. 1. Ox. C. *Calomnis* i. e. *Kal. omnis* (*es*). Recc. Sch. W. M. Or. St. — *Calumniis* codd. Oxonn. H. T. R. S. χ. Pall. 3. 8. cod. Franc. prim. codd. Hotom. Edd. 1472. Ven. 1480. — *calonius* Ox. ψ. *ut etiam eas omnes* cod. Pal. prim. Edd. Crat. Grut. Graev. Ern. prob. Wernsdorf. *ut etiam calumnias* codd. pauci. Ed. Ju. *ut etiam alias omnes* de Hotom. coni. dedit Lamb. *ut etiam* [*eas*] *omnes* coni. Beck. — et *eas* et *omnes* del. cons. Ern. k) *affingent* Ox. C. Ed. Med. — *affingent?* Ox. T. *affinget*

XXI. 58. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? [a]) — Ne exheredaretur, veritus est. — Audio. Sed qua de caussa vereri debuerit, nemo dicit. — Habebat [b]) pater in animo. — Planum fac. Nihil est, non, quicum deliberarit [c]), quem certiorem fecerit, unde istud vobis [d]) suspicari in mentem venerit. Quum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis [e]): ego quid acceperim, scio, quid dicam, nescio? unum illud spectavi, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum, de bonorum emptione deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet? Haec te opinio falsa in istam fraudem impulit. Non mehercule [f]) verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. 59. Operae pretium erat [g]), si animadvertistis, iudices, negligentiam eius in accusando considerare. Credo, quum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse [h]), num ille aut ille defensurus esset;

Ox. χ. *affingent* Ox. R. *affringent* Ed. 1472. *affligent* coni. Ern.

a) *supplicandum* Ox. χ. b) *habeat* Ox. χ. c) *deliberaverit* Ox. C. *deliberavit* Oxonn. H. R. S. χ. d) *nobis* Ox. χ. e) *dici* Ox. C. f) *mehercules* Oxonn. C. H. R. S. g) *est* Ox. χ. h) *quaesissent* Oxonn. C. S. T. χ.

de me ne suspicatum quidem esse [a]), quod antea caussam publicam nullam dixerim. Posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent, ita negligens esse coepit, ut, quum in mentem veniret ei, resideret, deinde spatiaretur, nonnumquam etiam puerum vocaret, credo, cui [b]) coenam imperaret, prorsus ut [c]) vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur.

XXII. 60. Peroravit aliquando, assedit; surrexi ego. Respirare visus est, quod non alius potius diceret. Coepi dicere. Usque eo [d]) animadverti, iudices, eum iocari atque alias res agere, ante quam Chrysogonum nominavi; quem simul atque attigi [e]), statim homo se erexit. Mirari visus est. Intellexi, quid eum pupugisset [f]). Iterum ac tertio nominavi. Postea homines cursare ultro et [g]) citro non destiterunt; credo, qui Chrysogono nuntiarent [h]), esse aliquem in civitate [i]), qui contra voluntatem eius dicere auderet; aliter

a) *suspicatum quidem esse* Oxonn. C. H. R. S. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. Ju. — *esset* Ox. T. — Vulg. *esse* om. b) *ut cui* coni. Ern. c) *prorsus: et* Ox. χ. d) *eo* uncis incl. Ern. — Fort. *usque eum anim., iudices, tum iocari* etc. e) *simulat attingi* Ox. χ. f) *pepugisset* Ox. C. codd. Lamb. *pepigisset* Edd. 1472. 1480. g) *ultro* [*et*] *citro* de Beieri coni. dedit Orell. — *ultro citroque* Prisc. ed. P. p. 1011. h) *nuntiaret* Ox. χ. i) *in civitatem* Cod. S. Victor.

caussam agi, atque ille existimaret; aperiri bonorum emptionem, vexari pessime societatem, gratiam potentiamque eius negligi, iudices diligenter attendere, populo rem indignam videri. 61. Quae quoniam te fefellerunt, Eruci, quoniamque [a]) vides versa esse omnia, caussam pro Sex. Roscio, si non commode, at libere dici, quem dedi putabas, defendi [intelligis] [b]), quos [c]) tradituros sperabas, [vides] [d]) iudicare: restitue nobis aliquando veterem tuam illam [e]) calliditatem atque prudentiam; confitere [f]) huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum. De parricidio caussa dicitur; ratio ab accusatore reddita non est, quam ob caussam patrem filius occiderit. 62. Quod g) in minimis noxiis [h]) et in his levioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope quotidiana sunt, maxime [i]) et primum quaeritur, quae caussa maleficii fuerit, id Erucius in parricidio [k]) quaeri non putat oportere [l]). In quo scelere,

a) *quoniam* Ox. C. b) *intelligis* de Ern. sent. uncis incl. c) *quod* Ox. χ. d) *vides* de Ern. sent. uncis incl. e) *illam* om. Ox. χ. f) *confitere te huc* de Hotom. coni. Lamb. g) Fort. *Quid?* h) *noxiis* Oxonn. χ. ψ. Parr. 4. 1. 9. Edd. Rom. Ven. Gr. Ern. B. M. Or. St. *noxis* Oxonn. C. H. T. R. S. Parr. 8. 7. Edd. Crat. Naug. L. Sch. i) *id maxime* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Fort. *quod maxime.* k) *mallio* Ox. T. l) Fort. *oportere?*

iudices, etiam quum multae caussae convenisse [a]) unum in locum atque inter se congruere videntur [b]), tamen non temere creditur neque levi coniectura res penditur neque testis incertus auditur neque accusatoris ingenio res iudicatur. Quum multa antea commissa maleficia, quum [c]) vita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur necesse est, neque audacia solum, sed summus furor atque amentia. Haec quum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris vestigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. Quae nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. 63. Magna est enim vis humanitatis, multum valet communio [d]) sanguinis, reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura, portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum [e]) immanitate bestias vicerit, ut, propter quos [f]) hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime [g]) luce privarit, quum etiam feras inter sese partus atque [h]) educatio et natura ipsa conciliet.

a) *convenissent* Oxonn. H. χ. b) *viderentur* Ox. H. c) *quum* Oxonn. C. H. S. T. χ. Vulg. *tum*. d) *commutuo* Ox. χ. e) *qui tanto immanitate* al. cf. Varr. Lectt. ap. Graev. *tanta* Beck. f) *per quos* Quidam ap. Lambin. g) *dignissime* Ox. χ. h) *atque* om. Oxonn. C. H. S.

XXIII. 64. Non ita [a]) multis ante annis, aiunt, T. Cloelium [b]) quemdam Tarracinensem [c]), hominem non obscurum, quum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus [d]) filiis isset, inventum esse mane iugulatum. Quum neque servus quisquam reperiebatur [e]) neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id aetatis autem duo filii propter cubantes [f]) ne sensisse quidem se dicerent, nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid? poterat sane ita esse, suspiciosum autem; neutrumne sensisse? [g]) ausum

a) *ita* om. Ox. χ. b) *Clodium* Oxonn. C. R. T. χ. *Claedium* Ox. S. c) *Terracinensem* Vet. Schol. Oxonn. R. T. Parr. 4. 1. 7. — At vid. Cluv. H. A. c. 6. d) *adolescentulis* Ox. χ. e) *reperiebatur* Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Ed. Rom. — St. — Vulg. *repperiretur*. f) *prope cubantes* Ox. χ. g) Sic dedimus de coniect. — Vulg. *Quid postea? erat sane suspiciosum: neutrum sensisse?* de Manut. coni. (in Ed. Aldin.) Lamb. Graev. Verb. Ern. Oliv. B. M. etiam Or. verum tamen is cum Ju. Heus. Sch. Scheller. (cf. Obss. p. 43) interrogationis signa post *sensisse* et *possent* omisit. — *Quid poterat satis esse suspiciosum autem neutrumne sensisse* Ox. C. *Quid poterat satis est suspiciosum autem ne sensisse* Ox. H. *Quid poterat sane suspiciosum autem neutrum ne sensisse* Ox. R. *Quid poterat satis est suspiciosum autem neutrum ne sensisse* Oxonn. S. ψ. *Quod poterat sane suspiciosum aut neutrum ne sensisse* Ox. T. *Quid poterat sane? suspitiosum autem neutrum ne sensisse.* Ox. χ. — *Quid poterat sa .... est suspi-*

autem esse quemquam se in id conclave committere eo potissimum tempore, quum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent? [a]) 65. Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen [b]) quum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, quum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset [c]), propterea quod, qui [d]) tantum facinus commiserunt, non modo sine

ciosum autem neutrumne sensisse codd. Parr. 4. 1. et ita dedit St. — *Quod poterat satis esse suspiciosum* cod. Guelph. *Quid poterat enim tam suspiciosum esse, aut neutrum sensisse aut ausum* cod. Ursin. prim. *Quod poterat satis esse suspiciosum aut neutrum s.* cod. Ursin. secund. — *Quid poterat satis iam est suspiciosum neutrum ne sensisse* Ed. Rom. et Br. *Quid poterat satis iam esse suspiciosum, aut neutrum ne sensisse, ausum autem* Ed. Ven. *Quod poterat satis iam esse suspiciosum, neutrum sensisse* Ed. Ju. *Quod poterat sane esse suspiciosum. Neutrum sensisse? Ausum autem* Naug. Victor. *Quid poterat? sane suspiciosum: neutrumne sensisse* Crat. Herv. Quid poterat sane tam esse *suspiciosum? Neutrumne sensisse?* suspic. Garat. *Quid? poterat sane esse suspiciosum* coni. Ern.

a) *possent* Ju. H. Sch. Or. b) *Tum* Ox. T. *Et tamen* Lamb. c) *posset* de Ern. sent. Sch. W. d) *qui* om. Ox. χ.

cura quiescere, sed ne spirare [a]) quidem sine [b]) metu possunt [c]).

XXIV. 66. Videtisne, quos [d]) nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi caussa supplicium de matre sumpsisse, quum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur [e]), tamen [f]) ut eos agitent furiae neque consistere usquam [g]) patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, iudices; magnam vim [h]), magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis; ex quo si qua macula concepta [i]) est, non modo lini [k]) non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. 67. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agi-

a) *Sed ne respirare quidem metu possit* Ed. Ven. 1480, unde Garat. coni. *Sed ne respirare quidem metu possunt* vel *possint*. b) *sine* om. Ed. Ven. 1480. c) *possint* Oxonn. C. H. S. Ed. Ju. — B. Sch. M. Or. — *Possunt* Cett. d) *videtisne eos* Vet. Schol. *videtisne, quod* Oxonn. C. H. S. e) *dicuntur* Ox. χ. f) *tam* Ox. χ g) *umquam* Oxonn. C. χ. h) *magnam vim* Om. Ox. H i) *concepta* om. Ox. χ. k) *lini* dedimus de coni. — *leni* Ox. S. Ed. Ven. *leui* Ox. χ. Parr. 4. 1. *lavi* Pal. prim. Crat. *leniri* Oxonn. C. H. R. T. ψ. Cod. Guelph. Ed. Ju. *eliniri* coni. Schell. — Vulg. *elui* primus dedit de coni. Victor. Cett.

tari et perterreri Furiarum [a]) taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus error [b]) maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit, suae malae cogitationes [c]) conscientiaeque [d]) animi terrent; hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant [e]). 68. Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit, nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitiis vita inquinata [f]), nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternae [g]) metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem; paene [h]) dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant oportet, si tantum facinus, tam immane, tam [i]) acerbum credituri sunt [k]).

a) *Furiarum* om. Ox. χ. b) *error* de Heus. coni. *et terror suus* Edd. 1472. Ju. — *et error suus* coni. Klein. Vulg. *et suus terror*. c) *cogitationesque animi* Ox. χ. d) *amentiaeque* Oxonn. C. H. S. *amentiae* Ox. ψ e) *repetunt* coni. Sch. f) *coinquinata* Ox. χ. g) *paterni* Ox. χ. h) *rem pone* Ox. χ. *rem: pene* Ed. Oxon. i) *tum* Ox. χ. k) *credituri sunt* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. Or. St. *credituri sint* Cett.

69. Quare hoc quo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si convincitur, vindicandum [a]).

XXV. Itaque quum multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re vel maxime, quod in [b]) impios singulare supplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentia praestiterint [c]) iis, qui apud ceteros sapientissimi [d]) fuisse dicuntur, considerate. 70. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est [e]), fuisse traditur; eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. Is quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere [f]) videretur. Quanto maiores nostri sapientius! Qui quum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas sin-

a) *iudicandum* Ox. χ. b) *in* om. Ox. χ. c) *praestiterunt* Ox. χ. *praestiterint his* Vet. Schol. d) *sapientissimi* om. Ox. χ. e) *esset* Ox. χ. f) *admovere* Ox. χ.

gulare excogitaverunt, ut, quos natura ipsa [a]) retinere in officio non potuisset [b]), ii [c]) magnitudine poenae maleficio summoverentur [d]). Insui voluerunt in culeum [e]) vivos atque ita [f]) in flumen deiici.

XXVI. 71. O singularem sapientiam, iudices! Nonne videntur [g]) hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam terramque ademerunt? [h]) ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset [i]), careret [k]) iis rebus omnibus [l]), ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus [m]) uteremur [n]); non sic nudos in flumen deiicere, ne, quum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile neque tam vulgare est, cuius partem

a) *ipsa* om. Ox. C. b) *posset* coni. Ern. c) *ii* om. Oxonn. C. H. R. S. T. χ. d) *maleficio summo arcerentur* coni. Erasm. e) *culleum* codd Oxonn. H. S. Ed. Neap. f) *ita* om. Ox. T. g) *viderunt* Ox. χ. h) *ademerunt* codd. Oxonn. C. H. R. S. T. ψ. Edd. Naug. Crat. Lamb. Graev. Oliv. — *ademerint* cod. Guelph. Edd. Ven. Ju. Ern. Bck. M. Or. St. *ademerit* Ox. χ. i) *est* Ox. χ. k) *et careret* codd. Oxonn. C. H. S. T. *etiam careret* Ox. R. l) *omnibus* om. Ox. χ. m) *in marmoribus* Ox. χ. n) *uterentur* Oxonn. C. H. S.

ullam eis reliquerint [a]). 72. Etenim quid tam est [b]) commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam [c]) de coelo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat [d]); ita iactantur fluctibus [e]), ut numquam abluantur [f]); ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne caussam quidem [g]) maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares [h]) eique iudicio Chrysogonus praeesset, tamen diligentius paratiusque [i]) venisses. 73. Utrum, quid agatur, non vides? an apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod sine multis caussis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium sine caussa admittere.

a) *ullam eis reliquerint* cod. Ox. χ. Edit. Oxon. — Vulg. *ullam reliquerint.* b) *est tam* Lamb. c) *animum* Ox. χ. d) *terram non tangant* codd. nonn. in Orat. c. 30. §. 107. e) *fluctuantibus* Ox. χ. f) *alluantur* codd. nonn. in Orat. c. 30. §. 107. probb. Crat. in marg. Hotom. Lamb. Facciol. Lallemand. Sch. g) *quidem* om. Ox. χ. h) *accusatores* Ox. χ. i) *paratiusve venisses* Ox. χ.

XXVII. Esto; caussam proferre non potes. Tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam et tibi, quod in alia caussa non concederem [a]), in hac concedam, fretus huius innocentia. Non quaero, abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit; quaero, quomodo occiderit. Ita quaero abs [b]) te, C. Eruci, quomodo? [c]) et sic tecum agam, ut in eo loco vel respondendi vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam, si quid voles, interrogandi. 74. Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit; si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos? [d]) quos [e]) homines? Indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria [f]), qui sunt hi? cur [g]) non nominantur? Si Roma [h]), unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit neque [i]) umquam plus triduo fuit? Ubi eos convenit? quicum [k]) loquutus est? quomodo persuasit? — Pretium dedit. — Cui dedit? per quem dedit? unde aut quan-

a) *cederem* Ox. χ. b) *ex* Ox. H. c) *Itaque abs te, C. Eruci, quaero et sic tecum agam* cod. Ursin. — *Ita, ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo?* coni. Hotom. d) *liberos? Liberos?* coni. Matth. e) *cuiates hom.* coni. Sch. f) *Ameriae* Oxonn. T. χ. g) *qui re (quare?)* Ox. ψ. h) *Romae* Oxonn. H. R. S. T. χ. Edd. Ven. Ju. i) *ne* Ox. C. k) *quibuscum* Ox. χ. Mox Vulg. *pretium dedit?* — Pro *dedit* Ox. χ. *dedisti.*

tum dedit? Nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri [a]) solet? Et simul tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum vitam huiusce depinxeris [b]): hunc hominem ferum atque agrestem fuisse, numquam cum homine quoquam [c]) colloquutum esse [d]), numquam in oppido constitisse. 75. Qua in re praetereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido [e]), in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia [f]) gigni non solere. Ut non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur, ex luxuria exsistat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac [g]) maleficia gignuntur [h]).

XXVIII. 76. Vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra [i]) est. Verum haec missa facio. Illud quaero, is homo, qui [k]), ut tute dicis, numquam inter homines fuerit [l]), per quos homines hoc tantum facinus, tam

a) *veniri* Ox. χ. b) *pinxeris* Ox. ψ. c) *quoquam* Oxonn. χ. ψ. Cett. — Edit. Oxon. *quodam*, id quod Oxonn. C. H. R. T. S. videntur exhibere. d) *fuisse* Ox. χ. e) *invicto animo* Ox. χ. f) *maleficii* Ox. χ. g) *ac* om. Ox. C. h) *gignantur* Ox. ψ. i) *ministra* Ox. T. k) *qui* om. Oxonn. H. S. T. χ. l) *fuit* Ox. χ.

occultum, absens praesertim [a]) conficere potuerit. Multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciose possunt. In his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romae Sex. Roscius occiditur, quum in agro Amerino esset filius. Litteras, credo, misit alicui sicario, qui Romae noverat neminem. Arcessivit aliquem. Quem? aut quando? [b]) Nuntium misit. Quem? aut ad quem? Pretio, gratia, spe, promissis [c]) induxit aliquem? Nihil horum ne confingi [d]) quidem potest, et tamen caussa de parricidio dicitur. Reliquum est, ut per servos id [e]) admiserit. 77. O dii immortales! rem miseram et calamitosam! Quid? [f]) in tali crimine [g]) quod innocenti [h]) saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceatur [i]), id Sex. Roscio facere non licet? [k])

a) *praesertim hoc conf.* Ox. χ. b) *arcessivit aliquem. Quem? aut quando?* Prisc. p. 902. ed. P. probb. Garat. Wernsd. — Rec. Steinm. *aliquem. aut quando?* Cod. Par. 1. Vulg. *aliquem. At quando?* c) *spe promisit* Ox. χ. d) *confugi* Ox. χ. e) *id* om. Ox. χ. f) Vulg. *quod in.* g) *in tali crimine* om. Ox. ψ. *in* om. Ed. 1472. h) *quod innocenti* codd. Oxonn. C. H. S. T. χ. codd. Pall. S. Vict. Edd. Ven. Ju. unde dedimus *quid? in tali crimine quod inn. — licet?* Vulg. *quod in tali crim. inn. — licet. — Quod in t. cr., quod inn. — licet.* Bck. — *calamitosam! in tali crim. quod inn. — licet.* coni. Orell. — *nocenti* pro *innoc.* coni. Passerat. i) *polliceantur* Oxonn. S. χ. ψ. k) Vulg. *licet.*

Vos, qui hunc accusatis, omnes eius servos habetis? [a]) unus puer, victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non [b]) est? [c]) Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle [d]), vobis advocatis, vobis agentibus aliquoties duos servos paternos in quaestionem ab adversariis Sex. Roscius postulavit. Meministisne, T. Roscium recusare? [e]) Quid? ii servi ubi sunt? Chrysogonum, iudices, sectantur; apud eum sunt in honore et in pretio. Etiam [f]) nunc, ut ex his quaeratur, ego postulo, hic orat atque obsecrat. 78. Quid facitis? cur recusatis? Dubitate [g]) etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus, ab eone, qui propter [h]) illius mortem in egestate et insidiis versatur, cui ne quaerendi quidem de morte patris potestas [i]) permittitur, an ab iis, qui quaestionem fugi-

a) Vulg. *habetis.* b) *non* om. Ox. χ. c) Vulg. *est.* d) *te* om. Ox. C. Vet. Schol. pro *te*, *Met.* Ox. H. *et Metelle.* et Ox. ψ. *et Tite.* e) Sic dedimus Lamb. sequuti. — *meministine T. R. recusare* codd. Oxonn. T. χ. codd. Pall. Ed. Ven. — *meministi me T. R. rec.* Ox. S. *meministi T. R. recusare* Ox. C. *meministi te T. R. recusare* cod. Jannoct. Edd. Ju. Crat. *meministine T. Roscio recusare* Ed. 1472. Vulg. *meministine, te, Tite Rosci, recusare?* Naug. Victor. Grut. Graev. Verb. Ern. Sch. Bck. M. Or. St. f) *et iam* Ox. χ. g) *dubitare etiam nunc, iudices, potestis —?* quidam ap. Lamb. h) *praeter* Ox. C. i) *potestas* om. Ox. χ.

tant [a]), bona possident, in caede atque ex caede vivunt. Omnia, iudices, in hac caussa sunt misera atque indigna, tamen hoc nihil neque acerbius neque iniquius proferri potest: mortis [b]) paternae de servis paternis quaestionem habere filio non licet [c]). Ne tamdiu quidem dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quaeratur? [d]) Veniam neque ita multo post ad hunc [e]) locum. Nam hoc totum ad Roscios pertinet, de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, quum Erucii crimina diluissem.

XXIX. 79. Nunc, Eruci, ad te venio [f]). Conveniat mihi tecum necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas, aut per aliquos liberos aut servos. Liberosne? quos neque ut convenire [g]) potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua spe aut quo pretio, potes [h]) ostendere. Ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere, quod neque Romae multis annis fuerit neque de praediis umquam temere discesserit. Restare tibi videbatur servorum nomen,

a) *flagitant* Ox. χ. b) Sic recte Matth. Or. Vulg. *potest Mortis.* c) Fort. *potest, mortis-licere.* d) *quaeratur?* de Lamb. sent. Or. e) *adhuc* Ox. χ. f) *redeo* suspic. Sch. g) *conveniret* Ox. H. h) *potest* Ox. χ.

quo quasi in portum reiectus a ceteris suspicionibus confugere posses; ubi scopulum offendis eiusmodi, ut non modo ab hoc crimen [a]) resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere [b]) intelligas. 80. Quid est ergo? [c]) quo tandem accusator, inopia argumentorum, confugerit? — Eiusmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgo impune occiderentur; quare tu hoc propter multitudinem sicariorum nullo negotio facere potuisti. — Interim [d]) mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti. Quid ais [e])? vulgo occidebantur? [f]) Per quos? et a quibus? Non [g]) cogitas, te a sectoribus huc adductum esse? — Quid postea? — Nescis [h]), per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum? 81. Ii denique, qui tum armati dies noctesque concursabant [i]), qui Romae erant assidui, qui omni tempore in praeda et in [k])

a) *crimine* Ox. ψ. b) *redire* cod. Ox. χ. c) *quid est ergo?* Orell. Vulg. *quid est ergo*, *quo.* d) *interdum* cod. Ursini. e) *quid ais*, *Eruci? vulgo* Vet. Schol. f) *vulgo occidebantur.* Ern. W. Sch. St. g) *Non* de Ern. coni. W. M. Or. *nonne* codd. et edd. vett, St. h) *nescis* Vet. Schol. cod. Jannoct. probb. Garat. Wernsd. — Vulg. *nescimus.* i) *circursabant* Ox. C. *circumcursabant* Ox. H. Ed. Ven. *circumdabant* Ox. ψ. k) *in sanguine* Ed. 1472. Ju. Or. *in* om. cett.

sanguine versabantur, Sex. Roscio [a]) temporis illius acerbitatem iniquitatemque obiicient [b]) et illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt [c]) fore? qui non modo Romae non fuit [d]), sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret, propterea [e]) quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit? 82. Vereor, ne aut molestus sim vobis, iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si [f]) de tam [g]) perspicuis rebus diutius disseram [h]). Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est; nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quae de peculatu ac de eiusmodi rebus commenticiis, inaudita nobis [i]) ante hoc tempus ac nova, obiecit; quae mihi iste visus est ex alia [k]) oratione declamare, quam in alium reum commentaretur; ita neque ad crimen parricidii neque ad eum, qui caussam dicit, pertinebant [l]). De quibus quoniam [m]) verbo arguit, verbo satis est negare. Si quid est, quod ad testes reservet, ibi nos quoque, ut in ipsa caussa, paratiores reperiet [n]), quam putabat.

a) *Roscius* Ox. χ. b) *obiiciebant* Ox. χ. c) *putabant* Oxonn. T. χ. *putantur* Ox. C. d) *fuerit* coni. Matth. e) *propter* Ox. χ. f) *sed* Ox. χ. g) *caussa* Ox. H. h) *dixeram* Ox. χ. i) *vobis* Ox. χ. k) *aliena* coni. Passerat. l) *pertinebat* Ox. χ. m) *quomodo* Oxonn. C. H. ψ. *quum* Oxonn. T. χ. n) *reperit* Ox. χ.

XXX. 83. Venio nunc eo, quo me [a]) non cupiditas ducit, sed fides. Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere; quod certum est non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur amplissimus, qui [b]) sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui adscendit per alterius incommodum et calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania; quaeramus ibi, maleficium ubi et est [c]) et inveniri potest. Iam intelliges, Eruci, certum [d]) crimen quam multis suspicionibus coarguatur; tametsi neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. Neque enim id facerem, nisi necesse esset; et id erit signi [e]), me invitum facere, quod non prosequar [f]) longius, quam salus huius et mea fides postulabit. 84. Caussam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio; at ego in T. Roscio reperio. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes ac te palam adversarium esse profiteris [g]).

a) *me* om. Ox χ. b) *quia* Ox. χ. c) *ubi maleficium ubi et est* Oxonn. C. H. S. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8., unde de coni. *ibi*, *mal. ubi et est* — *ubi maleficium ubi est* Ox. T. *quaer. maleficium, ubi* Edd. 1480. Ven. Ju. (?) probb. Beck. Orell. rec. St. Vulg. *quaeramus, ubi maleficium et est.* d) *incertum* coni. Lamb. e) *signo* coni. W. f) *persequar* cod. Ursin. Lamb. Heus. Sch. M. — *prosequar* def. Or. Retinuit Steinm. g) *profitearis* Oxonn. C. S. χ.

De Capitone[a] post viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit; tum alias quoque suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat[b], identidem in caussis quaerere solebat, *cui bono* fuisset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. 85. Hunc quaesitorem ac iudicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur, ideo quod, tametsi veritatis[c] erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus[d] ad severitatem videbatur. Ego, quamquam praeest huic quaestioni vir[e] et contra audaciam fortissimus et ab[f] innocentia clementissimus, tamen facile me paterer vel illo ipso acerrimo iudice quaerente vel apud Cassianos iudices, quorum etiam nunc ii[g] quibus caussa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere.

a) *Capite* Ox. C. b) *praedicabat* Oxon. H. c) *veritas erat* Ox. χ. d) *implicatus* codd. et edd. vett. deff. Lamb. Garat. Steinm. — Orellio locus videtur esse corruptus. — *inclinatus* coni. Manut. *implacatus* Vir doctus saec. XVI in Ed. Ju., quae est Orell. — item Graev. prob. Ern. rec. Ma. — *replicatus* coni. Heus. *impacatus* coni. Guilielm. e) *vir* om. Edd. nonn. Vid. Varr. Lectt. ap. Graev. f) *in innoc.* coni. Garat. g) *nuncii* Oxonn. C. H. *nuntii* Ox. χ.

XXXI. 86. In hac enim caussa quum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quaererent, *cui bono* fuisset, sed eo[a]) perspicuum crimen et suspicionem[b]) potius ad praedam adiungerent, quam ad egestatem. Quid si accedit[c]) eodem, ut tenuis antea fueris? quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut illius, qui occisus est[d]), inimicissimus? Num quaerenda[e]), quae te ad tantum facinus adduxerunt?[f]) Quid ergo horum negari potest? Tenuitas hominis eiusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat[g]), quo magis occultatur[h]). 87. Avaritiam praefers[i]), qui societatem coieris de

a) *ei* Ox. T. *ego* cod. Guelph. *sed et perspicuum crimen et s.* coni. Manut. Hotom. Lamb. (1566. posthac Puteano est adstipulatus) prob. Bck. *sed eo perspicuo crim. et s.* coni. Claud. Putean. prob. Lamb. Recc. Sch. Matth. Rep. Wernsd. *sed adeo perspicuum crim. et s.* coni. Passerat. *sed perspicuum crimen potius ad pr.* coni. Bck. Fort. *sed*, *reor*, *ut perspicuum crimen*, *susp.* — Vulg. defendd. Weisk. Wernsd. Steinm. b) *et suspiciosum pot.* Pal. prim. c) *accedat* Ox. χ. d) *est* om. Ox. χ. e) Vulg. *num quaerenda caussa*, *quae etc. caussa* om. Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. — Rep. St. f) *adduxerunt* Oxonn. C. S. ψ. *adduxerint* Ox. T. Ed. Ven. (Parr. Ed. Rom.? Nihil annot. St.). g) *elucet* coni. Heumann. h) Fort. *occultetur*. i) *prae te fers* cod. Ursin. probb. Lamb. Facciol.

municipis [a]) cognatique fortunis cum alienissimo. Quam sis audax, ut [b]) alia obliviscar, hinc omnes intelligere potuerunt [c]), quod ex tota societate, hoc est, ex tot sicariis solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. Inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio et magnas rei familiaris controversias concedas necesse est. 88. Restat, iudices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit, is, ad quem morte eius divitiae venerint, an is, ad quem mendicitas? [d]) is [e]), qui antea tenuis fuerit, an is, qui postea factus sit egentissimus [f]) is, qui ardens avaritia feratur infestus in suos, an is, qui semper ita vixerit, ut quaestum nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset? [g]) is, qui omnium sectorum audacissimus sit, an is, qui propter fori iudiciorumque insolentiam non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidarit? [h]) postremo, iudices, id quod ad rem mea sententia maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius? [i])

a) *municipiis* Ox. ψ. b) *in* om. Ox. χ. c) *poterunt* Ox. C. mox pro *os tuum* Cod. Par. *ostium*. d) *mendicitas?* Ma. — *Mendicitas;* cett. e) *is* om. Oxonn. C. χ. f) *egentissimus?* M. — Sine interrog. signo cett. g) Sic Ma. — Sine interr. signo cett. h) Vulg. *reformidet;* idem cum interr. sign. Ma. — *reformidat* Oxonn. C. H. S. T. χ. i) *filius?* M. *filius.* Cett.

XXXII. 89. Haec tu, Eruci, tot [a]) et tanta si nactus esses in reo, quamdiu diceres? [b]) quo te modo iactares? [c]) Tempus hercule te citius, quam oratio deficeret. Etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te [d]) copiosius, quam me, putem posse dicere. Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in gregem [e]) annumerer; te pugna Cannensis accusatorum [f]) sat bonum fecit. Multos caesos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus. 90. *Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?* [g]) Non necesse est omnes commemorare [h]), Curtios, Marios [i]), denique Memmios [k]), quos iam aetas a praeliis avocabat,

a) *Si tot* Ox. C. b) *diceres!* Ma. Or. c) *iactares!* Ma. Or. d) *te* om. Ox. C. e) *in gregem* Oxonn. C. T. ψ. Pall. quatt. cod. Guelph. prob. Garat. Rec. Bck. — *in grege* Cett. f) Vulg. *accusatorem.* g) *Frugio* Vet. Schol. *vulneratu 'st ferro Brugio* coni. Osann. Anal. Crit. p. 13. — — — *quis ibi non vulneratus est Ferro Phrygio?* coni. M. h) *memorare* Ox. C. i) *Curiones*, *Varios* coni. M. k) *Memmios* de Ursin. coni. Sch. M. — *Mammeos* Oxonn. C. H. S. χ. ψ. Parr. tres. Pal. octav. Edd. Vett. Rec. Steinm. — *Mameos* Ox. T. Franc. prim. Parr. duo. Ed. Ven. — *Mammeos* vel *Memmeos* codd. Ursin. *Mamercos* cod. Jamoct. Lamb. Graev. Verb. Ern. B. Or.

postremo Priamum ipsum, senem [a]) Antistium, quem non modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant. Iam quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant. Qui omnes, quod ad me attinet, vellem viverent. Nihil enim mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi multaque servanda sunt. 91. Verum, ut fit, multa saepe imprudentibus imperatoribus vis belli ac turba molitur. Dum is in aliis [b]) rebus erat occupatus, qui summam rerum [c]) administrabat, erant [d]) interea, qui suis vulneribus mederentur, qui tamquam si offusa [e]) rei publicae [f]) sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris omniaque miscebant. A quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta; nam et accusatores et iudices sustulerunt. Hoc commodi est, quod ita vixerunt, ut testes omnes, si [g]) cuperent, interficere non possent. Nam dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit; dum civitas erit, iudicia fient. Verum, ut coepi

a) *ipsum, senem* Graev. al. *ipsum senem*, Cett. Mox *Anthistium* Ox. C. *Antistum* Ox. χ. b) *dum tantis in rebus* coni. Ren. Boëmor. c) *qui summam rem* vel *qui summam rem public.* coni. Lamb. d) *erat* Ox. χ. e) *effusa* Oxonn. C. ψ. *confusa* Ox. χ. f) *republica* Oxonn. C. S. ψ. g) *sibi* Ox. χ.

dicere, et Erucius, haec si haberet in caussa, quae commemoravi, posset ea quamvis [a]) diu dicere, et ego, iudices, possum; sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere.

XXXIII. 92. Video igitur, caussas esse permultas, quae istum impellerent. Videamus nunc, ecqua [b]) facultas suscipiendi maleficii fuerit. Ubi occisus est Sex. Roscius? — Romae. — Quid tu, Rosci? [c]) ubi tunc eras? — Romae. — Verum quid [d]) ad [e]) rem? et alii multi. — Quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur, eum, qui Romae sit occisus, utrum verisimilius sit ab eo esse occisum [f]), qui assiduus eo tempore Romae fuerit, an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit. 93. Age nunc ceteras facultates quoque [g]) consideremus. Erat tum [h]) multitudo sicariorum, id quod commemoravit Erucius, et homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quae

a) *quam* Ox. C. b) *et quae* Oxonn. C. H. S. T. χ. Ed. Ven. *ecquae* Naug. Crat. c) Sic primus distinxit Ma. seqq. Or. Steinm. — *Quid? tu, Rosci* Cett. d) *quid id ad rem* coni. Ern. e) *an* Ox. χ. f) *occisum* om. Ox. χ. g) *ceteras quoque facultates* de Weisk. coni. Ma. h) *tum* om. Ox χ.

erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant [a]) occupati, aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant [b]), tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es; sin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percussores vocant, quaere [c]), in cuius fide sint et clientela; mihi crede, aliquem de societate tua reperies; et quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito; ita facillime caussa Sex. Roscii cum tua conferetur. 94. Dices: quid postea [d]), si Romae assiduus fui? [e]) — Respondebo [f]): at ego omnino non fui. — Fateor, me sectorem esse; verum et alii multi. — At ego, ut tute arguis, agricola et rusticus. — Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. — At ego profecto, qui ne novi quidem quemquam sicarium, longe absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt, quae dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi; quae non modo iccirco praetereo, quod te ipsum non libenter accuso,

a) *aut erant in bonis eorum, qui erant* Ox. ψ. *qui in bonis alienis erant* coni. Lamb. *qui in bonis erant occupandis* ex Schol. verbis *qui volebant* etc. collegit Heus. b) *appeterent* Ox. H. c) *quare* Ox. χ. d) *quid tum postea?* in marg. apud Lamb. 1584. e) *fuit* Ox. χ. f) *respondebo* om. Ox. H.

verum eo magis etiam, quod, si de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae [a]) sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

XXXIV. 93. Videamus nunc strictim, sicut cetera, quae post mortem Sex. Roscii abs te, T. Rosci, facta sunt; quae ita aperta et manifesta sunt, ut mediusfidius, iudices, invitus ea dicam. Vereor enim, cuicuimodi [b]) es, T. Rosci [c]), ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim. Quum hoc vereor et cupio tibi aliqua ex parte, quod salva fide possim, parcere, rursus immuto voluntatem meam. Venit enim mihi in mentem oris tui. Tene [d]), quum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda [e]), sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi [f]) partes istas depoposcisse, ut in iudicio versarere, et sede-

a) *facta* Ox. C. b) *cuicuimodi* Prisc. XIII. p. 959. ed. P. cod. Vossian. Ed. 1476. Lamb. Graev. Verb. Oliv. B. Sch. W. M. Or. St. *quiquimodi* Oxonn. C. H. S. χ. Parr. 4. 1. Pall. Ed. Ven. *quum eiusmodi* Ox. T. *quicquidmodi* Ox. ψ. *cuiusmodi* Edd. Ju. Grut. Ern. *cuiusque modi* Ed. Victor. c) *es*, *T. Rosci* Oxonn. C. H. al. *est Rosci* (i. e. *es*, *T. Rosci*) Oxonn. S. T. χ. ψ. Ed. Ven. *es*, *Rosci* Ju. Lamb. Naug. Victor. d) *tenes*, *quin* Oxonn. C. ψ. *tenes enim*, *quin* Ox. H. e) Scr. *ut hoc iudicium ne de illorum pr.* f) *tibi* om. Ox. χ.

res cum accusatore? qua in [a]) re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et impudentia. **96.** Occiso Sex. Roscio qui primus Ameriam nuntiat? Manlius [b]) Glaucia, quem iam antea nominavi, tuus cliens et familiaris. Quid attinuit eum potissimum [c]) nuntiare, quod [d]), si nullum iam ante consilium de morte ac de bonis eius inieras [e]) nullamque societatem neque sceleris neque praemii cum homine ullo [f]) coieras, ad te minime omnium pertinebat? — Sua sponte Manlius [g]) nuntiat. — Quid? quasi [h]) eius intererat? an, quum Ameriam non huiusce rei caussa venisset, casu accidit, ut id, quod Romae audierat, primus nuntiaret? Cuius rei caussa venerat Ameriam? Non possum, inquit, divinare. Eo rem iam adducam, ut nihil divinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum [i]) nuntiavit? Quum Ameriae Sex. Roscii domus, uxor liberique essent, quum tot propinqui cognatique optime convenientes,

a) *qua tu re* coni. Ern. b) *Manlius* Oxonn. C. H. S. χ. al. Lamb. — Vulg. *Mallius*. c) *eum id potissimum* dedit Sch. non monito lectore. d) *nuntiare, quod* de Lamb. sent. M. Or. *nuntiare? quod* Cett. — Pro *quod* Ox. χ. *qui*. e) *inierat* Ox. χ. f) *ullo* om. Ox. χ. g) *Manlius* Ox. H. Vulg. *Mallius*. h) *Quid? quasi —?* Pal. prim. *quasi* praeterea Oxonn. S. T. χ. ψ. codd. Pall. Edd. Vett. — Vulg. *quid, quaeso, eius ..?* i) Fort. *primo*.

qua ratione factum est, ut iste tuus cliens, sceleris tui nuntius, T. Roscio Capitoni potissimum nuntiaret? 97. Occisus est a coena rediens; nondum lucebat [a]), quum Ameriae scitum est. Quid hic incredibilis cursus [b]), quid haec tanta celeritas festinatioque significat? Non quaero, quis percusserit; nihil est, Glaucia, quod metuas; non excutio te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor; nihil ad me arbitror pertinere; quoniam, cuius consilio occisus sit, invenio, cuius manu sit percussus, non laboro. Unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus [c]) resque manifesta dat. Ubi aut unde audivit Glaucia? [d]) Qui tam cito scivit? Fac audisse statim [e]), quae res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? quae necessitas eum tanta [f]) premebat, ut, si sua [g]) sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret?

XXXV. 98. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut coniectura capienda sit? Nonne vobis haec, quae audistis, cernere oculis videmini, iudices? non

a) *lucescebat* Ox. ψ. b) *cursus?* St. — Paullo supra *hic* om. Ox. χ. c) *scelus* om. Ox. χ. d) *Glaucia*, *qui* de Heusing. sent. distinxerunt Oliv. Sch. e) *audisset* Oxonn. C. ψ., *statim. Quae* vulg. — f) *tantum* Ox. χ. g) *illa* Ox. χ.

illum miserum [a]), ignarum casus sui, redeuntem a coena videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? non versatur ante oculos vobis in caede Glaucia? non adest iste T. Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem illum, sui sceleris acerbissimi nefariaeque victoriae nuntium? non orat [b]), ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui caussa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet? 99. Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit? [c]) Nescio; nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse [d]) socium; de tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video [e]) possidere. 100. Audio praeterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri; multas esse infames eius [f]) palmas, hanc primam esse tamen, lemniscata quae Romae [g]) deferatur [h]); nullum modum

a) *miserum* om. Ox. χ. b) *erat* Oxonn. C. χ. c) *vellet* coni. Ern. d) *esse* om. Ox. χ. e) *video* suspect. Manutio. f) *infames eius* de Garat. conicct. (et Orell.) — *infamius* Oxonn. C. S. T. χ. Parr. 4. I. 9. Ed. Ven. *infamiae* Par. 8. *eius infames* de Lamb. coni. Sch. g) Sic dedimus de coni. — Vulg. *lemniscatam, quae Romae deferatur.* defendd. W. M. — *quae Roma ei* vel *quae Romae ei def.* coni. Garaton. — *quae Roma* (id quod etiam Lamb. voluit) vel *Roma ei def.* suspic. Ern. — *Roma* dederunt B. Sch. Pro *lemniscatam* exhibet Ox. C. *lemniscatamque.* — *lemnis caput* Ox. S. *lemniscatam tamquam* Ox. ψ. h) *deferat* Oxonn. H. S. ψ.

esse hominis[a]) occidendi, quo ille non aliquot occiderit, multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem [b]) contra morem maiorum minorem annis LX [c]) de ponte in Tiberim deiecerit [d]); quae [e]), si prodierit atque adeo quum prodierit (scio enim [f]) proditurum esse), audiet [g]). **101.** Veniat modo, explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse, quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse et minitatum [h]) esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O praeclarum testem, iudices! o gravitatem dignam exspectatione! o vitam [i]) honestam atque eiusmodi, ut libentibus [k]) animis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accommodetis! Profecto non tam perspicue [l]) istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas et avaritia et audacia.

XXXVI. **102.** Alter ex ipsa caede volucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum [m]) suum misit, ut, si [n]) dissimulare

a) *homines* Ox. χ. b) *quae* Ox. χ. c) *XL* Ox. T. d) *traiecerit* Ox. χ. e) *qui* C. H. S. T. χ. ψ. f) *cum* Ox. ψ. Quum ex *scio* minime possit suppleri animo *eum*, ex ea scriptura *eum* fuisse scriptum optime colligitur. g) *audiat* Ox. χ. h) *meditatum esse* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. codd. Hotom. *mintatum* ex codd. Parr. unus. i) *iustam* Oxonn. H. S. T. χ. k) *libentius* Ox. χ. l) *perspicue nos* Parr. 4. 1. 9. Rec. Steinm. m) *magistratum* Ox. χ. Rec. Oliv. n) *si* om. Ox. χ.

omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret [a]). Alter, si dis immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. Quasi vero id nunc agatur, utrum is [b]) quod dixerit, credendum, an quod fecerit, vindicandum [c]) sit. Itaque [d]) more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. 103. Africanus [e]), qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa et mutata in peiorem partem sint omnia. Quum de bonis et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est et sicarius, hoc est, qui et illorum ipsorum [f]) bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est et eum [g]) hominem occidendum curavit, de cuius morte quaeritur [h]). 104. Quid tu, vir optime? ecquid [i]) habes, quod dicas? mihi ausculta;

a) *ponerent* Ox. χ. mox *dis* Vet. Sch. — Vulg. *diis*. b) *id quod* Oxonn. C. H. S. ψ. Edd. Rom. Ven. Ju. Lamb. — *is quod* Cett., etiam Pall. tres. c) *iudicandum* Ox. C. d) *Ita more* Vet. Schol. *ita quidem more* de Weisk. coni. M. e) *Affricanus* Ox. C. f) *et ipsorum* Ox. H. g) *et cum* Ox. χ. h) *quaeritur. — Quid* M. i) *ecquid* om. Ox. χ. *et quid* Oxonn. C. T.

vide, ne tibi desis; tua quoque res permagna agitur. Multa scelerate, multa audaciter [a]), multa improbe fecisti; unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia: nihil opus fuit, te isti credere [b]). Neque enim accusatore [c]) muto [d]) neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paullo tamen [e]) occultior atque tectior [f]) vestra ista cupiditas esset [g]). Nunc quid est, quod quisquam ex vobis [h]) audire desideret, quum, quae [i]) facitis, eiusmodi sint, ut ea [k]) dedita opera a vobis [l]) contra vosmet ipsos facere videamini? **105.** Age nunc illa videamus, iudices, quae statim consequuta sunt. Ad Volaterras in castra L.

a) *audaciter* Prisc. p. 1014 ed. P. Graev. Ern. Bck. Or. al. *audacter* codd. et edd. vett. Ma. St. b) *isti credere* Codd. et edd. vett. — def. Wernsd. *istic sedere* de Hotom. coni. (et Manut.) Lamb. Graev. Verb. Ern. W. Sch. M. Or. St. c) *accusatorem* Ox. T. *accusator* Ox. χ. d) *multo* Oxonn. C. ψ. *invito* coni. Faernus, quod in nonn. codd. exstare testatur Ursin. e) *paullo tamen* Oxonn. H. S. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. cod. Jannoct. Edd. Rom. Ven. Naug. Ju. Lamb. Facc. Bck. Sch. M. Or. St. — *tamen* om. Grut. Graev. Verb. Ern. Oliv. Lallem. — *paullo ante* Oxonn. C. T. ψ. f) *rectior* Ox. C. g) *est* Ox. χ. h) *quisquam vestrum* Pall. prim. i) *cumque quae* Ox. χ. k) *ea* susp. Heusing. l) *a vobis* codd. omnes et edd. vett. praeter cod. S. Victor., qui *a nobis* praebet, quod probb. editt. omnes praeter Facciol.

Sullae mors Sex. Roscii quatriduo, quo is [a]) occisus est, Chrysogono nuntiatur.

XXXVII. Quaeritur etiam nunc, quis eum nuntium miserit? Nonne perspicuum est, eumdem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, ut eius bona veneant statim, qui non norat hominem aut rem [b]). At qui [c]) ei venit in mentem praedia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat? Soletis, quum aliquid huiuscemodi auditis, iudices, continuo dicere: necesse est, aliquem dixisse municipem aut vicinum; ii plerumque indicant, per eos plerique [d]) produntur [e]). 106. Hic nihil est, quod suspicionem hoc [f]) putetis [g]). Non enim ego ita disputabo [h]): verisimile est, Roscios [i]) istam rem ad Chrysogonum detulisse; erat enim eis cum Chrysogono iam antea [k]) amicitia; nam quum multos veteres a maioribus Roscii patronos hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt ac se in Chrysogoni fidem et clientelam con-

a) *quod is* Ox. χ. *is* om. Ox. C. b) Post *rem* signum interrog. poni voluit Lamb. — Fort. *quid? num norat hom. aut rem?* c) *atqui* Ox. χ. d) *plerumque* Oxonn. H. T. e) *produnt* Ox. T. al. *producuntur* Ox. ψ. f) *hoc* Oxonn. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. Edd. Rom. Ven. 1480. Herv. — Rec. St. Vulg. *hanc*. g) *petetis* Ox. C. h) *disputo* Ox. C. i) *Roscium* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. k) *Antea ea* Ox. C.

tulerunt [a]). 107. Haec possum omnia [b]) vere dicere, sed in hac caussa coniectura nihil opus est. Ipsos certo scio non negare, ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis [c]), poteritisne dubitare, iudices, qui indicarit? [d]) Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? duo Roscii. Num quisnam [e]) praeterea? nemo est, iudices. Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc praedam Chrysogono, qui ab eo partem praedae tulerunt? 108. Age nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna Roscii, quod operae pretium esset, fecerant, quam ob caussam [f]) a Chrysogono tantis praemiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique, ut perliberaliter [g]) ageretur, honoris aliquid [h]) haberi? Cur tria praedia tantae pecuniae statim Capitoni dantur? Cur, quae reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? Nonne perspicuum est, iudices, has manubias Rosciis Chry-

a) *tradiderunt* Ox. H. b) *omnino* Oxonn. H. S. χ. Ed. Ven. *omnia vera* Ed. Ju. c) *cernitis* Oxonn. H. χ. d) *iudicarit* Ox. χ. e) *quisquam* Oxonn. C. H. S. Edd. Ven. Ju. Crat. f) *rem* Ox. χ. g) *perlibenter* Ox. χ. Verba *nonne — perliberaliter* Om. Ox. T. h) *aliud* Ox. χ.

sogonum re cognita concessisse? Venit in decem primis [a]) legatus in castra Capito [b]).

XXXVIII. 109. Totam vitam, naturam moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. Nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eiusce vis [c]) atque perfidia violarit et imminuerit, virum optimum esse eum iudicatote [d]). 110. Impedimento est, quo minus de his rebus Sulla doceatur; ceterorum legatorum consilia et voluntatem Chrysogono enuntiat [e]); monet [f]), ut provideat, ne palam res [g]) agatur; ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum [h]); illum acuere, hos, qui simul erant missi [i]), fallere; illum identidem monere, ut caveret, hisce insidiose spem falsam ostendere [k]); cum illo contra hos inire consilia, horum consilia illi enuntiare; cum illo partem suam depacisci, hisce aliqua

a) *primus* Ox. T., etiam C. sup. lin. b) *castra. Capite* Ox. χ. c) *eiusce vis* C. H. S. T. χ. φ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Vett. (in nonn. *eiusce ius* vid. Steinm.) — Vulg. *eius scelus*. d) *iudicatote impedimento:* Ox. χ. e) *enuntiant* Ox. H. *nuntiat* Ox. T. Vet. Schol. f) *movet* Ox. χ. g) *res* om. Ox. χ. h) *auditurum* Ox. C. i) *qui-missi* susp. Weiskio. k) *offendere* Ox. χ.

fretus mora [a]) semper [b]) omnes [c]) aditus ad Sullam intercludere. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore [d]), ad Sullam legati non adierunt; istius fide ac potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis [e]) denuntiare, pro re certa spem falsam domum retulerunt.
111. In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset [f]) sui quaestus aut commodi caussa, verum etiam negligentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque *mandati* constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti; credo propterea quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria, fides [g]) amicorum supponitur; quam qui lae-

a) *fretum ora* Oxonn. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. cod. S. Victor. Pal. prim. *fretum hora* Ed. 1472. Crat. Victor. Graev. *fretus hora* cod. Guelph. Grut. Ern. Lall. W. *fretum aura* omnes Hotom. codd. Ed. Ju. [in qua etiam *illa* pro *aliqua* exstat). *fretus aura* codd. Lambini. *fretus mora* de Garat. sent. Bck. Or. St. *fretis hora* de Pantag. coni. Sch. M. prob. Schell. *fretis aura* coni. Menard. *aliqua facta mora* coni. Manut. *aliqua ficta mora* coni. Graev. *aliq. ficta caussa* coni. Ern. — utrumque *fretus hora* vel *fr. mora* def. Wernsd. Fort. *aliquo fretus auro*. b) *semper* de Facciol. sent. cum prioribus coniungit Or. c) *omnis* Oxonn. C. H. T. d) *isto intercessore, auctore* susp. Weisk. e) *eius* Ox. H. f) *egisset* Ox. χ. g) *vicaria fides amicorum* M. St. al.

dit, oppugnat omnium commune praesidium et, quantum in ipso est, disturbat vitae [a]) societatem. Non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis utilis. Iccirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. **112.** Quid recipis mandatum, si aut neglecturus aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis et obstas? Recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse; quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt.

XXXIX. Ergo iccirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat [b]), amicitiam et fidem. Nam neque mandat quisquam fere, nisi amico, neque credit, nisi ei, quem [c]) fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis simul et amicitiam dissolvere et fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. **113.** Itane est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit [d]), turpissimo iudicio condemnetur necesse est; in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae, ignominia mortuum, egestate vivum [e])

a) *vitae* om. Ox. C. b) *violet* Sch. c) *qui* Ox. χ. d) *neglexit* Sch. e) *egestate vivum* ex cod. Jannoct. recc. Bck. Sch. W. M. Or. uncis inclus. St., quum ea omittant verba codd. omnes et edd. vett. — *affecerit*,

affecerit, is inter honestos homines, atque adeo inter vivos [a]) numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati [b]) iudiciumque infamia [c]) revocatur [d]) propterea quod, si recte [e]) fiat, illum [f]) negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit; in re tanta, quae publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum lae-

vivum fortunis everterit vel *vivum bonis spoliarit* coni. Hotom. — *ad egestatem* seu *ad mendicitatem vivum redegerit* coni. Lamb. *damno vivum, ignom. mort.* coni. Ern.

a) *viros* coni. Hotom. — *homines* coni. Facciol. *viros bonos* Sch. b) *mandati* suspect. Putean. Faern. Lamb. delev. Ma., uncis incl. Or. — *negligentia mandati in crim. iudiciumque* de Graev. coni. Sch. c) *iudiciumque infamia* codd. Hotom. omnes. Ox. χ. Pal. prim. Edd. 1472. Ven. Grut. Graev. Verb. Ern. — *iudiciumque infama* Pall. — *iudicium infamia* codd. Parr. 4. 8. 9. 7. Ed. Rom. *iudicium infama* Par. 1. — *iudiciumque infamiae* Ox. ψ. Pateani et Manut. coniecturam comprobans. Rec. Steinm. — *in crimen mandatique iudicium infame* coni. Hotom. *in cr. iudiciumque infame voc.* coni. Faern. et Lamb. *in cr. mand. iudiciique infamiam* (fort. codd. Oxonn. quatt.) Edd. Ju. Crat. Oliv. Lall. B. Sch. W. probb. Boëmor. Ursin. Facciol. — *in iudicium familiare vocatur* coni. Guil. Fort. *in crimen infamiamque vocatur.* d) *vocatur* Lamb. Doer. W. prob. Guil. e) *recte* Oxonn. C. H. R. S. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. Graev. Ern. W. St. *ratione* codd. Oxonn. T. χ. Edd. 1472. 1480. Bck. Sch. M. Or. f) *illud* Ox. C.

serit, sed perfidia legationis ipsius caerimoniam polluerit maculaque affecerit, qua is tandem poena afficietur? aut quo iudicio damnabitur? **114.** Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transigeret atque decideret, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret, ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum [a]) et rem restitueret et honestatem omnem amitteret? **115.** Nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandavit, sed, id quod multo gravius est [b]), ipse Sex. Roscius cum fama, vita bonisque omnibus a decurionibus publice Roscio [c]) mandatus est et ex eo T. Roscius non paullum nescio quid in rem suam convertit, sed hunc funditus evertit bonis, ipse tria praedia sibi depactus est, voluntatem decurionum ac municipum [d]) omnium [e]) tantidem [f]), quanti fidem suam, fecit.

XL. **116.** Videte iam porro cetera, iudices, ut intelligatis, fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimum est aequeque turpe atque illud, de quo ante

a) *arbitrium* Vet. Schol. b) *est* om. Ox. χ. c) *Roscio* del. cens. Hotom. prob. Facciol. — *T. Roscio* Sch. M. d) *municipium* Ox. χ. e) *omnium* om. Oxonn. C. H. S. f) *totidem* Ox. S.

dixi. Neque iniuria, propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cuius igitur fidem confugiet, quum per eius fidem [a]) laeditur [b]), cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecaventur [c]). Tecti esse ad alienos possumus; intimi multa apertiora videant necesse est; socium cavere [d]) qui possumus? quem etiam si [e]) metuimus, ius officii laedimus. Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. 117. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit, (quod tametsi grave est [f]), tamen aliquo modo posse ferri [g]) videtur,) verum novem [h]) homines honestissimos [i]), eiusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios, induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit. Qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officii metuere non debuerunt, eius malitiam non viderunt, orationi vanae

a) *fraudem* vel *perfidiam* coni. Quidam apud Lamb. b) *deditur* cod. Ox. C. c) *praecaverunt* Ox. C. d) Vulg. *socium vero cavere* om. *vero* Oxonn. C. H. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Ed. Rom. — Delev. St. e) *si* om. Ox. χ. f) *est* om. Ox. T. g) *fieri* Oxonn. C. χ. h) *novem* om. Oxonn. C. H. S. ψ. i) *fortissimos* Ox. T. et Ed. Crat. in marg.

crediderunt. Itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti providique fuisse; iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilia adversariis enuntiavit, deinde societatem cum ipsis adversariis coiit [a]), terret [b]) etiam [c]) nos ac minatur, tribus praediis, hoc est praemiis sceleris, ornatus. In eiusmodi vita, iudices, in his tot tantisque flagitiis hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, reperietis. 118. Etenim quaerere ita debetis: ubi multa avare, multa audacter [d]), multa improbe, multa perfidiose facta videbitis [e]), ibi scelus [f]) quoque latere inter illa tot flagitia putatote. Tametsi hoc quidem minime latet, quod ita promptum et propositum [g]) est, ut non ex illis maleficiis, quae in illo constat [h]) esse, hoc intelligatur, verum ex hoc etiam, si quod illorum [i]) forte dubitabitur [k]), convincatur. Quid tandem, quaeso, iudices? num aut ille lanista omnino iam a gladiatore [l]) re-

a) *deinde-coiit* om. Ox. χ. b) *tenet* Ox. C. c) *etiam iam* Ox. ψ. d) *audaciter* Lamb. e) *videbitis* Oxonn. C. H. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. Recepp. Ma. St. — Vulg. *videtis*. f) *ibi id scelus* de Graev. (et Ursin.) coni. Sch. M. probb. Facciol. Garat. Repudd. Heus. B. W. Or. St. g) *vel perspicuum* Ox. C. in marg. h) *constant* Ox. χ. i) *de illorum* Oxonn. H. S. T. χ. *de illorum sorte* cod. Franc. prim. Ed. Ven. 1480. k) *dubitatur* Oxonn. C. H. χ. l) *a gladiatore* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ.

cessisse [a]) videtur aut is [b]) discipulus magistro tantulum de arte concedere? [c]) Par [d]) est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia [e]), gemina audacia.

XLI. 119. Etenim, quoniam fidem magistri cognostis [f]), cognoscite nunc discipuli aequitatem. Dixi iam antea, saepenumero postulatos esse ab istis duos servos in quaestionem. Tu semper, T. Rosci, recusasti. Quaero abs te: iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? an is te [g]) non commovebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua videbatur? Postulabant homines nobilissimi [h]) atque integerrimi nostrae civitatis, quos iam antea nominavi; qui ita vixerunt talesque a populo Romano putantur [i]),

codd. Pall. codd. Hotom. Edd. Ven. Ju. Crat. Naug. Vict. Graev. Verb. Bck. M. Or. St. *a gladiis* Ald. Lamb. Grut. Oliv. *a gladiatura* coni. Manut.

a) *recessisse* de Grut. coni. editt. recentt. omnes. — *cessisse* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Pall. cod. Guelph. (male Beck. in eo *recess.* reperiri annotavit). codd. Hotom. omnes. Edd. Ven. Ju. Crat. Naug. Victor. Mox *ut* pro *aut* cod. Ox. T. b) *is* Oxonn. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. Ju. Crat. Lamb. St. — *hic* Vet. Schol. probb. Hotom. Facciol. Vulg. *iste.* c) *concederet* Ox. χ. d) *pars* Ox. C. e) *imprudentia* Graev. operar. errore. f) *cognoscitis* Ox. χ. g) *is te* de Heus. coni. W. M. — Vulg. *iste.* h) *honestissimi* Ed. Ju. i) *ita putantur* Oxonn. C. H. S.

ut, quidquid dicerent, nemo esset, qui non aequum putaret. Postulabant [a]) autem pro homine miserrimo atque infelicissimo, qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quaereretur. 120. Res porro abs te eiusmodi postulabatur, ut nihil interesset, utrum eam rem recusares, an de maleficio confiterere [b]). Quae quum ita sint, quaero abs te, quam ob caussam recusaris. Dum [c]) occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo neque purgo. Quod a vobis oppugnari [d]) video, ne in quaestionem dentur, suspiciosum est; quod vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est sciant aliquid, quod, si dixerint, perniciosum vobis futurum sit. — In dominos quaeri de servis iniquum est [e]). — At non [f]) quaeritur. Sex. enim Roscius, reus, estne dominus [g]), quum

a) *postulabam* Ox. χ. b) *confideres* Ox. χ. c) *dum* de Matth. coni. — Vulg. *quum.* d) *oppugnari* Oxonn. C. H. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. codd. Pall. Edd. Rom. Ven. Rec. Steinm. *oppugnare* Ox. S. *hoc pugnari* de Naug. coni. editt. recentt. omnes. e) *est* om. Ox. T. f) *at non* ex codd. vestigiis. Namque *at ne* Oxonn. C. H. S. T. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Ed. Ven. — Vulg. *anne*, quarum particularum significatio, qualis h. l. flagitatur, Ciceroni imputanda non est. *At nec* coni. Ren. Boëmor. g) Sic dedimus de coniectura. — *Sex. enim Roscius reus est. neque enim, quum de hoc quaeritur* Oxonn.

de hoc [a]) quaeritur? vos enim dominos esse dicitis [b]). — Cum Chrysogono sunt. — Ita credo; litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familiis lectos [c]), velit [d]) hos versari, homines paene operarios ex Amerina disciplina patrisfamiliae rusticani. **121.** Non [e]) est [ita] [f]) profecto, iudices, non est veri simile [g]),

C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. codd. Hotom. cod. Guelph., nisi quod in Par. 1. verba *neque* — *quaeritur* in marg. adduntur. — Particulam *enim* post *neque* del. cens. Hotom. delevit Ma.

a) *de his* de Doering. coni. W. b) *vos enim dominos esse dicitis* codd. Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 7. codd. Hotom. omnes. cod. Guelph. *cum dominos* Par. 9. *cum domino* Edd. Rom. Ven. Ju. *dominum* cod. Ursin. *neque, quum de hoc quaeritur, vos eum dominum esse dicitis* coni. Ren. Boëmor. probb. Lamb. Lallem. Garat. — Rec. Bck., nisi quod *enim* ex codd. post *neque* addidit. — *neque enim, quum de hoc quaeritur, vos dominos esse dicitis* Crat. Lamb. Graev. Verb. Ern. Matth. (vid. f.) Or. — *neque enim, quum de hoc quaeretur, in vos dominos hoc esse dicetis* coni. Menard. — *neque, quum de hoc quaeritur, in vos quaeritur; neque enim vos dominos esse dicitis* coni. Heus. — *neque enim, quum de hoc quaeritur, de domino quaeritur; vos enim dominos esse dicitis.* — *neque enim, quum de hoc quaeritur, [in dominum quaeritur], vos enim dominos esse dicitis* dedit Steinm. c) *electos* Ed. Ven. d) *velis* Ox. C. e) *nam* Ox. C. f) Vulg. *non est ita prof.* g) *veri simile* susp. Lamb. Sch. M. Muell. ad Cic. pro Sext. §. 78.

ut Chrysogonus horum litteras adamarit aut humanitatem, non. Ut [a]) rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum et fidem est quiddam, quod occultatur; quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet.

XLII. 122. Quid igitur? Chrysogonus suine [b]) maleficii occultandi caussa quaestionem de [c]) his haberi non vult? Minime, iudices; non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor, neque hoc mihi nunc [d]) primum in mentem venit dicere. Meministis, me ita distribuisse initio caussam: in crimen, cuius tota argumentatio [e]) permissa Erucio est, et in audaciam, cuius partes Rosciis [f]) impositae sunt. Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. Nimiam gratiam potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare et perferri nullo modo posse, et a vobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari oportere. 123. Ego sic existimo: qui quaeri velit ex iis, quos constat, quum caedes facta

a) Sic de W. coni. distinx. M. — Vulg. *non*, *ut* etc. b) *suine* Parr. 4. 1. 9. Ed. Rom. Rec. Steinm. — Vulg. *sui*. — *tui* Oxonn. H. S. T. χ. c) *ab* Ox. χ. d) *nunc* om. Ox. χ. e) *augmentatio* codd. nonn. Hotom. *coagmentatio* coni. Sch. f) *Roscii* Ox. χ.

sit, affuisse, eum [a]) cupere verum invenire; qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio, iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam caussa postularet ac necessitas ipsa cogeret. Nam et multae res afferri possunt, et unaquaeque [b]) earum multis cum argumentis dici potest. Verum ego, quod invitus ac necessario facio, neque diu neque diligenter facere possum. Quae praeteriri nullo modo poterant, ea leviter, iudices, attigi; quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero [c]) dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingeniis coniecturaeque committo.

XLIII. 124. Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni, sub quo nomine tota societas latuit [d]); de quo, iudices, neque [e]) quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo, vel maximam partem relinquo; sin autem dico, vereor, ne non ille solus, (id quod ad me nihil attinet), sed alii quoque plures laesos se esse putent. Tametsi ita se res [f]) habet, ut mihi in communem caussam secto-

a) *cum et* Ox. χ. b) *de unaquaque* Lamb. c) *coeperim* coni. W. d) *latuit* dedimus de coni. — *statuit* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Ed. Rom. Rec. Steinm. — Vulg. *statuitur*. e) *neque* om. Ox. χ. f) *res se* Ed. Ven. Lamb.

rum dicendum nihil magnopere [a]) videatur. Haec enim caussa nova [b]) profecto et singularis est. 125. Bonorum [c]) Sex. Roscii emptor [d]) est Chrysogonus [e]). Primum hoc videamus: eius hominis bona qua ratione venierunt [f]) aut quomodo [g]) venire potuerunt? Atque hoc non ita quaeram, iudices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona venisse. Si enim haec audientur ac [h]) libere dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur [i]). Verum hoc [k]) ego quaero: qui potuerunt [l]) ista ipsa [m]) lege, quae de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia; non enim [n]) novi nec scio; verum ista ipsa lege bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? 126. Scriptum enim ita dicunt esse: UT EORUM BONA VENEANT, QUI PROSCRIPTI SUNT; quo in numero Sex. Roscius non est: AUT EORUM, QUI IN ADVERSARIORUM PRAESIDIIS OCCISI SUNT. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit. Post-

a) *magno opere* Orell. tacite. b) *nova* om. Ox. χ. c) *est honorum* Ox. χ pro *est. Bon.* d) *emptorem* Oxonn. C. H. S. T. ψ. e) *Chrysogonum* Oxonn. C. H. S. *Chrysogono* Ox. χ. *Chrysogonem* Ox. ψ. f) *venierint — potuerint* coni. W. g) *quo* Ox. ψ. h) *aut* Oxonn. C. H. S. i) *conquerantur* Oxonn. H. χ. *conqueratur* Ox. ψ. k) *hoc* om. Ox. χ. *ego hoc* Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. l) *potuerint* Ox. χ. m) *ipsa* om. Ox. H. n) *enim* om. Ox. C.

eaquam ab armis discesserunt [a]), in summo otio rediens a coena Romae [b]) occisus est. Si [c]) lege, bona quoque lege [d]) venisse fateor; sin autem constat, contra omnes non modo veteres leges, verum etiam novas, occisum esse, bona quo iure aut quo more [e]) aut qua lege venierint [f]), quaero.

XLIV. 127. In quem hoc dicam, quaeris, Eruci? Non in eum, quem vis et putas. Nam Sullam et oratio mea ab initio et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur [g]), ut malum civem Roscium fuisse fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret, ut hisce [h]) de [i]) rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit [k]). Denique etiam illud suspicor, omnino haec bona non [l]) venisse, id quod postea, si

a) *discesserunt* Oxonn. H. ψ. Parr. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. *discepserunt* i. e. *discess.* Oxonn. C. S. — *recesserunt* Parr. 4. 1. Oxonn. S. T. χ. — *recessum est* codd. duo Lallem. (? vid. St.) Recc. W. M. b) *Roma* Oxonn. S. χ. c) *si* om. Oxonn. C. H. S. T. χ. d) *lege* om. Ox. χ. e) *more* de Ern. coni. M. Vulg. *modo.* f) *venerint* Ox. χ. g) *emerentur* Ox. C. h) *his* Lamb. i) *de* om. Oxonn. H. S. T. χ. Fort. exaratum in iis fuit *his de reb.* k) *ut hisce — passus sit* susp. Ernest. Legi iubet *non pateretur.* Fort. interpungendum: *diceret. Ut — sit, denique* etc. l) *omnia invenisse id* Ox. χ.

per vos, iudices, licitum erit, aperietur. 128. Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant; nimirum [a]) ad [b]) KALENDAS IUNIAS [c]). Aliquot post menses et homo occisus est et bona venisse dicuntur. Profecto aut haec bona in tabulas publicas nulla [d]) redierunt nosque ab isto nebulone facetius eludimur [e]), quam putamus, aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae [f]) aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse constat. Intelligo, me ante tempus, iudices, haec scrutari et propemodum errare [g]), qui, quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem [h]). Non enim laborat de pecunia, non [i]) ullius [k]) rationem sui commodi ducit; facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione et ficto crimine liberatus sit. 129. Verum quaeso a vobis, iudices, ut haec pauca, quae restant, ita audiatis, ut partim

a) *nimirum* om. Cod. Franc. prim. Uncis incl. M. b) *ad* om. Ox. χ. Pall. Edd. Ven. Crat. Graev. Ern. St. c) *Januariis* Ox. C. *Kal. Jan.* Ox. T. d) *nulla ratione redier.* Ed. Ven. prob. Garat. e) *deludimur* Lamb. f) *corrupta* Ox. χ. g) *errore* Ox. χ. h) *reduviam curem* om. Oxonn. C. H. (relicto spatio). — — *curae* Ox. S. *rem divinam curam* Ox. T. *recidivam curae* Ox. χ. *rediviam* Manut. Graev. Oliv. *reddi iura* Ed. Ju. *redubiam* Vet. Schol. *reluviam* maluerunt Turn. Garat. i) *de pe — — non* Ox. T. k) *illius* Ox. H.

me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. Quae enim mihi ipsi indigna et intolerabilia videntur quaeque ad omnes [a]), nisi providemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso [b]) ex [c]) animi mei sensu ac dolore pronuntio. Quae ad huius vitae casum caussamque [d]) pertineant et quid hic pro se dici velit et qua conditione contentus sit, iam [e]) in extrema oratione nostra, iudices, audietis. **130.** Ego haec [f]) a Chrysogono [g]) mea sponte remoto Sex. Roscio quaero.

XLV. Primum quare civis optimi bona venierint [h]); deinde [i]) quare [k]) hominis eius, qui neque [l]) apud adversarios occisus est, bona venierint, quum [m]) in eos solos lex scripta sit; deinde quare aliquanto post eam diem venierint [n]), quae dies in lege praefinita est;

a) *ad omnis* Cod. Franc. prim. b) *putetis — pro me ipso* om. Ox. χ. c) *et* Oxonn. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Franc. prim. Edd. Rom. Ven. Ju. Crat. — Rec. Steinm. d) *vitae caussam pert.* de Ruhnk. coni. (ad Rutil. L. p. 36) Sch. e) *ea in* Lamb. f) *enim* Ox. χ. g) *a Chrysogono, Jud.* Ox. χ. h) *venierint* Ox. χ. i) *deinde* om. Oxonn. C. S. *deinde — — venierint* om. Ox. χ. cod. Guelph. k) *quare iis* Ox. H. l) *qui neque proscriptus neque* de Hotom. coni. Editt. recentt. omnes. — Om. Steinm. „Quum Oxonn. notaverint, in duobus codd. suis (Oxonn. H. T.) ea desiderari, nescio an in reliquis lecta fuerint". Bck. m) *quin* Oxonn. H. S. n) *venierit* Ox. C.

deinde cur tantulo venierint [a]). Quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit. Nemo est enim [b]), qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos partim [c]) imprudente L. Sulla commisisse [d]). 131. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriri [e])? Non placet, iudices, sed necesse est. Etenim si Iupiter optimus maximus, cuius nutu et arbitrio coelum, terra mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus aut immoderatis tempestatibus aut nimio calore aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit, quorum nihil pernicii [f]) caussa divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum factum putamus, at contra commoda [g]), quibus utimur,

a) *quae dies — venierint* om. Ox. χ. b) *enim* om. Franc. prim. c) *partim connivente partim imprudente* Edd. Crat. Herv. Naug. Victor. Manut. Lamb. Graev. Ern., sed is uncis incl. — *partim conniv.* om. codd. et Edd. Vett. — Eiecerunt Bck. Sch. M. — *multa multos privatim* de Garat. coni. Steinm. Fort. *multa multos per imprudentiam L. Sullam omisisse.* d) *commissae* Ox. χ. e) *reperiri* Ox. χ. f) *pernicii* Gell. N. A. IX c. 13. Non. Marc. p. 759. Crat. Lamb. Graev. Oliv. B. Sch. Or. — *pernicie* codd. Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Pall. Edd. Rom. Ven. Ju. Ern. Ma. St. *perniciei* cod. Franc. prim. *pernicies* Charis. *quorum pernicie nihil divino cons.* Ed. 1472. g) *commodis* Oxonn. C. H. S. T. χ.

lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem [a]) ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus, quid miramur [b]), L. Sullam, quum solus rempublicam regeret orbemque terrarum gubernaret [c]) imperiique maiestatem, quam armis receperat [d]), legibus [e]) confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse? Nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. **132.** Verum ut haec missa faciam, quae iam facta sunt, ex iis, quae nunc [f]) maxime fiunt, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? hoc iudicium [g]) . . . cuius honoris caussa accusare se dixit Erucius? [h]) . . . . .

a) *quem* om. Ox. T. b) *quid miramur, iudices* vet. Schol. c) *gubernet* Ox. H. d) *reciperarat* coniectura Lamb. non recepta. *acceperat* cod. Franc. prim. e) *quum legibus* Oxonn. C. S. ψ. Franc. prim. Ed. Ven. *ut legibus* Oxonn. T. χ. f) *nunc quum maxime* Parr. 4. 1. Rec. St. g) *qui hoc iudicium conflavit?* coni. Lamb. 1566. *Hoc iudicium. Eius hon.* coni. Ren. Boëmor. h) In codd. Oxonn. S. ψ. post *Erucium* spatium est vacuum plusquam paginae et in margine eadem manu scriptum est: *deficit; tantumdem enim in codice antiquissimo deficiebat.* — In cod. Ox. T. nulla lacunae nota. — Cod. Ox. C. habet plusquam totam paginam vacantem. — In cod. Ox. H. spatium est aliquot linearum et in marg. eadem manu scribitur: *deficit hic multum.* — In cod. Ox. χ. parva est lacuna.

Desunt non pauca.

XLVI. ... in vico Pallacine [a]) .... maxime metu ut [b]) [Sullam scilicet] [c]) ... se [d]) .... in Veientanam [e]) ... manu praedia praediis [f]) .... hic ego audire istos cupio [g]) ... aptam [h]) et ratione dispositam se habere existimant [i]), qui in Salentinis [k]) aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuntium possunt.

133. Alter tibi descendit de palatio et aedibus suis; habet animi [l]) relaxandi [m]) caussa rus amoenum et suburbanum, plura [n]) praeterea praedia, neque tamen ullum, nisi praeclarum et propinquum; domus referta [o]) vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa [p]) illa, quam tanto [q]) pretio nuper mercatus est, ut quidam [r]) praetereuntes, qui id pretium enumerari [s]) audiebant, fundum venire arbi-

a) Ex vet. Sch. Or. — b) *metuit* coni. Sch. c) *max.* — — — *scilicet* ex Vet. Schol. Or., sed tamen uncis incl. — Fort. *maxime metuit*, ita ut sequentia sint Schol. d) Ex Vet. Schol. Or. e) Ex Vet. Schol. Or. f) Ex Vet. Schol. Or. g) Ex Vet. Schol. Or. h) *apertam* Ox. χ. i) *existimavit* Ox. χ. k) *Sallentinis* Oxonn. C. H. l) *animi* om. Ox. χ. m) *relaxandi* om. Oxonn. C. T. Eiecit Ma. uncis incl. Or. n) *et plura* Ox. χ. o) *refecta* Ox. χ. p) *aut capsa* Ox. T. q) *tanti* Oxonn. C. H. S. r) *quidam* Cod. Pal. prim. *qui* cett. s) Sic cod. Pal. prim. — *quid pretium enumerare* Oxonn. C. χ. ψ. cod. Guelph.

trarentur. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum [a]), quid marmoris apud illum putatis esse? Tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo [b]) potuit. Familiam vero quantam et quam variis cum artificiis habeat [c]), quid ego dicam? **134.** Mitto hasce artes vulgares [d]), coquos [e]), pistores [f]), lecticarios; animi et aurium caussa [g]) tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum et nervorum et tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. In hac vita, iudices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quae vero convivia? honesta, credo, in eiusmodi domo [h]); si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae et dever-

Parr. 8. 9. 7. Ed. Rom. *quid pretium numerare* Ox. S. Pall. Edd. Ven. Ju. — *pretium numerare* Ox. H. *aliquam pecuniam numerare* Ox. T. *quid preco enum numerare* Parr. 4. 1. Cod. S. Victor., unde Steinm. dedit: *ut, qui praetereuntes, quid praeco enumeraret.* — *ut quidam praetereuntes, qui id praeconi adnumerari.* coni. Grut. — Vulg. *ut, qui praetereuntes pretium enumerari audiebant.* — *enunciari* coni. Ern.

a) Vulg. *signorum?* b) *vi nemo* Ox. χ. c) *habebat* Ox. χ. d) *artis* Oxonn. C. S. e) *cocos* Oxonn. C. S. f) *piscatores* Ox. χ. *pictores* Ox. ψ. g) *eam* Ox. χ. h) *modo* Ox. ψ.

sorium [a]) flagitiorum omnium. 135. Ipse vero quemadmodum composito et delibuto [b]) capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, iudices. Etiam videtis, iudices [c]), ut [d]) omnes [e]) despiciat, ut hominem prae se neminem putet, ut se solum beatum, solum potentem putet. Quae vero efficiat et quae conetur, si velim commemorare, vereor, iudices, ne quis imperitior existimet, me caussam nobilitatis victoriamque voluisse laedere; tametsi meo iure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse a caussa nobilitatis existimet [f]).

XLVII. 136. Sciunt ii, qui me [g]) norunt, me pro illa tenui infirmaque parte [h]), posteaquam id, quod maxime volui, fieri non

a) *deversorium* de Lamb. sent. Bck. Ma. Or. prob. Garat. — *diversorium* Cett. b) *dilibuto* Ox. C. c) *Etiam videtis*, *iud.* Oxonn. C. T. Parr. 8. 9. Cod. Franc. prim. Edd. Rom. Naug. Victor. [*et iam vid. iud.* Ju.] Recc. Graev. Or. probb. Gron. Facciol. *Etiam videtis*, *ut* cod. Guelph. Recc. Ern. Bck. Sch. *Et unum videtis* ex Parr. 4. 1. dedit St. *etiam vid. iud.* om. Grut. Manut. Oliv. uncis incl. Ma. — Fort. *iudices; etiam ut omnes.* d) *ut* om. Grut. e) *homines* cod. Franc. prim. Ed. Ven. 1480. f) *existumet* Ox. C. g) *ne* Ox. χ. h) Excidisse aliquid hoc loco opinatus est Garat. Mox *quum maxime voluerim* Vet. Schol.

potuit, ut componeretur, id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt [a]). Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? Quo in [b]) certamine perditi civis erat non se ad eos iungere, quibus [c]) incolumibus et domi dignitas et foris auctoritas retineretur [d]). Quae perfecta esse et suum cuique honorem et gradum redditum gaudeo, iudices, vehementerque laetor, eaque omnia deorum voluntate, studio populi Romani, consilio et imperio [e]) et felicitate L. Sullae gesta esse intelligo.
137. Quod animadversum [f]) est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt, non debeo reprehendere; quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exstitit [g]), honos habitus est, laudo. Quae ut fierent, iccirco pugnatum esse arbitror, meque [h]) in eo studio partium fuisse confiteor. Sin autem id [i]) actum est et iccirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur et in fortunas uniuscuiusque impetum facerent et id non modo re prohibere non licet, sed ne verbis quidem vituperare, tum

a) *qui vicerunt* om. Ox. T. b) *in* om. Ox. χ. mox *adiungere* Lamb. c) *qui* Ox. χ. d) *retinetur* Ox. χ. e) *auctoritate* Ox. χ. f) *animadvertendum* Ox. χ. g) *existit* Oxonn. H. S. h) *neque* Ox. χ. i) *ubi* Ox. χ.

vero in isto bello non recreatus neque restitutus, sed subactus oppressusque populus Romanus est. 138. Verum longe aliter est; nihil horum est, iudices; non modo non laedetur [a]) caussa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur.

XLVIII. Etenim qui haec vituperare volunt [b]), Chrysogonum tantum posse queruntur; qui laudare volunt, concessum ei non [c]) esse commemorant. Ac iam nihil est, quod quisquam aut [d]) tam stultus aut tam improbus sit, qui dicat: *vellem quidem liceret, hoc dixissem*; dicas licet. *Hoc fecissem*; facias licet; nemo prohibet. *Hoc decrevissem*; decerne [e]), modo recte [f]); omnes approbabunt. *Hoc iudicassem*; laudabunt omnes, si recte [g]) et ordine iudicaris [h]). 139. Dum necesse erat resque [i]) ipsa cogebat, unus omnia poterat; qui posteaquam magistratus creavit legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt [k]), in perpetuum poterunt obtinere; sin has caedes et rapinas et hos tantos

a) *laeditur* Oxonn. C. H. S. T. χ. b) *nolunt* Ox. C. c) *non* om. Ox. ψ. d) *aut* om. Oxonn. C. H. e) *decrevissem decernere* Ox. χ. f) *ratione* Ox. T. g) *ratione* Ox. T. Ed. Ven. 1480. Rec. Sch. h) *iudicares* Ox. χ. i) *res* Ox. χ. k) *reciperarunt* Oxonn. C. S. *receperunt* Naug. Crat. Lamb.

tamque profusos sumptus aut facient aut approbabunt, nolo in eos gravius quidquam ne ominis [a]) quidem caussa, dicere. Unum hoc dico: nostri isti nobiles nisi vigilantes et boni et fortes et misericordes erunt, iis hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant necesse est. **140.** Quapropter desinant aliquando dicere, male aliquem loquutum esse, si quis [b]) vere ac [c]) libere loquutus sit; desinant suam caussam cum Chrysogono communicare; desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari; videant, ne turpe miserumque [d]) sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse. Quae quidem dominatio, iudices, in aliis rebus antea versabatur [e]); nunc vero [f]) quam [g]) viam munitet [h]), quod [i]) iter affectet, videtis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id, quod solum prope in civitate sincerum sanctumque restat. **141.** Hicne etiam sese putat aliquid posse [k]) Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? o rem miseram atque acerbam! Neque

a) *hominis* Oxonn. T. ψ. *homines* Ox. χ. b) *qui* Ox. C. c) *et* Ox. T. d) *miserrimumque* Ox. χ. e) *vexabatur* Ox. ψ. f) *iudices quaero* Ox. χ. g) *qua* coni. Ren. Boëmor. h) *minitet* Ox. χ. *immitet* Ox. ψ. i) *quo* de Ren. Boëmor. sent. Lamb. al. — *et quod* Oxonn. C. T. Ed. Ven. 1480. k) *esse* Ox. χ.

mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit, verum quod ausus est, quod speravit, sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse [a]) innocentis, id ipsum queror.

XLIX. Iccircone exspectata [b]) nobilitas armis atque ferro rem publicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium, bona [c]), fortunas vestras nostrasque [d]) vexare possent? **142.** Si id actum est, fateor me errasse, qui hoc maluerim; fateor insanisse, qui cum illis senserim, tametsi inermis, iudices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento atque emolumento rei publicae populoque Romano [e]) debet esse, tum vero optimo et nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. Quod si quis est, qui et se et caussam laedi putet, quum Chrysogonus vituperetur [f]); is caussam ignorat, se ipsum prope non novit. Caussa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur [g]).

a) *posse* om. Ox. χ. Pall. duo. Cod. S. Victor. Edd. Vett. — quod speravit (*speravit* Graev. Varr. Lectt.) *sese apud viros posse aliquid ad pern. innoc.* Pal. prim., unde Gron. coni. *esse apud tales* etc. — *quod speravit ipse apud tales* etc. omisso *posse* coni. Grut. b) *exspectata* Codd. Oxonn. C. H. T. χ. ψ. Pall. et Edd. Vett. — Vulg. *experrecta.* c) *bona et fort.* de Sch. coni. M. d) *atque nostras* Oxonn. H. S. T. e) *populique Romani* Ox. C. f) *vituperatur* coni. Weisk. g) *resistentior ille* Ox. χ.

Ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur [a]), quum ab hoc splendore caussae separatur [b]).

143. Verum haec omnis oratio, ut iam ante dixi, mea est; qua me uti res publica et dolor meus et istorum iniuria coëgit. Sed Roscius horum nil [c]) indignum putat, neminem accusat, nihil de suo patrimonio queritur; putat homo imperitus morum [d]), agricola et rusticus, ista [e]) omnia, quae vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta; culpa liberatus et crimine nefario solutus cupit a vobis discedere. **144.** Si hac [f]) indigna suspicione careat, animo aequo se carere suis omnibus commodis dicit; rogat oratque te [g]), Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit, si nulla in re te fraudavit, si tibi optima fide sua omnia concessit, annumeravit, appendit, si vestitum [h]), quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tibi tradidit [i]), si ex omnibus

a) *laedatur* Ox. ψ. b) *superatur* Ox. T. c) *nihil* Edd. Ven. Ju. Crat. Lamb. Or. d) *morum civilium* Ed. Ven. 1480. Ju. *imperitus rerum* apud Lamb. in marg. 1584. e) *ista* om. Ox. H. f) *hac* om. Ox. χ. g) *te* om. Ox. χ. h) *vestitus* Ox. C. i) Sic de Lamb. (et Ren. Boëmor.) coni. Aldina posterior. Cett. — *annulumque deditos suum tibi* Oxonn. C. H. S. ψ. — *anullumque dedit os suum sibi* Ox. T. *anulumque dedit. os*

rebus se ipsum nudum neque praeterea quidquam excepit, ut sibi per te liceat innocenti[a]) amicorum opibus vitam in [b]) egestate [c]) degere.

L. 145. Praedia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo; concedo, et quod animus aequus est [d]) et [e]) quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est; fero. Familia mea maxima [f]) uteris, ego servum habeo nullum; patior et ferendum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem laedi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliorum caussa vis [g]) hominem occidere, spoliasti [h]); quid quaeris amplius? Si inimicitiarum, quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cuius ante [i]) praedia possedisti, quam ipsum cognosti? [k]) Sin metuis, ab eone aliquid metuis [l]), quem vides ipsum ab sese [m]) tam [n]) atrocem iniuriam propulsare non posse? Sin, quod [o])

suum sibi Ox. χ. Eadem discrepantia in codd. omnibus. — *os suum tibi trad.* defendd. Hotom. Wernsd. — pro *os* Verb. coni. *rus*.

a) *innocentia* Ox. ψ. b) *in* om. libri nonn. c) *egestatem* Oxonn. S. T. χ. d) *esset* Oxonn. C. H. T. ψ. e) *et* om. Oxonn. C. H. S. f) *maxime* Ed. Ven. g) *velis* Ox. C. h) *spoliasti* om. Oxonn. C. H. S. ψ. i) *antea* Edd. Ven. Ju. Lamb. k) *cognovisti* Ox. T. *cognosci* Ox. S. l) *metuas* cod. Franc. prim. Guelph. Rec. Graev. m) *a se* Oxonn. C. T. *ab se* Ox. H. n) *tamen* Ox. T. o) *quod* om. Oxonn. C. H. T. χ.

bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, iccirco hunc illius filium studes perdere, nonne ostendis, id te vereri, quod praeter ceteros tu [a]) metuere non debeas [b]), ne quando liberis proscriptorum bona patria [c]) reddantur? 146. Facis iniuriam [d]), Chrysogone [e]), si maiorem spem emptionis tuae in huius exitio ponis, quam in iis [f]) rebus, quas L. Sulla gessit. Quod si tibi caussa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis, si tibi omnia sua praeter animam tradidit nec sibi quidquam paternum ne monumenti quidem caussa clam reservavit [g]), per deos immortales! quae ista tanta crudelitas est? quae tam fera immanisque natura? Quis umquam praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut, quum integram praedam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? 147. Scis hunc [h]) nihil habere, nihil

a) *te* Ox. χ. b) *debebas* coni. Heusing. c) *patriam* Ox. C. d) *iniuria* Ox. C. — *facis iniuriam L. Sullae* Lamb. 1566. e) *Chrysogono* Ox. C. f) *iis* Ox. C. Lamb. Or. — Vulg. *his*. g) Sic dedimus ex codd. Vid. not. — *ne monumenti caussa clare servavit* Oxonn. C. H. S. Cod. S. Victor. *ne monumenti quidem clare servavit* cod. Pal. octav. — *dare servavit* Oxonn. T. χ. *clam reservavit* Ox. ψ. *ne monumenti quidem clam servavit* cod. Pal. prim. Vulg. *clam* omittitur. — Pro *monumenti* Ox. χ. *monumentum*. h) *nunc* Oxonn. C. H. S. T. χ.

audere, nihil posse, nihil umquam contra rem tuam cogitasse; et tamen oppugnas eum, quem neque [a]) metuere potes neque odisse debes nec quidquam habere iam reliqui [b]) vides, quod ei detrahere possis; nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides, quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio, nudum expulisti. Quasi vero nescias, hunc et ali et vestiri a Caecilia [c]), spectatissima femina; quae quum patrem clarissimum [d]), amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, quum esset mulier, virtute perfecit, ut, quanto [e]) honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet.

LI. 148. An quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? Mihi crede, si pro patris eius hospitiis [f]) et gratia vellent omnes huius hospites adesse et auderent libere defendere, satis copiose defenderetur; sin autem pro magnitudine iniuriae pro-

a) *quam neque* Ox. *χ*. b) *relinqui* Ox. T. c) Vulg. *Caecilia*, *Balearici filia*, *Nepotis sorore.* — Uncis incl. M. — suspecta Garat. Bck. Sch. — *Bellarii* Oxonn. C. H. *Balearis* Oxonn. S. T. *ψ*. *Halearis* Ox. *χ*. *Nepoti* Ox. H. d) *amplissimum* Ox. *χ*. e) *quantocumque* coni. Lamb. *quum tanto* coni. Ern. *quando* coni. Schell. *quantoquanto* coni. W. f) *hospitiis* — — — *huius* om. Ox. T. *hospitis* Oxonn. C. H. S. *χ*.

que eo, quod summa res publica [a]) in huius periculo tentatur, haec omnes vindicarent [b]), consistere mehercule vobis isto [c]) in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non sane ut moleste ferre adversarii debeant neque ut se potentia superari putent. 149. Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur; fori iudiciique rationem Massala [d]), ut videtis, iudices [e]), suscepit. Qui si iam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret; quoniam ad dicendum impedimento est aetas et pudor, qui ornat aetatem, caussam mihi tradidit [f]), quem [g]) sua caussa cupere ac debere intelligebat; ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscii vita, erepta de manibus sectorum [h]), sententiis iudicum permitteretur. Nimirum, iudices, pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit; haec acta res est, uti nobiles restituerentur in civitatem, qui hoc facerent, quod facere Messalam [i]) videtis; qui caput innocentis defenderent, qui iniuriae resisterent, qui, quantum possent, in salute

a) *re publica* Ox. T. *summa rei publicae* cod. Franc. prim. Crat. Lamb. b) *iudicarent* Ox. ψ. *indicarent* Ox. T. c) *in hoc loco* Ox. χ. d) *Messala* Oxonn. C. S. *Messalla* al. e) *videtis id.* Ox. χ. f) *credidit* Ox. χ. g) *quam* Oxonn. C. H. S. T. ψ. h) *septorum* Ox. C. i) *Messalam* Oxonn. C. H. S. *Messallam* al.

alterius, quam in exitio, mallent [a]) ostendere. Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt [b]), facerent, et res publica ex illis et ipsi ex invidia minus laborarent [c]).

LII. 150. Verum si a Chrysogono, iudices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat, si ille adduci non potest, ut, quum ademerit nobis [d]) omnia, quae nostra erant propria [e]), ne lucem quoque hanc, quae communis est, eripere cupiat, si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit [f]), unum perfugium, iudices, una spes reliqua est Sex. Roscio eademque [g]) rei publicae [h]), vestra pristina bonitas et misericordia; quae si manet, salvi etiam nunc esse possumus; sin ea crudelitas, quae hoc tempore in rem publicam [i]) versata [k]) est, vestros [l]) quo-

a) *malent* Ox. T. b) *sint* Ox. χ. c) *satis laborent* Ox. χ. d) *vobis* Ox. χ. e) *proprie* Lamb. f) *praeditus* Oxonn. C. H. S. T. χ. ψ. Edd. Ven. Ju. Crat. — *nisi etiam sanguine perlitus sit* Lamb. — *nisi etiam crudelitati sanguine perlitarit* coni. Cleric. g) *eademque* Ox. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7. Edd. Rom. Ven. prob. Garat. Rec. St. — Vulg. *eadem, quae.* h) *respublica* Ox. H. i) *rem publicam* Oxonn. C. S. T. ψ. Codd. Pall. Franc. prim. Ed. Ven. — Vulg. *re publica.* k) *crassata* cod. Jannoct. *grassata* cod. Ursin. prob. Garat. *in rem publicam grassata est* Bck. Sch. *in re publ. grassata* Ma. l) *nostros* Ox. T.

que animos, id quod fieri profecto non potest, duriores acerbioresque reddidit [a]), actum est, iudices; inter feras satius est aetatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. **151.** Ad eamne rem vos reservati estis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos sectores ac sicarii iugulare non potuissent? Solent hoc boni imperatores facere, quum proelium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus [b]) effugerint. Dii prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt [c]), praesidium sectorum existimetur. **152.** An vero, iudices, vos non intelligitis, nihil [d]) aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quavis ratione tollantur, et eius rei initium in vestro iureiurando atque in Sex. Roscii periculo quaeri? [e]) Dubium est, ad quem maleficium pertineat, quum videatis ex [f]) altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eumdemque [g])

a) *reddit* Oxonn. C. T. b) *manibus* om. Ox. χ. c) *maluerunt* cod. Franc. prim. d) *aliquid* Ox. χ. e) *quaeri* om. Ox. T. f) *ex* Oxonn. H. S. χ. ψ. cod. Franc. prim. Guelph. Edd. Rom. Ven. Ju. Crat. Lamb. B. Or. St. *in altera* Grut. Oliv. Ma. g) *eumdem* Ox. H.

accusatorem hoc tempore [a]), ex altera parte [b]) egentem, probatum suis filium [c]), in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? Numquid hic [d]) aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt?

LIII. 153. Quod si id vos [e]) suscipitis et ad eamdem rem [f]) operam vestram [g]) profitemini, si iccirco sedetis, ut ad vos adducantur eorum [h]) liberi, quorum bona venierunt, cavete, per deos immortales! iudices, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quam [i]) more maiorum comparatum est [k]), publico consilio factum videretur; hanc vero, quae ad eorum liberos atque ad [l]) infantium

a) *ex altera — tempore* om. Ox. T. b) *parte* om. Lamb. c) *filius* Ox. χ. d) *hic* om. Cod. Franc. prim. Graev. B. M. e) *vos id* Cod. Franc. prim. Graev. Bck. W. f) *ad eamdem rem* Ox. H. Cod. Franc. prim. Graev. Bck. W. M. Or. — *eamdem rem* Ox. C. *eadem rem* Ox. S. Parr. I. 9. *eadem re* Ox. T. *eamdem esse* Ox. χ. *in eam rem* Par. 7. *et eam rem* Par. 4. unde Steinm. dedit *eam in rem.* — *eadem in re* Edd. Rom. Ven. 1480. Ju. Crat. Lamb. Grut. Ern. *eamdem ad rem* Sch. g) *nostram* Ox. T. h) *eorum* om. Ox. χ. i) *quam* om. Ox. ψ. k) *est* om. Oxonn. C. H. S. T. χ. Cod. Franc. prim., in cuius marg. *esset* exaratum est. l) *ad infantium* Oxonn. C. H. S. T. χ. Parr. 4. 1. 8. 9. 7.

puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio a vobis reiicitis et aspernamini, videte, per deos immortales! quem in locum rem publicam perventuram putetis.

154. Homines sapientes et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus res publica maxime laborat, iis maxime mederi convenit. Vestrum nemo est, quin intelligat, populum Romanum, qui quondam in hostes lenissimus [a]) existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate, iudices; hanc pati nolite diutius [b]) in hac re publica versari; quod non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam [c]) hominibus lenissimis [d]) ademit misericordiam consuetudine [e]) incommodorum. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis [f]) amittimus [g]).

Edd. Rom. Ven. 1480. Ju. Crat. Bck. Sch. Or. St. — *ad* om. Cett.

a) *istis lenissimis* Ox. χ. b) *diutius* om. Ox. H. c) *verum etiam quod* Lamb. d) *levissimis* Ox. T. e) *consuetudo* Ox. C. f) *ex animis* om. Cod. Franc. prim. g) *amittemus* Ox. χ. („*Desit fortasse quippiam* subscribunt Herv. Cam. — Contra Lamb. Ern. 1. B. *nihil videtur deesse.*" Or.) —

VETUS SCHOLIASTES.

Cap. I. §. 1. *Credo ego*] Pleonasmus [1]) est in eloquutione; nam quum dixisset *credo*, adiecit *ego*.

Mirari] modo eamdem [2]) partem recurat [3]); quod nullus oratorum ceterorum ad defensionem accessit, potissimum ipse surrexit. Sed dum vult eos timoris excusare, quod sciat eos timuisse, se damnavit audacia.

Ego potissimum surrexerim] Duo sunt, quae quaeruntur in oratore, auctoritas et eloquium. Auctoritas ex nobilitate, eloquium ex doctrina; ut ait Virgilius [4]): ex auctoritate: *tunc pietate gravem ac meritis*; ex eloquio: *ille regit dictis animos.*

Omnes hi, quos videtis] Debet conciliare orator, caussam [5]) quasi non solus defendat.

§. 2. *Quid? ego audacissimus*] Antiptosis [6]).

An tanto officiosior] Officiosiores dicuntur, qui volunt ad suum officium [proprie [7])] pertinere, ut rapiant caussas defendendas.

§. 3. *Ignosci adolescentiae* [8])] Inter *ignoscere* et *cognoscere* hoc interest: *ignoscere* est: erravi, da veniam. *Cognoscere* est: non erravi, audi me. Modo

1) *Pleonasmus* Gr. Verb. Sch. *pleonasmos* Gron. Or. 2) *eamdem* coni. Sch. Rec. Or. — *eadem* Gron. Gr. Verb. 3) *recurat*; „insolenter dictum pro: *paullo post idem argumentum copiosius pectractat*" Schuetz. Idem verbum recurrit cap. 37 et 44 Or. 4) Virg. Aen. I, v. 153. 157. 5) Vulg. *orator caussam, quasi.* Receptam expone: *debet conciliare (sibi eos) orator, caussam quasi* etc. 6) *Antiptosis* Gron. Gr. — „*anterosis* de J. F. Gron. suspic. Sch.; id quod nihil est. Volebat ἀντερώτησις." Orell. 7) *proprie* om. Gron. Or. — dederunt Graev. Verb. — Nos uncis inclus. 8) *ignosce adolescenti* Gron. Gr. Verb. — Recept. praebb. Sch. Or.

vero in hac civitate non modo ignoscendi ratio sublata est, sed etiam cognoscendi [1]).

§. 4. *Accedit illa caussa*] Anadiplosis.

Quod a ceteris forsitan] Si quis amicus petat a me defensionis officium, si praestitero, habeo gratiam salvo officio [2]); si noluero, habeo officium salvum sine gratia; ergo, utrum velim, in potestate mea est. Si quis vero frater petierit, quamquam [3]) propter potentiam suam [4]) Sulla satis timebatur, tamen omnimodo [5]) frater est, cui praestandum est. Possumus [6]) hic dicere: in potestate habemus, utrum velimus an nolimus? [7]) Omnimodo necesse est velle. A ceteris ergo sic petitum est, ut in potestate habeant, utrum velint; a me autem hi petiverunt. . [8]). —

Cap. II. §. 5. *Maximo ingenio*] Messalam maxime significant, cuius maxime [9]) exstant orationes.

Forsitan quaeratis] Particularis narratio loco [10]) principiorum cadit. Narranda caussa fuerat. Admirabilitas summa fuerat, quia nullus alter erat defensor; quare nullus alter [11]) accessit; et [12]) quia praeparandus est iudex in principio benignitate et benevolentia. Caussae vero redditio particularis narratio est.

Quae tot] ex numero.

Ac tales viros] ex persona.

§. 6. *Quae res ea est?*] Hic non narratio incipit, sed est quaedam excusatio.

L. Sulla] Debet servare dignitatem; est enim magna persona.

Potentissimus] Ideo hic effert, ut eludat; ideo adiecit postea *Cornelius*. Hoc dixit irrisione, quia [13]) libertini homines interposito ferme patronorum nomine gloriantur.

1) *ignoscendi* — — *cogn.* Sch. Or. — *cogn.* — — *ignosc.* Gron. Gr. Verb. 2) *gratiam. Salvo officio*] *si noluero.* Or. 3) Sic de Sch. coni. — Vulg. *quia.* 4) Sic de Sch. coni. — Vulg. *sui.* 5) *tamen fr. est, cui omnimodo praest. est.* coni. Sch. 6) *non possumus* coni. Sch. rec. Or. 7) Vulg. *nolimus.* 8) adde: *qui apud me et amicitia et beneficiis et dignitate plurimum possunt.* 9) *maxime* om. Sch. Or. 10) Vulg. *narratio. Loco.* Deinde *loco principiorum cadit* i. e. incipit scripsimus. Vid. Schol. ad §. 61: *cecidit locus communis.* Principia quaenam intelligi velit Schol., disce ex annot. eius ad §. 37. — Vulg. *principiorum cedit.* 11) *nullus alter accessit* Gr. Verb. — *alter* om. Or. 12) Vulg. *Et quia* —. 13) *quia*

In alienam pecuniam] Id est, in alienum patrimonium. Pecuniam dicit universitatem rei familiaris.

Suspicionem omnem] Vide, quemadmodum ad [1]) invidiam et odium ducit verba ipsius et postulationem nequissimam.

Damnato et eiecto] [2]) Modo movetur quaestio: Si parricida in culeum suitur [3]); quare dicit *eiecto* [4])? Quia oratoris est minus dicere poenam rei, ut hic est [5]) in exsilium.

§. 7. *Ego contra brevem postulationem affero*] [6]) Illius postulatio qui indignanter posita fuerat, invidiose loquutus est.

Cap. III. *Primum a Chrysogono*] Ostendit potentiam Chrysogoni et in magnam invidiam adducit adversarium supplicando ipsi.

§. 8. *Quod si aut caussa criminis*] Iudicium bonae caussae esse voluit, quod [7]) sponsionem quamdam apud iudices facere ausus est, ut vel tenui argumento convictus damnationem criminis non excuset. Item tria considerantur in coniectura, caussa, persona, factum.

In deferendo] In accusando, quoniam nomen ad praetorem detulit.

Qui ex civitate] Laus [8]) iudicum, ut benevolentiam capiat. Novimus, quia a Sulla senatus electus fuerat, ut iudex esset. De civitate ergo fit senatus, de senatu iudices.

Cap. IV. §. 9. *Nam commoditati*] Proantidosis. Tribus enim superioribus totidem infra retulit. *Commode* autem dicere nunc hoc significat: pertinenter, utiliter, ornate.

Summus timor] Ostendit, quantum [9]) sit timor.

et q. s. coni. Sch. — Vulg. *qua libertinum hominem interposita ferme patronorum nomina gloriantur.*

1) *in* coni. Sch. 2) Vulg. *damnatum et eiectum*; sed tamen scripsisse *damnato* et *eiecto* scholiastam, docet illud *eiecto*, quod sequitur. Quare Variis scriptt. hanc noluimus inserere discrepantiam. 3) *insuitur* coni. Sch. 4) *eiectum* coni. Sch. 5) Vulg. *dicat.* 6) *affero*] *Illius* coni. Sch. — Vulg. *postulationem*] *Affert illius* etc. 7) Vulg. *voluit; quod* etc. 8) *laus iudicum* de Graev. coni. Verb. Sch. Or. *laudem iudicium* Gron. *laudem iudicum* Gr. 9) *quantus* coni. Or.

Pudor] [1]) Morum.

Venia] prompta benignitate, auxilio, ut Virgilius [2]): *orantes veniam.*

Hoc onus] Permansit in translatione propter Sullanum tempus, et quod subaudimus: *perferam.* [3])

Me onere malo] Melius est, ut opprimat me invidia Sullani temporis, quam ut taceam. [4])

§. 11. *Te quoque maximo opere, Fanni*] Fannius praefuit aliquando huic quaestioni de sicariis. Excitat etiam in hac quaestione ad antiquum severius [5]) exemplum.

Cap. V. *Quanta multitudo*] Est [6]) hoc in rhetoricis praeceptum. Et hoc ad virtutem principii pertinet, quod appellatur. [7])

Longo item intervallo] Quoniam post tempora belli civilis restitutis iudiciis haec prima caussa acta est. [8])

Quum interea caedes indignissimae] [9]) Ergo nulla fuerunt peccata? [10])

Omnes hanc quaestionem] Hoc vult dicere: sicarii isti homines occidebant multos; ut vitarent invidiam, hoc sibi suaserunt continuare scelera. [11])

Dimissu] i. [12]) Praecontempto, relicto habitorum [13]).

§. 12. *M. Fanni, ante pedes vestros*] Anticategoria. Hic illuminat genus caussae, quod et defensionem habeat pro reo [14]) et accusationem in adversarios.

1) *timor*; *pudor*, *morum* Gr. Verb. 2) Aen. I, v. 523. cf. Serv. ad Aen. III, v. 144. IV, v. 435. 3) *Et quod subaudimus perferam me onere malo* Gron. Or. *et quid subaud.* cet. Graev. Verb. *Et* (*eiusmodi*) *quid subaudimus* (*in verbis*) *perferam — — me onere o. malo. Melius est.* coni. Sch. 4) Vulg. *quam taceam.* 5) *severitatis* coni. Or. 6) *Est* Sch. *et* Gron. Gr. Verb. Or. 7) Intell. *M. Fannius.* 8) *habita est* coni. Sch. 9) *indignissimum* Gr. Verb. 10) F. *punita.* J. F. Gronov. rec. Verb. *nullae f. punitae* Sch. Fort. *pacata* sc. loca. 11) Quae verba quid sibi velint ad explicanda haec *omnes h. q.*, haud facile intelligas. Cum prioribus videntur coniungenda; leg. *ergo nulla fuerunt pacata; hoc vult dicere: sicarii isti homines occidebant inulti. Quum vitarent invidiam* (i. e. quum in crimen et invidiam propter Sullanum tempus non adducerentur), *hoc sibi suaserunt, continuare scelera.* 12) Leg. *dimissorum.* Orell. 13) Fort. *habitum iri* Vid. not. crit. 14) *reo* coni. Sch. rec. Or. *eo* Gron. Gr. Verb.

Cap. VI. §. 17. *Erant ei veteres*] Usque ad istam narrationis partem fuit narratio pertinens ad bona, quia non debuit proscribi. Modo ad caedem [1]).

Alterum] Magnum dicit.

Homines eiusmodi] Novimus, quia gladiatores ex factis nomen accipiunt. Si facili ictu caput percusserit, *Capito* dicitur; si multos vicerit, *Magnus*.

Ad eum lanistam] Lanistam describit [2]), quia gladiatorum nomina dixit.

Antea in pugnam] [3]) Sive ante caedem Sex. Roscii, sive ante bellum civile.

Cap. VII. §. 18. *Nam quum hic Sex. Roscius*] Praeparatio a loco vel [4]) argumentum, eum facultatem non habuisse [5]).

Quum hic] Dixit ante rem. Caussa inimicitiarum naturae conveniens. Ergo quia accusatio illorum ad defensionem istius pertinebat, per comparationem facit caput.

Rei familiaris] Hoc ideo, quia dicebant illi, abiectum hunc fuisse a patre, iccirco illum interfecisse, dicit: „voluntas patri aequalis circa filium fuit“.

§. 19. *Primus Ameriam*] Ipsum vult videri immissum [6]), qui occideret [7]) Roscium.

Quidam] Duplex caussa necessitatis. Nam tenuis corrumpi potuit libertinus, qui etiam metuebat offendere.

Cliens] Hoc mire, ut ab inimicis ad caedem subornatus sit, quibus sine dubio debebat obsequium.

Cissis] [8]) Genus vehiculi Gallici.

Volaterrana] [9]) Volaterrana civitas dicitur, quae praecisis undique lateribus ad omnes motus [10]) alto se

1) *eedem* Gr. 2) *Lanistam describit* ex coni. Orell. — Vulg. om. *lanistam*. 3) *ante hanc pugnam* de Graevii coni. Sch. — *antea in* Gron. Gr. Verb. 4) *ad arg.* coni. Sch. 5) Sic dedimus de Sch. coni. — Vulg. *et facultatem non potuisse*. Conieceram *ei facultatem non fuisse*. 6) *missum* coni. Sch. 7) *occiderit* coni. Sch. 8) *Cisiis* Orell. 9) *Volaterrana* Sch. Or. *Voloterrana* bis Gron. Gr. Verb. „Ceterum, quae de Volaterra affert Schol., habent colorem loci ex Historico aliquo vel Geographo desumpti. 10) *Ad omnes motus* corruptum videtur. Requiritur scil. ad omnes caeli partes, tractus. Fuitne: AD OMNIS IIII. VENTOS? Georg. 4, 297. *quattuor addunt Quattuor a ventis — fenestras*“ Orell.

monte suspendit. Haec civitas cum Mario senserat; victis etiam Marianis partibus in eadem constantia perseveravit. Ad ipsam oppugnandam * * *

Cap. XII. §. 34. * * * patitur a servo ex eo, qui facit, id est, Chrysogonus. Ergo modo nata est indignitas, non ex eo, qui patitur, quia Roscii persona est vilis, sed ex eo, qui facit, id est Chrysogonus.

Cap. XIII. §. 35. *Tres sunt*] Partitio caussae, in tres partes dividitur; prima est defensio Roscii, secunda accusatio Rosciorum; tertia ad invidiam Chrysogoni pertinet, quae ex potentia nascitur.

§. 37. *Occidisse patrem*] Extollit magnitudinem criminis, ut fides [1]) derogetur. Quanto enim quaeque magna sunt, tanto in credendo difficilia. Hoc in defensionibus recte facimus ante probationem; in accusationibus autem probato crimine debemus augere. Item dixit principia; dixit narrationem, excessus; nunc summam dicit; summa autem dicitur criminis collectio.

§. 38. *Nonne et audaciam*] Argumentatur [2]) a persona, sitne idonea ad parricidium.

Cap. XIV. §. 39. *Patrem occidit*] Congessit schemata oratoria. Nam per quaestionem [3]) argumentatur; responsionem facit, quotienscumque coniectum est [4]); summa ponitur, incipiens a genere criminationis, naturae conveniens. Caussa lucri, caussa inimicitiarum [5]) patrem occidit; naturae [6]) conveniens. Erucius [7]) voluit [8]) aptam sceleri designare personam; descripsit feram quamdam fuisse naturam Roscii, dicens: miramini, si iste homo, qui in agro et solitudinibus cum nullo vixerit ....? Cicero arripuit luxuriae partes, expugnavit obiectionem Erucii: si enim solus in silvis fuit, luxuriosus esse non potuit.

§. 40. *Quae res igitur tantum*] Auget rem, ut incredibile videatur crimen. Non dixit *scelus*, sed *fu-*

1) *fides* de J. F. Gron. sententia recc. Sch. Or. — Abest a Gron. Gr. edd. 2) *Argumentatur* Gr. Verb. — *Argumentum* Or. tacite. 3) *quaestionem* de Sch. coni. Or. — *quaestum* Gron. Gr. Verb. 4) *coniectum est* Gr. Verb. *coniectura est* Or. 5) „Sic posteriore aetate loquebantur pro *lucri caussa* cet.“ Or. — 6) *naturae* de coni. Or. — *natura* Gron. Gr. Verb Sch. 7) *Erucius*] *Vellet* Gr. Verb. *Erucius vellet* Or. 8) Vulg. *vellet*.

rorem. Et bene dixit furorem. Declaravit, nisi perdita mentis sanitate non posse de parricidio cogitari.

Necesse est enim] Quae caussa est, quare occidit patrem? Quia non placebat patri. Incipit alia caussa.

§. 41. *In unico filio*] Eleganter hoc intulit, quod naturale sit, ut unicis liberis quamvis potantibus [1]) promptius indulgeamus.

Omnium constantissimus] Manifeste namque [2]), quid esset constantia, hîc ostendit, quum contrariam posuit amentiam.

Neque odii caussam] Dicendo, neque odii caussam patri neque sceleris filio [3]) fuisse, expedita facilitate concludit et principalem et incidentem quaestionem.

Cap. XV. §. 43. *Quid ais, Eruci?*] Qualitatem praediorum eam fuisse declarat, quae non magis poenae quam voluptati [4]) esset, quia dicebat, pro poena data esse [5]).

Tot] a numero, *tam pulchra* a qualitate, *tam fructuosa* ab utilitate.

Illius ordinis] illius fortunae.

§. 44. *Quod si constat*] [6]). Nam praefuit, ut dominum et ut patrem decet, non tamen relegatus a patre suo.

Cap. XVI. §. 46. *Etenim si tibi natura concessit*] [7]) Constabat, hunc Erucium incerto patre natum. Hic autem dicebat, propter odium [8]) Roscium ruri relegatum. Modo Cicero alludit. Nam dicebat ille: Vis

1) Vulg. *potentibus*; *petulantibus* vel *impotentibus* coni. J. F. Gron. *peccantibus* Orell. coni. — Nos *potantibus*. [*potoribus*?] 2) *namque* posteriore aetate, veluti *enim*, solebant collocare. 3) Vulg. *neque sceleris fuisse*. — *caussam patris neque sceleris fuisse* coni. Sch. 4) *voluptati* de Sch. coni. Or. — Vulg. *voluntati*. 5) *data esse* de Or. coni. — *dicebat tot praedia* coni. J. F. Gronov. (? Or. Videtur Graevii esse) Rec. Verb. — *quia dicebat tot praedia a numero* coni. Sch. Vulg. *dicebat pro poena*. 6) Vulg. *fortunae. quod si constat. nam*. Unde Orell. *Quid, si constat*] *Nam*. 7) *tibi fortuna non dedit* Sch. Sed vide, ne hoc loco aurum lateat in stercore. Videtur enim veri esse simile, scripsisse Anonymum sic: *Etenim si tibi . . natura . . concessit*; quo fit, ut infra pro *certe dedit* altera nascatur scriptura *certe concessit*. Quae quidem ubi orationis variandae rationem volueris habere, haud sane spernenda videbitur. 8) *propter ipsum* coni. Sch.

nosse, quia [1]) hunc odio pater habuit? [2]) Quum duos haberet filios, quem amabat, secum habebat; quem oderat, ruri dederat. Dicit Cicero: „Agnosce, Eruci, quid dicturus sum [3]). Si tu de incerto patre natus es, nescis [4]), quid sit amor in filios parentum; tamen vel litteris scire potuisti, a quibus alienus non es, quemadmodum diligunt patres [5])." Et dat exemplum. „Apud Caecilium comoediographum inducitur pater quidam, qui habebat duos filios; et illum, quem odio habebat, secum habebat; quem amabat, ruri dedit. Ergo vides, quia [6]) amavit Roscium pater, si quidem hunc agris dederat."

Quid ad istas ineptias abis [7])? *inquit* [8]] [9]) Coepit dicere adversarius: quamdiu me, inquit, ad fabulas vocas? Dicit Tullius: ego quidem habeo multorum exempla, quae proferam, vel amicorum; sed forsitan isti se nominari nolunt. Quamquam quos magis debemus ad exempla proferre, quam comicos? qui ideo a poetis inducuntur, ut illorum [10]) actibus vitae nostrae videamus imaginem.

§. 47. *Vel tribules*] Qui de una tribu sunt, tribules dicuntur.

§. 48. *Age nunc, refer ad* [11]) *animum*] Adhuc in quaestione illa [12]) versatur, quia dicebat adversarius, ideo occisum a filio patrem fuisse, quod ruri semper dedisset operam. Hic dicit, omnibus placere vitam rusticam.

Inopia criminum] Id est, quum non habet, quod obiiciat Erucius Roscio, id obiicit, quod ad laudem Roscii proficit.

Cap. XVII. *Sed permultos ego novi*] Sensus huius capitis talis est: Non modo parentes filios suos volunt studio agendi [13]) detineri [14]), in tantum putant vitam

1) *Cur* coni. Sch. 2) *habuit?* Or. *habuit.* Gron. Gr. Verb. *habuerit* coni. Sch. 3) *sim* coni. Sch. 4) Fort. *nec scis.* 5) *parentes* coni. Sch. 6) *quod* coni. Sch. 7) *habes* Gron. Gr. Verb. 8) Fort. *inquies.* 9) Vulg. *dederat. Quid ad istas ineptias abit, inquit, Coepit — dederat. Coepit dicere adversarius: quid ad i. i. abis? inquit.* Coni. Sch. 10) *in illorum* coni. Sch. 11) *ad* fort. delend. 12) *in illa quaest.* coni. Sch. 13) *agri colendi* coni. Sch. 14) Fort. *teneri. De* enim ortum ex syllaba praecedente.

rusticam optimam, ut et ipsi studio agendi operam dent.

§. 49. *Tu callidior quam hic*] Diversa quidem artificia sunt, sed, quotiens ad finem veniunt, similia sunt, antiquarius [1]) et advocatus. Ars quidem dissimilis est, sed tamen ars est [2]). In sua quisque arte melior illo [3]), qui est [4]) imperitus, in meliore parte est positus. Erucius accusator obiiciebat rusticam vitam Roscio. Dicit Tullius, in hoc meliorem esse Roscium Erucio, quod melior sit ille [5]) agricola, quam ille accusator, illa scilicet conditione, qua superius diximus.

Et artificium obliviscatur] [6]) Sensus talis est: quoniam Chrysogonus vituperavit vitam rusticam, desinat ipse exsequi curam colendorum [7]) agrorum, quos Roscio tulit [8]). Nam licet doleat Roscius, quod amisit agros, tamen contentus est, si vel vitam habeat; ut ostendat [9]), crudelem esse Chrysogonum, qui ne inopia quidem aliena contentus est.

Hoc vero est, quod ferri nullo modo [10]) *potest*] Sensus huius capitis talis est: Caussa, inquit, totius periculi agrorum possessio est; argumentum falsi criminis cultura; nam ideo accusatur [11]) Roscius, quia dives fuit. Id est inventum argumentum criminis, quoniam agros coluit; icoirco dicitur occidisse patrem, quia in agro fuit; sed tamen, inquit, liberatus est omni suspicione; nam ipsos agros aliis coluit, scilicet Chrysogono.

Cap. XVIII. §. 50. *Nae* [12]) *tu, Eruci, accusator esses*] Circa Chrysogonum [13]). Apud antiquos ante dabant ruri aliquos [14]), sic militiae [15]). Dat [16]) autem

1) *agricola* coni. Gr. rec. Sch. 2) *est* delev. Sch. 3) *melior peritus illo* coni. Sch. 4) *qui est* de Sch. sent. recepimus. Vulg. *quum*. 5) *illo* Gron. ille Gr. Verb. Sch. Or. 6) *obliviscar* Gr. Verb. 7) *colendorum* Sch. Or. — *alendorum* Gron. Gr. Verb. 8) *abstulit* coni. Sch. 9) Fort. *id autem agit, ut.* 10) *non* Sch. 11) *accusatus* Gron. 12) *Nec* Gron. Gr. — *nae* Verb. Sch. Or. 13) *circa Chrys.* del. Sch. 14) *Apud antiquos iidem dabant ruri operam, qui militiae* Sch. — *Ap. ant. ante dabant ruri annos aliquos, sic* (i. e. in hac Latinitate *tum demum*) *militiae.* Orell. Fort. *apud antiquos uti dabant ruri aliqui se, sic militiae.* 15) *militiae* Graev. Verb. Sch. — *militia* Gron. Or. 16) *Dat — — Erucium* om. Sch.

exemplum, unde vulneret Erucium. M. Atilius [1]) Serranus semper ruri dabat operam. Hic dum terrae semina mandaret, missi sunt ad eum legati; factus est consul. Aratorium pulverem palma detersit [2]). Ergo hoc dicit Tullius: Tu, Eruci, qui vituperas vitam rusticanam, valde stultus esses [3]) illo tempore, quo Serranus consul factus; si quidem tanta innocentia agrorum est, ut civitati leges referant.

§. 50. *Cupide appetebant*] Hic Sullam tangit, sub quo multi agros suos perdiderunt [4]).

§. 51. *Neque haec profero, quae* [5]) *conferenda sint*] Quasi hoc accusator [6]) obiiciat: Ergo tu confers Roscium et illi [7]) Serrano et ceteris nobilissimis viris." Dicit Cicero: Non ego confero cum his Roscium, sed volo ostendere, tantum posse agros, ut maiores nostri, quum semper rei publicae darent operam, tamen semper agros coluerint [8]).

§. 52. *Patiebatur*] Bene dicit *patiebatur*, quasi magis volenti obtemperaverit pater, quum ipse eum [9]) noluerit [10]) esse.

Quisquam vocabat] [11]) Id est, ad coenam. Severitatem iudicis [12]) risu relaxavit, quoniam ille obiecerat: cum nullo convivium iniit. Dicit Cicero: Quis [13]) eum pasceret, qui et in agro esset semper et numquam invitantem invitaturus esset [14])?

§. 55. *Nemo* [15]) *nostrum est, Eruci*] Apud antiquos eloquentia nullo praemio laudabilior fuit, si quidem omnis ars ex pretio vilior efficitur. Ergo nec accusator nec defensor accipiebat pecuniam. Modo vult ostendere orator, quia accepit pecuniam Erucius, ut accusaret

1) Sic de J. Fr. Gron. coni. Verb. Sch. Or. — Gr. *Manilius.* 2) Vulg. *palmata tersit.* 3) Fort. *stultus habitus esses* Orell. 4) *perdiderant* coni. Sch. 5) *quo* Orell. *quae* Graev. Verb. 6) *accusator* de Graev. coni. Sch. 7) *illi* de Orell. coni. *illo* Gron. Gr. Verb. *cum illo* Sch. 8) *coluerint* Verb. Sch. Or. *coluerunt* Gron. Graev. 9) *eum* om. Graev. 10) *quum ipse voluerit esse* coni. Sch. 11) *vocaret* Graev. Verb. 12) Fort. *iudici* i. e. iudicii aut *indicis* i. e. accusatoris, Erucii. — *coenam. Severitatem iudicis risu* Graev. Verb. Sch. Or. *coenam. Severitatem*] *Judices risu* Gron. 13) *quis* de Sch. coni. Or. — *qui* Gron. Graev. Verb. 14) *esset?* Sch. Or. — *esset.* Gron. Gr. Verb. 15) *Nemini vestrum est, Eruci* Gron. Gr. Verb. Or. Fort. *Nemo enim nostr.*

Roscium. Nam ostendit, cum eo inimicitias nullas [1]) fuisse. Socia ergo res est, ut hoc quadruplatione fecerit. Nam si accusasset aliquis reum et vicisset, quartam partem bonorum eius accipiebat.

Legem Remmiam] Qua, qui calumniabatur, damnabatur, si crimen approbare non poterat.

Cap. XX. *Accusatorem* [2]) *esse*] Semper vitia vicino [3]) timore vilescunt. Ergo in his capitibus hoc dicit Cicero: in civitate semper debent plures accusatores esse, ut timeant improbi vel innocentes [4]). Nam et nocentes [5]) damnari non possunt, nisi accusati fuerint, et si qua erit suspicio innocentibus, dum accusantur, purgari possunt. Ergo non sunt reprehendendi accusatores.

§. 56. *Si* [6]) *anseribus cibaria*] In Capitolio canes et anseres cibaria solebant accipere, propterea quod anseres nuntii sunt hostium, canes ultores; quod enim illi clamoribus nuntiant, illi [7]) morsibus vindicant.

§. 57. *Litteram illam*] Quotienscumque aliquem damnabant iudices, K litteram faciebant; A absolvebant. Hoc ergo dicit Cicero: „Si aliquem sine suspicione accusaveritis, vobis crura frangantur! [8]) Litteram [9]) K sic odistis, ut etiam per ipsam fugiatis Kalendas;“ propterea quod Kalendae per K scribuntur.

Cap. XXI. §. 59. *Publicam*] Bene dixit *publicam*. Ceterum privatas [10]) dixerat, ut Quintianam et ceteras.

Ut vestro consessu [11]) *pro summa*] Hoc vel ad notionem iudicum dixit, quos dicit ita contemptui ductos haberi Erucio [12]), ut etiam hoc potuerit [13]) cogitare; vel certe ad irrisionem dixit.

1) Vulg. *inimicitias fuisse.* 2) *accusatorem esse* Graev. i. e. *accusatore (s) m (ultos) esse.* — *accusatores — esse* Verb. Or. 3) *vicina* Gron. Gr. Verb. — *vicino* de Sch. coni. Or. 4) *improbi.* [Accusandi sunt, si suspicione non careant,] vel innocentes. coni. Sch. male. Expone: improbi etiam tum timeant oportet, etiamsi maleficium admiserint nullum. 5) *nocentes* de J. F. Gron. coni. Sch. *innocentes* Gron. Gr. Verb. Or. 6) *Si* uncis incl. Or. Fort. *Sic.* 7) *hi mors.* coni. Sch. 8) „Non opus est, ut scribamus *frangentur;* si quidem eadem constructione Schol. ad §. 84. *si voluerit — demonstrem.*“ Orell. 9) *litteram* de Sch. coni. Or. — *etiam* Gron. Gr. Verb. 10) *privatas — Quintianam* Sch. Or. — privata — Quintiana Gron. Gr. Verb. 11) *consensu* Graev. Verb. 12) *haberi Erucio* Or. — *habere Erucium* Sch. — *habere Erucio* Gron. Gr. Verb. 13) *potuerit* Sch. Or. — *poterit* Gr. Verb.

Cap. XXII. §. 60. *Simul atque attigi*] Bene dixit, *attigi* potentem et qui se nollet nominari.

§. 61. *Quae quoniam*] Erucium irridet.

De parricidio caussa dicitur] Cecidit locus communis de parricidio, quemadmodum superius, non potuisse parricidium fieri sine caussa.

Cap. XXIII. §. 64. *Non ita multis annis*] Caelius quidam Terracinensis fuit; hic habuit adolescentes filios. Quum in uno conclavi essent [1]), mane pater occisus est [2]). Quum ageretur caussa, argumentabantur accusatores [3]) filiorum, quod ipsi fecissent parricidium. „Poterat, inquiunt [4]), aliquis alius occidere, quum ibidem essent duo filii adolescentes, qui possent defendere? Quum paene vincerentur filii, interrogarunt iudices, quo modo eos invenissent iuvenes? Dixerunt: dormientes. Tunc pronuntiaverant iudices innocentes iuvenes; numquam enim tale facinus habere quietem. Ostendit autem [5]), tantum [6]) valere parricidium, ut statim prodatur conscientia.

Cap. XXIV. §. 66. *Videtisne eos*] Orestes et Alcmaeon. Bonum in parricidio piae mentis exemplum. Isti, si credendum est, matres suas bona mente percusserunt.

Cap. XXV. §. 69. *Quantum prudentia praestiterint his*] Athenienses dicit, unde leges latae sunt.

Solonem dicunt] Solon quidam [7]) Atheniensis fuit; hic legum inventor.

§. 70. *Insui in culleum* [8]) *vivos*] Hic locus a criticis reprehensus est; hunc autem locum [9]) alibi laudat Cicero. Sciendum tamen est, quia in hoc capite genus dicendi altum est; tractat enim de supplicio parricidarum.

Cap. XXVI. §. 71. *Ex quibus omnia nata esse dicuntur*] Qui parentem prosequitur [10]), naturae iura [11])

1) *essent* Graev. in Ed. 1699. Amstel. Sch. Or. — *esset* Gron. Verb. 2) Fort. *occisus inventus est*. 3) *argumentabatur accusator* coni. Sch. — At vide infra *dixerunt*. 4) Vulg. *inquit*. 5) in Cod. suprascriptum *autem* Gr. 6) *tamen* Gron. Gr. — *tantum* Verb. Sch. Or. 7) *quidam* Gron. Graev. Verb. Or. — *quidem* Sch. 8) *culeum* Gr. 9) *locum* om. Sch. 10) Vulg. *persequitur*. Sermo autem de funere parentis ducendo est. 11) *iura* Gron. Verb. Or. *iure persolvit* Graev, *iura solvit* Sch.

persolvit. constat nos a parentibus nutriri. Si qui autem parentes necant, parentibus debent [1]) carere. Ex quattuor elementis constare omnia notum est, aëre, igni, aqua, terra; his etiam nutrimur. Ergo ideo voluere [2]) maiores *parricidas* [3]) insui culleis, ut carerent aëre, terra, igni, aqua, quae nutrirent hominem, quemadmodum parentes. Nam qui parentes necat, debet negari [4]) parentibus, id est, elementis, quae nos nutriunt.

Expiari putantur] Sic hoc dixit, quasi omnia scelera mari expientur.

Cap. XXVII. §. 75. *Frugem neque arborem*] Quia de rusticitate loquitur, exempla ponit arborum.

Cap. XXVIII. §. 77. *Te nunc, Scipio, Metelle* [5])] Scipio urgebat, ut servi Roscii torquerentur, et ex his quaereretur, a quo pater esset occisus.

§. 78. *Veniam neque ita post ad hunc locum*] Hunc locum Cicero differt, ubi [6]) contra Roscios respondet [7]). Nam modo se dicit impediri persona Erucii; modo, inquit, respondeam Erucio, post ad Roscios veniam. Vult autem quaerere, quomodo factum sit parricidium.

Cap. XXIX. §. 80. *Quid ais, Eruci? Vulgo occidebantur*] Dum quaereret Cicero, per quos Roscius patrem suum occidere potuisset, dicebat ab adversariis (eum esse occisum) [8]).

Sectores] Dicuntur, quia [9]) bona proscriptorum emunt. Hic ut adversarios tangeret, hoc dixit: „Nescis, Eruci, hoc tempore esse sectores collorum et bonorum". Nam adversarii occiderant [10]) Roscium et bona eius emerant [11]) tamquam proscripti.

Cap. XXX. §. 83. *Desinamus aliquando ea scrutari*] Modo translationem facit a furtiva re. Proposuerat Cicero, ut de Chrysogoni potentia diceret. Sed quia

1) *debent* Gron. Verb. Or. *debebant* Graev. Sch. 2) *voluere* Gron. Verb. Or. *voluerunt* Graev. Sch. 3) *parricidas* de Sch. sent. Orell. 4) In cod. superscr. c, ut sit *necari*. 5) *Metelle* de Or. sent. — *Scipio*] *Metellus Scipio* Gron. Graev. Verb. Sch. *Scipio, Metellus*] *Scipio* Or. 6) Vulg. *ut*. 7) *respondeat* Or. *respondet* Graev. Verb. 8) *dicebat adversarius* . . . Gron. Verb. Or. — *adversariis* . . . Graev. 9) *quia* Gron. Gr. Verb. *qui* coni. Sch. 10) *occiderant* Orell. *occiderunt* Gron. Gr. Verb. Sch. 11) *emerant* Gron. Graev. Verb. Or. *emerunt* Sch.

vidit superfluum, hoc dixit: desinamus ea quaerere, quae sunt inania; ad crimen veniamus, quod inveniri potest, id est, qui potuerit occidere Roscium.

§. 84. *Alias quoque suas palmas*] Translationem fecit [1]) pugnae gladiatoriae; nam et superius hoc dixit. Palmas enim dicimus victorias gladiatorum. Sensus autem talis est: Capito si voluerit contra nos testimonium dicere, demonstrem flagitia ipsius, quae me scire non putat.

Cap. XXXI. §. 86. *Quid ergo horum negari non* [2]) *potest*] Modo probat omnia, quae dixit.

§. 88. *Restat, iudices, ut hoc dubitemus*] Ibi accusavit; modo comparat et dicit, quia [3]) magis Roscius Capito potuerit occidere quam filius.

Cap. XXXII. §. 89. *Pugna Cannensis accusatorem*] Non intelligebant iudices, quid esset pugna Cannensis; sed emendavit [4]) et praesens exemplum protulit. Multos, inquit, caesos vidimus accusatores, non apud Trasimenum, sed [5]) apud Servilium lacum caesos. Quia dixerat *pugna Cannensis*, dicit *caesos*, quod est pugnae.

Trasumenum] Fluvium [6]) dicit, ubi Hannibal Romanum peremit exercitum.

Servilium vidimus] Ubi Sulla inimicos suos occidit.

§. 90. *Ferro Frugio* [7]] In Ennio haec fabula. Inducitur Achilles [8]), quo tempore propter Briseidam [9]) cum Graecis [10]) pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulixes vulneratus inducitur et fugiens ad Aiacem [11]) venit. Quum interrogaretur ab Aiace, cur fugisset, ille, ut celaret dedecus, vitium [12]): *Quis enim vulneratus* [13]) *ferro Frugio?* Et quo tendit haec fabula? Scimus, Sul-

1) *fecit* Gron. Verb. Or. — *facit* Gr. Sch. 2) *non* uncis incl. Or. Fort. *nunc potest?* 3) *quod* coni. Sch. 4) *inodavit* coni. Sch. — *enucleavit* coni. Orell. 5) Haec de Sch. sent. inseruimus; uncis eadem incl. Or. — Vulg. *non apud Servilium* etc. 6) *Trasimenum lacum*] *Trasimenum fluvium* Graev. Sch. — Receptam praebent Gron. Verb. Or. 7) *Phrygio* coni. Graev. Sch. 8) Vulg. *fabula inducitur Achillis.* 9) Fort. *Briseida.* 10) Aut expone: *una cum Graecis* aut lege *Teucris* vel *Troianis.* 11) Sic de Or. coni. — Nam vide Ovid. Met. XIII, v. 71 sqq. — Vulg. omissa *ad* praepositione *Achillem.* 12) *vitium* est gloss. — *virium* coni. Sch. *dedecus suum* coni. Or. 13) *non vuln.* coni. Sch.

lam in pueritia turpissimum fuisse; unde Sallustius [1]) dixit: *mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.* Frugies [2]) autem dicuntur infames.

Curtios, Marios] Isti omnes accusatores.

Suis vulneribus mederentur [3])] Qui debebant illo [4]) tempore pecunias, et in ipso tumultu occidebant creditores suos.

Cap. XXXIII. §. 93. *Aut eorum, qui in bonis*] Id est, qui volebant alienas res sibi vindicare.

§. 94. *Fateor me sectorem*] Modo [5]) quasi obiectio inimici est et responsio Ciceronis; ut [6]) ille negat se potuisse occidere, hic confirmat.

Cap. XXXIV. §. 95. *Oris tui*] Impudentiae [7]).

Huius maleficio fieri videretur [8]) Multi, inquit, sicarii conscii scelerum de medio fugerunt, ut, quum in iudicium adductus esset Roscius, dum hic caussam dicit, illorum scelera celarentur; sed tamen nemo eorum Roscium accusat; tu, quum ex ipsorum numero sis, Roscium, ut videaris innocens solus, accusas.

Cap. XXXV. §. 98. *Automedontem*] Automedon [9]) Achillis auriga fuit. Posteaquam Achilles Hectorem vicit, posuit aurigam suum in curru, ut iret et nuntiaret occisum Hectorem. Modo alludit Cicero. Roscium Achillem dicit, Glauciam [10]) Automedontem, posteaquam, inquit, occisus est Roscius.

§. 101. *Suum volumen*] Quia testimonium contra Roscium se dicturum pollicebatur.

Cap. XXXVI. §. 102. *Alter ex ipsa caede*] Roscium Magnum dicit.

Alter, si dis immortalibus] Capitonem dicit.

Ita more maiorum comparatum est] Nemo in sua re testimonium dicit; ergo hoc dicit: si Africanus,

1) cf. Jugurth. c. 96. 2) *Fruges* coni. Sch. 3) *mederentur* Graev. 4) *illo* de Sch. sent. Orell. 5) *sectorem*] *Modo quasi* Graev. Sch. Or. — *sectore modo*] *Quasi* Gron. Verb. 6) *ut* Gron. Graev. Verb. Or. — *ut* del. Sch. 7) „In MS. *imprudentiae.*“ Sch. Immo et Gron. et Graev. habent *impud.* Orell. — *imprudentiae* praebet Graev. Ed. 1699. 8) Vulg. *videtur;* scriptum autem fuit *vidētur*, i. e. *videretur*. 9) Sic Graev. Sch. — *Automedon*] *Achillis* Gron. Verb. Orell. 10) *Glauciam* de Graev. coni. Sch. Or. — *Glaucia* Gron. Graev. Verb.

potentissimus vir, aliquid ageret, in iudicio non diceret [1]).

Cap. XXXVII. §. 105. *Chrysogono nuntiatur* [2])] Roscium vult significare nuntiasse, qui etiam nuntium misit Ameriam.

§. 108. *Si nihil in ista pugna Roscii*] Recurat. Ex magnitudine praemii ostendit istos caedis auctores; non enim pro solo nuntio tantum praemium accepissent.

Manubias Rosciis] Manubias dixit, quasi devicto hoste spolia, id est, Roscio.

Cap. XXXVIII. §. 109. *Venit* [in] [3]) *decem primis*] Modo ita ad Capitonem redit et omnia repetit, quae in argumento diximus, quomodo ad Chrysogonum venerit [4]), quomodo legatos induxerit [5]), quomodo non permiserit Sullam adire [6]).

§. 110. *Chrysogono nuntiat*] Idem Capito.

Illum pecuniam grandem] Illum, Chrysogonum.

§. 111. *In privatis rebus*] Mandati iudicium [7]) infamem facit; ut puta: dedi alicui centum libras argenti, ut emeret mihi possessionem; ille emit sexaginta et dixit, se emisse centum et XL [8]) rapuit. Hoc quum cognitum fuerit, infamis fit. Simile crimen est pro socio, ut puta: duo [sunt] [9]) socii; si quis alteri [10]) fraudem fecerit, condemnatus erit infamis.

Alius in alia re] Modo voluntatem tractat; quare nostra amicis mandemus negotia, vel quia, quod nos agere non possumus, alii possunt, vel quia sic amicitiae comparantur, dum nostras res amici quasi suas agant.

Cap. XXXIX. §. 114. *Damnatus per arbitrium* [11])] Id est, iudicio omnium.

§. 115. *Tantidem*] Id est, nulla.

Cap. XL. §. 117. *In eiusmodi vita, iudices*] Ostendit vitam turpissimam Capitonis, modo quia et

1) *in iudicio testimonium in sua re non diceret* coni. Sch. 2) *nuntiatur* ex Cic. — Vulg. *nuntiasset.* 3) [in] Or. — Vulg. *venit decem.* 4) *venerit* Sch. Vulg. *venit.* 5) *induxerit* Sch. Vulg. *induxit.* 6) *Sullam adire* Sch. — Vulg. *adire* om. — 7) Vulg. *in privatis rebus mandat iudicium*] Inf. — *rebus* — *mandati* — *iudicium*] Inf. Orell. 8) *XL* de Sch. sent. supplevit Orell. 9) Vulg. *duo socii si.* 10) *alteri* de Graev. coni. — Vulg. *alter.* 11) *arbitrum* Graev. Sch. Male.

apud quem praemium invenitur et apud quem perfidia et cetera maleficia, ipsum potuisse occidere Roscium.

§. 118. *Lanista*] Omnino Capitonem [1]) dicit.

Aut hic discipulus] Magnum [2]) dicit.

Cap. XLI. §. 120. *Cum Chrysogono sunt*] Ironia. Rusticos enim vult significare, ut ostendat Roscium semper ruri deditum, et Chrysogonum hos servos non tam propter elegantiam [3]) eorum apud se habere, quam propter facti conscientiam.

Cap. XLII. §. 123. *Ego sic existimo, qui quaeri vellet*] Sensus talis est: Qui vult verum quaeri, necesse est, ut illos servos ad quaestionem postulet, qui dicuntur affuisse, quum caedes facta sit. Qui autem non vult ex his quaeri, necesse est, ut ipse hoc faciat [4]).

Cap. XLIII. §. 124. *Venio nunc ad illud nomen aureum*] Modo dicturus de potentia Chrysogoni alludit Cicero de nomine ipsius [5]). Solemus enim nomina ad voluptatem servis imponere, ut Smaragdum, Chrysogonum. Sic et modo Cicero, ut ostendat eum servum fuisse.

§. 125. *Proscriptione — Valeria*] Valerius Flaccus praetor Sullanis temporibus fuit. Hic tulit legem: quicquid Sulla dixisset, lex esset. Si quid ergo ad populum tulisset Sulla, valebat lege Cornelia; si quid voluisset facere et non tulisset ad populum, hoc valebat lege Valeria.

Cap. XLIV. §. 128. *Intelligo, iudices, me ante tempus*] Dicebatur Ciceroni: „De capite omne certamen est, et tu de bonis Roscii dicis.“ Intellexit hoc Cicero. Recurat [6]). „Scio, inquit, iudices, ut, quum pro capite mihi Roscii dicendum sit, redubiam [7]) curem.“ Stultitia autem medici est, ut pro capite panaricium [8])

1) Vulg. *Magnum.* 2) Vulg. *Capitonem.* 3) *propter elegantiam* Sch. — Vulg. *tam elegantia.* 4) Fort. *fecerit.* — 5) *ipsius* Gron. Graev. Verb. Or. — *eius* Sch. 6) *recurat* de Sch. sent. Or. — *Recusat* Gron. Graev. Verb. 7) *Redubia* Gron. Graev. (ed. 1699) Verb. — *reduviam* Sch. Orell. 8) „F. *παρονύχιον*. Sic ad marginem Vossiani Cod. erat a quodam emendatum.“ *Graev.* Scholiastes tamen potuit *panaricium* pro *reduvia* dicere. Sic Appuleius *de virt. herb.* c. 43. Nostri medici graviorem digitorum morbum hoc nomine appellant: (*der Fingerwurm*). Sch.

curet. Notandum autem est, quia bona defendenda sibi dat, capitis periculum Roscio. Sed dicit, haec bona non concupiscere Roscium, sed tantum, ut infamia [1]) parricidii careat.

Redubia curem] Redubia [2]) est vulnus ex ungue, quod graece Panaricium dicitur.

Cap. XLV. §. 130. *Cur tantulo venierint* [3])] Hic ostenditur furtum. Tanta res parvum [4]) pretium habuit.

§. 131. *Quid miramur, iudices*] Venit ad Sullam et tacuit. Noluit servare comparationem, quia scit figurata [5]) esse.

Ex loco deperdito.

In vico Pallacine [6])] Locus, ubi coenaverat Roscius.

Maxime metu ut [7]) *Sullam scilicet* [8])] Deribat tamen. Et ait *se*, id est, suspicionem suam in alium deducit. Hoc enim dicebat Chrysogonus: Non quia [9]) timui, ne mihi tollerentur bona Roscii, ideo eius praedia dissipavi; sed quia aedificabam, in Veientanam [10]) ideo de his transtuli.

Manu praedia [11]) *praediis*] Praediis, occasione; quemadmodum dicimus: fac ad manum illum codicem.

Hic ego audire istos cupio] In hoc capite de potentia Chrysogoni [12]) invidiam facit, ut enumeret singula deliciarum genera, quod habeat plures possessiones, mancipia; quae omnia dicit de rapinis ipsum habere.

Cap. XLVI. §. 133. *Authepsa* [13]) *illa, quam tanto pretio* [14])] Authepsa [15]) vas aquarium [16]), quod interiecta lamina fabricatis arte fornacibus compendium [17]) portat; portati simul ignis contrarii elementi defensa vicinitas.

1) *infamia* Graev. (fortasse ex suo apographo.) Sch. — Or. — *fama* Gron. Verb. 2) *Reduv.* Sch. Or. 3) Sic Or. — *curtatum venerunt* Graev. Verb. 4) *parvum* Sch. Or. — *parum* Gron. Graev. Verb. 5) Fort. *figuratam.* 6) Sic Gron. Verb. Or. *Paltacrine* Graev. Sch. 7) *metuit* coni. Sch. 8) Fort. *m e t u i*[] *Sullam scilicet; der.* etc. 9) *quia* supplevit Sch. — Or. — 10) Cod. *Beientanam;* Gron. Graev. Verb. — *Vei.* de Gron. coni. Sch. Or. 11) F. *manupretia* vel *manupretio* Or. 12) *Chrysogono* coni. Sch. 13) *Autipsa* Gron. Graev. Verb. 14) *quam tant. pret.* om. Or. 15) *autthepsa* Gron. Verb. 16) *aerarium* coni. Sch. 17) de Graev. coni. *calidam* Sch.

§. 134. *Lecticarios*] Lecticarii dicuntur, qui maiores nobiles portant, ut in Verrinis legimus.

Animi et aurium] Animi est, ut pantomimum spectemus, aurium, citharoedum [1]).

§. 135. *A caussa existimet*] Id est, a parte Sullana.

Cap. XLVII. §. 136. *Me pro illa tenui infirmaque*] Pro Mariana, pro equitibus Romanis.

Quum maxime voluerim [2])] Id est, bella civilia.

§. 137. *Animadversum est in eos*] Id est, in Marianos.

Si id actum est iccirco] Sensus talis: non, inquit, iccirco putamus Sullanas partes contra Marianos arma tulisse, ut restitueretur omnibus libertas. Sin autem id actum [3]) est hoc bello, ut liberti homines aliena occupent bona, non est hoc bello data libertas, verum longe aliter. Non, inquit, quisquis vituperat Chrysogonum, iam Sullam vel nobilitatem vituperat, sed malum; nam qui vult vituperare partem Sullanam, dicit, quia Chrysogonus multum potest; qui laudare, dicit, quia tantum posse non debet.

Cap. LII. §. 152. *An vero, iudices*] † dicit, ut hoc iudicio ut [4]) omnium proscriptorum interimantur filii. Deinde dicit, hoc tantum agere Roscios [5]), quia accusant [6]) innocentem, quum ipsi criminosi sint [7]).

Cap. LIII. §. 154. *Homines sapientes*] Sapientis viri est ei rei, quae [8]) laborat, afferre remedium.

Verum etiam hominibus] Semper vicinitas ex aliena rubigine livorem trahit [9]). Monet autem iudices Cicero, ne crudeles sint et incassum interficiant. Quamvis, inquit, aliquis mansuetus sit, tamen visa crudelitate fit crudelior; et praesens crudelitas omittenda est et superior delenda.

F i n i t R o s c i a n a

incipit Pompeiana.

1) *ut cith.* coni. Sch. 2) Lege ex Cic. *quod maxime volui.* Or. 3) *id actum* de Graev. coni. Sch. Or. — *autem ductum* Vulg. 4) *Dicit id agi, ut hoc iudicio omnium.* Sch. 5) *Roscios* ex emend. J. Fr. Gron. Graev. Sch. Or. 6) *qui accusat* Gron. Verb. *quia accusaret* Sch. 7) *sint* de Sch. sent. — *sunt* Gron. Graev. (Ed. 1699) Verb. Orell. 8) *quae* de J. Fr. Gron. coni. Sch. — *qui* Gron. Graev. Verb. 9) Proverbii haec speciem habent. Or.

ANNOTATIONES.

Hanc pro Roscio Amer. orationem ante orationem pro P. Quintio locandam puto, quoniam ante est habita, quam oratio pro Quintio. Quod ita esse cum possim pluribus argumentis demonstrare, hoc uno ero contentus. Oratio pro Sex. Roscio habita est L. Sylla etiam tum dictaturam gerente idque perspicuum esse potest cum ex ea ipsa oratione, tum ex iis, quae scribit L. II de Offic. (c. 14. §. 51.) *Adolescentes contra L. Syllae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino diximus.* At oratio pro P. Quintio habita est vel Sylla mortuo vel certe post depositam ab eo dictaturam; idque intelligere licet ex eo, quod in ea dicit M. Tullius: *Emisti bona Sex. Alpheni L. Sylla dictatore vendente* (c. 24. §. 76). Non dixisset hoc, ut censet Seb. Corradus, Sylla aut dictatore aut etiam si non dictatore, attamen vivo; vereretur enim, ne illum denuo offenderet. *Lambin.* Sed credibilius est, Quintium in iudicio privato, ante Roscium Amerinum in iudicio publico, defensum esse, cum constet, M. Tullium Roscio absoluto contra L. Syllae dominantis opes Athenas secessisse trienniumque Roma afuisse. *Graev.* Examinandus est locus Ciceronis ex hac oratione c. 44. *Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant; nimirum ad Kal. Junias. Aliquot post menses et homo occisus est et bona venisse dicuntur.* Lex Valeria de dictatura Sullae, de proscriptione civium deque bonorum venditione lata est post victum Telesinum Mariumque iuniorem interfectum, ad Kal. Novembr., ut colligitur ex Paterculo et aliis. Fuitque in ea perscriptum, ne post Kal. Junias anni, quo Coss. fuerunt Decula et Dolabella cuiusquam proscripti bona venderentur. Cum igitur ali-

quot post menses occisus fuerit Sex. Roscius pater et multo post accusatus de parricidio filius, sequitur anno sequenti, Sulla II et Metello Coss. habitam fuisse orationem pro Roscio, cum anno superiore dixisset Cicero pro Quintio in iudicio privato. Neque Lambini coniecturae ponderis multum habent. Nam Sulla cos. omnia ad arbitrium suum gerebat, ut recte Tullius *eius dominantis opes* commemoret. Illa vero verba de bonis Alpheni cur Cicero Sulla dominante non dixerit? Neque enim est ea reprehensio, cum Sulla inimicorum bona et eorum, qui Reip. hostes putarentur, lege venderet. Ille igitur iniuria haec se facere arbitraretur? aut illum offenderent, qui illius acta probarent? Quod si post mortuum Sullam Lepido et Catulo Coss., ut ex Floro IV, 23. colligitur, tum demum Quintium Cicero defendit, cur in Graeciam secessisset Sullae metu, ut narrat auctor gravissimus Plutarchus? Denique sic Tulliana tempora omnia perturbarentur, cum anno post Lepidum Cos. Quaestor in Siciliam iverit Cicero, ut ex Verrinis patet. Qui enim Graeco itineri locus relinquetur? Sed Lambinus hic reprobare quodammodo ipse suam sententiam videtur, quam summo studio defendere coeperat. *Ferrat.* Gellium, ex qua harum orationum annos non obiter, sed studiose habemus expositos, miror a Lambino et Ferratio praeteritum. *Garaton.* Lambinum, eximia doctrina hominem, insigne illud Auli Gellii fugisse testimonium, quo hanc pro Sex. Roscio orationem post Quintianam habitam esse luculenter comprobatur, credibile non est vel propterea, quod Seb. Corradi, quem ipse laudat, sententiam sequutus (cf. Corr. Quaest. p. 31 et p. 256) ab eodem de Gellii commentatione doceri facile potuit. cf. Corr. Quaest. p. 32. De industria igitur, veluti ipse Corradus, Gellii videtur postposuisse auctoritatem. Haec autem Gellius l. XV, c. 28. *Dinumeratis quippe annis a Q. Caepione et Q. Serrano, quibus consulibus ante diem III Nonas Ianuarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium et Cn. Dolabellam, quibus consulibus caussam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, sex et viginti anni reperiuntur. Neque dubium est, quin post annum, quam pro Quintio dixerat, Sex. Roscium reum parri-*

cidii defenderit, annos iam septem et viginti natus, L. Sulla Felice Q. Metello Pio Consulibus. Non attenderunt viri docti ad verba *caussam privatam*, ex quibus id, quod supra Graevius proposuit, verissimum esse evincitur; orator enim in Bruto (§. 311) fatetur ipse, eodem tempore se ad caussas et privatas et publicas adisse, sed tamen *primam publicam* dictam esse pro Sex. Roscio. Alia autem eaque haud parvi facienda ex eodem nata est testimonio controversia, quum Ciceronem septem et viginti annos natum hanc egisse caussam Gellius scripserit. Qua in re quum affirmarit, assentiri sibi Asconium Pedianum, Fenestellam in eo vituperantem, quod oratorem sexto et vicesimo aetatis anno Roscium defendisse prodiderit, Fenestellae autem sententiam quum confirmet Quintilianus l. XII, c. 6, hodie alios aliter statuere videmus; cff. Corrad. l. l. Hotoman. Beck. Steinmetz. Matth. in Argumm. Utra vera sit opinio, ex ipsius Ciceronis testimoniis potest comprobari. Natum esse sese scribit eodem anno, quo L. Crassus legem suaserit Serviliam, qui tum annos habuerit quattuor et triginta; natum enim eum esse Q. Caepione et C. Laelio Coss.; totidem autem annis eumdem sibi aetate praestitisse. cf. Brut. c. 43. §. 161. Unde consequitur, Crassum a. u. 613. C. Laelio Sapiente et Q. Servilio Caepione Q. F. CN. N. Coss., Ciceronem autem a. u. 647 Q. Servilio Caepione Q. F. CN. N. et C. Atilio Serrano Coss. natum esse. cf. Fast. Capitolin. Sed tamen Ciceronem quum constet L. Sulla II et Metello Pio Coss. (a. u. 673) patrocinatum esse Sex. Roscio, necessario consectarium est, eumdem, quum natus esset a. d. III. Nonas Jan. a. u. 647, nonnisi *sex et viginti* tum explevisse annos, revera autem egisse annum aetatis *septimum et vicesimum.* Quid ergo? qui annum septimum et vicesimum nondum explevit, eumne septem et viginti annos natum esse dices? Pessime autem annos dinumeravit Steinmetzius, utpote qui, licet ipse hanc pro Sex. Roscio orationem M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. u. c. 672 (cf. Argum. apud Steinm.) habitam esse contenderit, id quod vel maxime Gellii refutatur testimonio, tamen oratorem tum septem et viginti annos natum fuisse asseveret.

Absolutum esse Sex. Roscium tum ex iis, quae Manutius et Hotomanus in argumm. protulerunt tum ex his Plutarchi verbis (Vit. Cic. c. 3.) satis apparet: ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη. Quod autem addit Plutarchus, metu L. Sullae Ciceronem in Graeciam abisse atque propter valetudinis infirmitatem id iter sese facere simulasse, id addubitatum ab doctis hominibus est. cff. Middleton in Vit. Vol. I, p. 42. Seb. Corrad. Quaest. p. 32. 33 Matth. in argum. p. 4. ed. pr. Sunt autem haec potissimum, quae dubitationem excitarunt, quod ipsum in Bruto c. 91. §. 313. 314. videamus copiose exponentem, cur hoc in Graeciam iter intenderit; deinde ex eodem loco manifesto colligi, integrum annum post hoc iudicium eum Romae remansisse atque eo tempore Arretinae mulieris caussam item contra L. Sullae voluntatem egisse. cf. pr. Caecin. c. 33. §. 97. Quae quidem argumenta quam sint lubrica, quivis facile perspicit. Quid enim? integrum annum eum post S. Roscii iudicium in urbe moratum esse num ex eo comprobabitur, quod biennium ipse dixerit in caussis se versatum esse, antequam in Asiam proficisceretur? — At vero a. u. 672 pro Quintio dixit, anno post patronus Roscio exstitit; quare ad explendum illud biennium integer accedat annus necesse est. — Quasi hoc sit credibile, eum, simulatque consilium ceperit ad caussas adeundi, continuo Quintii caussam suscepisse, ac non illud potius statuendum, non plane inexercitatum accessisse eum ad hoc officium. cf. pro Quint. c. 1. §. 2. *Verum ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis et ingenio parum possum* ex quibus certe aliquem artis oratoriae usum habuisse eum abunde patet. Quid? ex biennii commemoratione nonne illud certissime evincitur, eum haud ita multo post caussam pro Sex. Roscio dictam in Asiam concessisse? Neque de Arretinae mulieris defensione, quo tempore habita sit, certi quidquam potest definiri. Sed de ea posthac videbimus. — At vero Cicero ipse post Sex. Roscii caussam deinceps multas sese attulisse scribit, non minus elaboratas quam priorem. — Quid tandem est, cur extemplo eum urbem reliquisse ac se praecipitem fugae mandasse existimemus? Quod si id certe a sese non potuit impetrare L. Sulla,

is qui proscriptione atrocissima finita multis iisque saluberrimis legibus civitatem ad quietem revocare studebat et ad tranquillitatem, ut ira percitus crudelissima illius patronum Sex. Roscii impigre functum officio poena afficeret itaque sibi suisque institutis ipse repugnaret foedissime, profecto sine ullo periculo oratorem in urbe commorari potuisse nihil est, cur negemus; inque eo impositum esse Plutarcho facile concedimus. Chrysogonum autem, libertum illum L. Sullae vel potentissimum, etiamsi ab initio item remitteret iste paullisper iracundiam, ut patroni legibus aperte ne videretur illudere, tamen eum fore, qui ab ulciscendi studio sese in perpetuum contineret, vix potuit ac ne vix quidem Cicero sibi persuadere. Illius igitur timendae insidiae; ab illo Tullius sese defenderet necesse erat. Accedit quod, qui oratorem timido fuisse animo affirmant, haud ita multum ab vero videntur aberrare. Quae quum ita sint, sic nobis videtur statuendum esse, Ciceronem tum quod primo sese tutum fore speraret, tum quod, ut gloriae erat cupidissimus, nihil esse gloriosius existimaret atque honestius, quam susceptum deinceps aliarum caussarum patrocinium, unum alterumve mensem post Sex. Roscii caussam in urbe remansisse, sed metu posthac ambitionis studium superante ex Italia decessisse. Verum tamen ita testimonium, quod de valetudinis suae infirmitate fecerit orator ipse in Bruto l. l., plane infringi manifestum est. Quid? tam misere mentitum esse Ciceronem num est credibile? Quod convicium ei ne faciamus, nos eiusdem commonent ipsius verba, quae leguntur Orat. pro Quint. c. 10. §. 34. *neque tamen tam multa verba faciam; propterea quod et ab illo, qui ante dixit, informata iam caussa est et a me, qui neque excogitare neque pronuntiare multa possum, brevitas postulatur; quae mihimet ipsi amicissima est.* Lateribus igitur quum, ut ipse dicit in Bruto, laboraret, profecto verbis *neque pronuntiare multa possum* nihil potuit significare aliud, quam pulmonum illam imbecillitatem magis magisque auctam magna laterum contentione. Orationem autem pro Quintio habuit, ut supra est ostensum, anno ante Roscianam; unde consequitur, de valetudinis infirmitate omnino non posse dubitari. Quod

quum ita sit, oratorem statuo, plane ut Plutarchus, eam in rem suam convertisse ita, ut, tametsi propter evitandum vitae periculum ab Chrysogono haud dubie imminens urbe cessisset, tamen hoc nonnisi ob levandam virium debilitatem factum videretur. Iisdem autem mensibus, quos post defensum Roscium Romae est commoratus, si qui voluerit Arretinae mulieris caussam actam esse contendere, nil repugnabimus; de argumentis, quibus id çonfirmet, viderit ipse; certe ex illo loco pro Caecin. l. l. nihil poterit elici.

Cap. I. §. 1. *Is qui neque aetate — comparandus*] Pronomen *is* abest ab omnibus aliis, quos vidi, et antiquis et impressis libris; et abest tantum meo iudicio, non deest. *Hotom.* Retinuit tamen ex duobus MSis Parisiensibus Lallemandus. Sic infra c. 13. *Chrysogonus autem, is qui plurimum potest, potentia pugnat. Garaton.* MSS 2. Pariss. et edd. nonn. *is qui neque aetate* — Modestia Cic. iubebat potius hoc pronomen omitti. *Beck.* Pronomen *is*, quod recentiores, quod sciam, omnes repudiarunt, non dubitavi revocare, Lambini sequutus auctoritatem et Lallemandi, quippe quod optime id fere officiat, quod orator videtur exprimere voluisse. Jure autem mirere, qui factum, ut Beckium praeterierit sententiae vis et gravitas, quantumvis acute propriam vocularum *is qui* significationem perspicientem. Judicum enim inesse vult cogitationem orator mirantium, quid sit, quod ipse prae reliquis ad dicendum surrexerit, quum tamen is sit, qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate cum iis, qui sedeant, comparetur. Ipse igitur arrogantiae quasi se accusat et immodestiae, sed quam infra excuset vel ita, ut inde summi pudoris ipsi nascatur laus et verecundiae. Cui explicationi quanto opere faveat orationis initium *credo ego vos* et q. s. non est, quod addam. Deinde vix dici potest, quantum ponderis sic accedat praecedenti pronomini *ego;* accuratius enim describitur atque accumulatur, ita ut ficta haec iudicum reprehensio eo magis eluceat. cf. Cic. ad Att. XIV, 21. §. 4. *Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est divulgare.* Pro Caecin. c. 3. §. 8. *Etenim si praetor, is qui iudicia dat, numquam petitori prae-*

stituat, qua actione illum uti velit, videte et q. s. Divin. in Caecil. c. 21. §. 69. *Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non poenitebat tum, quum P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit, accusabat M'. Aquillium.* In Verr. II, c. 34. §. 83. III, c. 53. §. 122. IV, c. 61. §. 137. V, c. 59. §. 155. cf. Goerenz. Acadd. II, c. 15. §. 45. qui parenthesin iunctim inchoare haec pronomina statuit. Non probo. Qui pronomen *is* omittunt, vim verborum *mirari quid sit* non minus, quam sequentium *ego potissimum* omnino videntur debilitare ac deminuere.

§. 1. *cum iis, qui sedeant, comparandus*] Pro *iis*, quod libri praebent plurimi, Lamb. Junt. Crat. exhibent *his*, quod confirmant cod. Paris. 1. et Palimpsestus Niebuhrii, idque receperunt Orellius, Steinmetzius. Quantum autem creet molestiae haec in libris vett. sexcenties obvia pronominum *iis* et *his* confusio, cuique, opinor, sat cognitum est. cf. Goerenz. de Legg. I, c. 9. §. 27. Acadd. I, c. 4. §. 16. Heusing. ad Offic. I, c. 38, 7. Sed tamen difficile est ad definiendum, quantum in hac re tribuatur codicum auctoritati; equidem in eo puto acquiescendum, praesertim quum hoc corruptelae genus ita sit comparatum, ut ne optimi quidem libri eo careant, ut tum demum, id, quod plurimi iique praestantiores libri praebeant, modo sententiae omnino ne repugnet, amplectendum esse statuam; contra libris multifariam in diversa abeuntibus id oportere in verborum ordinem recipi, quod cum loco ipso videatur optime convenire. Recte igitur Ernestius restituit de Finib. I, c. 4. §. 12. *his litteris* pro *iis;* contra Heusing. de Off. l. l. *iis* reposuit, ubi libri nonnulli *his;* neque iniuria. Quod quum ita sit, sane defendere posset aliquis *iis*, quippe quod pro *talibus* i. e. hominibus nobilissimis et aetate et ingenio et auctoritate eximiis, esset accipiendum, id quod ex prioribus *quum — sedeant* consectarium fere videretur. cf. pr. Quint. c. 1. §. 5. *certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit, aut* etc. — Pr. Milon. c. 12. §. 32. *sed etiam, ut iis consulibus praetor esset quibus si non adiuvantibus, at conniventibus certe speraret posse se eludere in illis suis cogitatis furoribus;* ubi libri fere omnes *his*, et

pauciores tantum *hiis* praebent. Verum enim vero homines illi nobilissimi quum praesentes adessent, oratorem non tantum iudicum auditorumque animos ad eos excitare, verum etiam suam ipsius mentem oculosque ad eos flectere oportebat ita, ut semet ipsum summa eos colere observantia testificaretur. Eumque revera oculos in viros istos nobilissimos coniicere, manifesto docent sequentia: *omnes enim hi.* Quare *his* scripturam hoc loco repudiare noluimus. cf. pro Quint. c. 1. §. 4.

§. 1. *Omnes enim hi*] Rationis subiectio novo modo et omnino praeter consuetudinem posita; nam particula *enim* caussam, cur mirarentur, afferri debebat; nunc cur alii sedeant ostendit. *Hotom.* Omittunt *enim* Vetus Schol. et Pal. Niebuhrii, id quod probabile visum est Niebuhrio, Orellio. Quid igitur? particula *enim* num eiicienda? Quod quo minus a nobis impetremus, impedimento illud est vel maxime, quod ea omissa verborum comprehensiones pessime inter sese cohaereant. Deinde in propatulo est, librarios *enim* expunxisse, propterea quod insolenter dictum esse videretur *omnes enim* pro *omnes autem.* Namque oratio proprie sic erat conformanda: *omnes autem hi, quos videtis adesse, tametsi in hac caussa iniuriam — putant oportere defendi, tamen defendere ipsi* etc. Quod quum intelligerent librarii, etiam post *defendere* verbum excidisse opinati sunt. Quo factum, ut certe is, qui palimpsestum exaravit, orationis resarciendae caussa et *enim* omitteret et post *defendere* insereret *autem.* Nil moror. Retinenda igitur librorum scriptura *omnes enim hi*, cui optimum nasci videmus explicatum, ubi animo suppleantur haec: *sed nolite mirari iudices.* Constat enim saepenumero hac particula rationem reddi sententiae non oratione expressae, sed animo conformandae; cf. Tuscull. II, c. 24. §. 59. *Num tum ingemuisse Epaminondam putas, quum una cum sanguine vitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam acceperat servientem.* Quo loco supplenda animo haec sunt: *non ingemuit.* Uberius hanc Latinorum loquendi consuetudinem explicavit et exemplis illustravit Ramshorn. Gr. Lat. §. 191, 1. p. 817 ed. alt. Tenendum autem, id quod ex nostro loco vel

maxime perspicuum est, non ubique ex antecedentibus, quae cogitatione complectenda sit sententia, palam fieri, sed eam demum ex iis nonnumquam ipsis, quae particula *enim* annectuntur, dilucide apparere. Quod ne ex hoc solo, quem tractamus, loco nos colligere existimes, accuratius pondera, quae leguntur apud Ciceronem Tuscull. IV, c. 25. §. 55. *At commode dixit Afranius: dummodo doleat aliquid, doleat quidlubet. Dixit enim de adolescente perdito ac dissoluto, nos autem de constanti viro ac sapienti quaerimus.* Etenim verba *dixit enim de ad.* respondentis fere sunt, quae cave ne caussam putes afferre praecedentium; ex ipsis enim ratio repetenda est, cur non quadrent Afranii verba; nam supple animo: *sed hoc non quaerimus.* Quod quum ita sit, non satis caute nobis videtur egisse Wunderus, qui, tametsi hanc loquendi consuetudinem omnino non oppugnat, tamen eatenus ei repugnat, ut eam tum demum posse locum habere contendat, ubi nonnisi ex antecedentibus sententia, quae suppleatur, possit intelligi. Praeterea haec addit: „Deinde uero alienum omnino a Latinorum loquendi consuetudine iudico, ut post enuntiationes condicionales, qualis haec est, de qua disputatur, ita sequatur *enim* particula, ut ea sententiae, quae ex enuntiatione condicionali conligi demum potest nec diserte enuntiatast, ratio reddatur.“ cf. ad Orat. pr. Planc. p. 221. Disputat autem de his verbis: *Vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem, quem profecto non videbam. Ubi enim praesto fuissent mihi aut tam fortes consules, quam L. Opimius...?* Libri plurimi iidemque praestantissimi omittunt verba: *quem profecto non videbam*, sed in Garatoniano codice margini sunt adscripta; retinuit ea Wunderus, nobis quovis pacto videntur exstirpanda esse. Etenim verba: *ubi enim praesto* etc. nil nisi hoc declarant, consules fortes non praesto fuisse; unde sequitur: finem vincendi non potuisse conspici. Sed non tantum ex hisce, sed etiam ex antecedentibus eadem sententia manifesto colligitur. Quid enim? in iis num quis haec esse primaria: *vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum* Wundero concedet? Conditionalis est enuntiatio, quae plane cogitari nequit,

nisi conditio ipsa, si non oratione, at certe animo addatur. Quocirca verba *vinci — viderem* nullo modo possunt divelli eorumque sensus omnino hic est: *sed vinci improbos a bonis non fuit praeclarum, quum finem tum vincendi non viderem. Nam fortes consules non praesto fuerunt et q. s.* Praeterea iure licet mirari, quid sit, quod Wunderus post enuntiationem conditionalem taceri posse sententiam negarit. Quid tandem est, quod reprehendas, si qui nostratium fortasse dixerit: *ich würde zu dir gekommen sein, wenn ich dich zu Hause vermuthet hätte; denn pflegst du dich nach Tische je in deiner Wohnung zu befinden?* Quod si illud certum est, omnino sententiam ante *enim* posse omitti, prorsus nihil dubitamus statuere, eidem consuetudini etiam post conditionalem locum esse enuntiationem. Persuasissimum igitur nobis est, verba *quem profecto non videbam* miserum esse librarii alicuius additamentum.

§. 1. *quos videtis adesse, in hac caussa*] Post *adesse* commate recte interpungit Heusing., ut *in hac caussa* ad seqq. referatur. *Beck.* Vulg. *quos videtis adesse in hac caussa.* — Heusingerum sequutus est Schuetzius, neque nos ab eo voluimus dissentire, tum quod oratorem plerumque videmus advocatos sic describentem, uti infra §. 2. *quos videtis adesse.* Divin. in Caecil. C. I. §. 1. *si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur*; ibid. c. 4. §. 13. *eos, qui adsunt, appellabo;* ibid. *scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus;* tum quod verba *in hac caussa* aptius cum sequentibus videntur coniungenda; cf. §. 7. *et in hac caussa Sex. Roscii periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis.* §. 12. *ut hoc cogitetis, nisi in hac caussa, qui vester animus sit, ostend.* et q. s.

§. 1. *Novo scelere*] Accusatorum; et *novum* sic accipio, inauditum, singulare, nefarium. Terentius (Phorm. V, 8, 79.)

Neque huius sis veritus foeminae primariae,
Quin novo modo eii faceres contumeliam. (*Bentl.*)

Hotom. Quia, qui patrem Roscii revera occiderant, filium accusant parricidii. *Facciol.*

§. 1. *defendere ipsi*] *defendere autem ipsi* Pal. Nieb. prob. Nieb. Sed saepe sic intruduntur a glossatoribus et librariis particulae adversativae. *Orell.* Recte; vide, quae annotata sunt ad verba antecedentia *omnes enim.* cf. Heus. ad Off. I, c. 30. §. 7. III, c. 29, 14. pro Rosc. am. §. 116. *socium vero cavere qui possumus?* ubi iubentt. mss. expunxit *vero* Steinmetzius.

§. 1. *quia periculum metuunt*] Pro *metuunt* Pal. Nieb. *vitant*, quam probavit scripturam Niebuhrius; nos plurimorum librorum sequi maluimus auctoritatem. Etenim *vitamus*, quod ante pedes est; *metuimus* id, quod ne immineat timemus. cf. §. 8. *ab his hoc postulare homines sicarios atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam* et q. s. Brut. c. 91. §. 314. *sed quum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi me et periculum vitare posse et temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea caussa mihi proficiscendi in Asiam fuit.* Dicet quispiam: Quid? summum Sex. Roscii patrono periculum nonne ab L. Corn. Sulla haud dubie imminebat ita, ut nonnisi perpetua posset *vitari* illud taciturnitate? Quibus addi possunt, quae de summa temporum iniquitate infra conquestus est ipse Tullius his verbis §. 3. *tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de civitate sublata est.* Quam argumentationem consideres velim paullo accuratius. Iccircone tacebant viri illi nobilissimi, *quia periculum vitabant?* Minime. Vitabant enim periculum taciturnitate sua, i. e. quia tacebant. Unde consequitur, oratorem hunc locum certe scribere oportuisse sic: *taceant autem iccirco, ut periculum vitent.* Quod quum ita sit, in vulgata *metuunt* est acquiescendum, cui praeterea multum accedit ponderis ex eo, quod summam haec scriptura verborum efficit concinnitatem; optime enim sibi respondent *adsint* — *sequuntur* i. e. venerint (cf. annot. ad §. 13.) officium sequentes, et *taceant* — *metuunt* h. e. taciti assident periculum metuentes.

§. 2. *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus?*] Schuetzius verba male distinxit, id quod merito reprehensum est ab Orellio, *quid? ergo aud.* — In quod

vitium, quum, quid sit discriminis inter formulas *quid ergo?* et *quid? ergo*, non videatur exploratu dignum iudicasse, saepenumero incidit. cf. de N. D. I, c. 30. §. 84. in Verr. IV, c. 46. §. 102. de Divin. II, c. 67. §. 138. Neque Beierus ita rem explanavit, ut omni ex parte quaestio absoluta videri debeat. cf. de Offic. III, c. 20. (Tom. II, p. 336). Illud quidem recte vidit, ubique *quid ergo?* scribendum esse, ubi vel transitum faciat formula, uti de Fato c. 2. §. 3. in Verr. III, c. 38. §. 86. ibid. c. 60. §. 140. *Quid ergo? est aliquid, quod improbius fieri potest.* vel ubi obiiciatur aliquid, uti nostro loco; cf. Epp. ad Att. XIV, 14. §. 2. de N. D. I, c. 30. §. 84. in Verr. IV, c. 46. §. 102. Ab hisce locis haud sane discrepant, quibus antecedentia respiciuntur vel ita, ut necessario consectarium ex iis aliquid esse contendatur, sed quod concedi non queat. cf. Acadd. Pr. II, c. 29. §. 92. — *quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est?* Tuscull. II, c. 13. §. 31. III, c. 18. §. 39. ib. c. 32. §. 78. V, c. 39. §. 114. de Divin. II, c. 67. §. 138. Alia autem ratio eorum locorum est, quibus mirabundi interrogationem voculis *quid ergo* inchoatam deprehendimus; inque eo ab vero aberravit Beierus, quod in iis item *quid ergo?* censuit scribi oportere. Id enim mirabundi proprium, ut solum illud *quid?* exclamet; quo fit, ut *ergo* particula magis ad sequentia spectet eisque vim addat maiorem. cf. Acadd. Post. I, c. 4. §. 13. *Quid? ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, familiari nostro, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere?* In Verr. V, c. 48. §. 105. *Quid? ergo iste homo — testis relinquetur?* ubi editt. *quid ergo?* Indignabundi interrogationem his locis reperies: Divin. in Caecil. c. 12. §. 40. *Fortasse dices: quid? ergo haec in te sunt omnia?* Eadem restituenda est interpunctio Tuscull. III, c. 20. §. 46. *Dicet aliquis: quid? ergo tu Epicurum existimas ista voluisse aut libidinosas eius fuisse sententias?* Item Verrin. II, c. 23. §. 57. Philipp. II, c. 9. §. 21. Item pro Caecin. c. 17. §. 50. Orator enim, posteaquam ostendere conatus est, quam sit ridiculum in propria verbi *deiectus* significatione tenacius haerere,

non sine indignatione in verba erumpit: *quid? ergo hoc interdictum putamus eorum esse caussa compositum, qui se praecipitatos ex locis superioribus dicerent.*

§. 2. *An tanto officiosior*] Cod. Jannoctii *aut.* Scholiastes *an.* Utrumque vulg. *at* melius mihi videtur; iamque *an* Scholiaste non inspecto coniecerat Facciolatus. *Garaton.* Codd. omnes praeter librum Jannoct. et veterem Schol. *at* praebent; quae scriptura quantumvis optime respondere nostrae linguae indoli videatur (aber um so viel — —?), tamen posthabenda visa est, propterea quod non tam ab Ciceronis dictione quam ab Latinorum loquendi consuetudine omnino alienissima est. Etenim propriam si volueris accurate ponderare particulae *at* significationem, quam praeclare docuit Ramsh. Gr. L. §. 190, 4. p. 842. ed. alt., eam in interrogatione nonnisi sic poni posse concedes, ut sequatur pronomen interrogativum. cf. in Verr. I, c. 46. §. 116. *At — quid est, quod de hoc dici possit?* ib. V, c. 29. §. 73. *At quemadmodum ipse sese induit priore actione?* vid. infra §. 105. — Quamquam in hoc quoque structurae genere videndum, ne quem inducas interrogantem, quem exclamantem deprehendimus. cf. pr. Cluent. c. 70. §. 199. *At quae mater!* ubi Editt. *mater?* — Quod quum ita sit, probabile sane videbitur, si qui pro pronomine etiam particulas interrogativas in his enuntiatis locum habere posse contenderit; qui argutius disputabit, eas posse omitti sibi persuadebit. cf. Ramsh. Gr. L. §. 174. b. p. 700. Utriusque structurae exempla non suppeditant; sed tamen, si qua sunt, cum nostro loco ea conferri non posse in propatulo est. Quid enim? nonne *at* particulam omnibus his locis retinere propriam suam significationem intelligitur? non id, quod obiicitur, demum interrogando efferri, ita ut *at* particula nonnisi obiiciendi vim habeat, interrogationi ne minimum quidem serviat, concedendum? Prorsus alia nostri loci est ratio; arctissime enim cum praecedente cohaerent verba interrogatione, ut, si minus oratorie Cicero dicere voluisset, sic fere dixisset: *num audacissimus ego, an tanto officiosior?* Quid? in his num ulla cogitari potest obiectio? Age dum, pone; et tollendum interrogationis signum est, ita ut adversarium aliquem sibi finxisse

Ciceronem statuendum sit, qui diceret: *at tanto efficiosior, quam ceteri.* Quod quam sit alienum ab loci sensu, facile intelligitur ex sequentibus: *ne istius quidem laudis ita sim* cupidus et q. s. Accedit autem, quod in locis, qualis est, quem tractamus, ubique Tullius *an* particula usus est. cf. in Verr. III, c. 80. §. 187. *quae porro praefatio tuae donationis? Illa scilicet vetus atque imperatoria: quando tu quidem in proelio in bello in re militari? Cuius ne mentio quidem te praetore ulla facta est. An illa: quandoquidem* et q. s.? Ibid. V, c. 29. §. 74. *quamobrem etiam suspicabare? Inimicum* habebas neminem; *si haberes, tamen non ita vixeras, ut metum judicii propositum habere deberes. An te — conscientia timidum suspiciosumque faciebat? Qui igitur* etc. De N. D. I, c. 9. §. 23. de Orat. I, c. 9. §. 37. Orat. pr. Marcell. c. 7. §. 21. ad Fam. II, 4. §. 1. Quare Goerenzio non adstipulandum, qui de N. D. I, cap. 30. §. 84. *at* voluit restitui; recte idem *an* pro *at* scriptum fuisse suspicatur de Finib. II, c. 26. §. 83. Quod quum ita sit, nostro loco *an* in verborum ordinem recepimus. Libri Jannoctiani scripturam *aut* qui volet accuratius examinare, conferat, quae leguntur Parad. I, §. 7. *Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus?* de Fato c. 3. §. 5. *Quid enim? si Daphitae fatum fuit ex equo cadere atque ita perire, ex hocne equo — nomen habebat alienum aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur?* de Orat. I, c. 12. §. 50. Quam nos cur repudiarimus, optime docebunt haec: de Re publ. I, c. 13. §. 19. *Quid tandem agebatis, aut cui sermoni nos intervenimus?* Cat. Mai. c. 17. §. 61. *Quid de Paullo aut Africano loquar?* — Denique velim attendas, id quod cumuli loco addam, ad scripturam cod. Jannoct. *aut* paullo accuratius; littera enim *t* geminatione ortum est ex sequente *tanto*; qua deleta remanet *au*, i. e. *an*.

§. 2. *Ne istius quidem laudis ita sim cupidus*] Sic pro vulg. *sum* Pal. Nieb. al. prob. Nieb. Haud sane spernenda scriptura, quae tanta nobis prae se ferre veritatis argumenta visa est, ut in verborum seriem eam

recipere non dubitaremus. Etenim ubi accuratius attenderis ad antecedens *minime* eique contuleris verba *ne istius quidem — sum cupidus*, profecto non poteris negare, oratorem videri fere contemnere voluisse officiosi laboris laudem. Quod ne in sese caderet, consulto praecavisse videtur dicendo *sim cupidus*. Optime igitur sententiam explicavit Matthiaeus sic: *cupio quidem me hoc nomine laudari, sed non ita, ut alii minus officiosi videantur.* Sed hanc receptae magis, quam vulgatae, cui adstipulatus ipse est, scripturae interpretationem esse in propatulo est.

§. 3. *ego etiam si omnia*] Hunc quoque locum Palimpsesti Nieb. *ego autem si* praebentis vexat auctoritas. cf. Beneck. ad Cic. pro Leg. manil. p. 136. Sed non patiar umquam, nos optimae reliquorum ad unum omnium librorum scripturae facere iacturam. Quae sequuntur infra: *ego si quid liberius dixero*, particulam *autem* non exhibent. Dices fortasse, iisdem verbis item non legi *etiam* voculam. En! adde, si placet, priora: *si verbum de republica fecisset*, quibus *etiam* particula aeque desideratur. Sed tamen videre licet, hasce verborum comprehensiones plane esse diversas. Verba nostra *si omnia — libere dixero*, quae prioribus *si verbum — fecisset* accurate respondent, summa vi sunt pronuntianda; quo factum, ut nostro loco in seqq. addiderit orator *nequaquam tamen*, quae tantum faciunt ad stabiliendam *etiam si* scripturam, ut ea, ubi libri praeberent *autem si*, de coniectura fere videretur esse restituenda.

§. 3. *Temere dicta concedi*] Est ignosci; libr. VI. (ad Fam.) ep. 6 ad Caecinam (§. 9.): *non putat se sustinere posse caussas multorum, si tibi, cui iustius videtur irasci posse, concesserit.* h. e. si tibi ignoverit. Orat. pro Marcello (c. 1. §. 3) *Cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti*, delictis ignoscere et illorum poenam remittere. Suet. Neron. c. 29. Ideoque professis apud se obscoenitatem cetera quoque concessit delicta. *Graev.*

§. 3. *Non modo ignoscendi, verum et cognoscendi*] Hoc significat: Si quid ad Sullam, quasi de ipso liberius dictum, perfertur, non modo ei, qui dixerit,

Ciceronem statuendum sit, qui diceret: *at tanto efficacior, quam ceteri.* Quod quam sit alienum ab loci sensu, facile intelligitur ex sequentibus: *ne istius quidem laudis ita sim* cupidus et q. s. Accedit autem, quod in locis, qualis est, quem tractamus, ubique Tullius *an* particula usus est. cf. in Verr. III, c. 80. §. 187. *quae porro praefatio tuae donationis? Illa scilicet vetus atque imperatoria: quando tu quidem in proelio in bello in re militari? Cuius ne mentio quidem te praetore ulla facta est. An illa: quandoquidem* et q. s.? Ibid. V, c. 29. §. 74. *quamobrem etiam suspicabare?* Inimicum habebas neminem; *si haberes, tamen non ita vixeras, ut metum iudicii propositum habere deberes. An te — conscientia timidum suspiciosumque faciebat? Qui igitur* etc. De N. D. I, c. 9. §. 23. de Orat. I, c. 9. §. 37. Orat. pr. Marcell. c. 7. §. 21. ad Fam. II, 4. §. 1. Quare Gocrenzio non adstipulandum, qui de N. D. I, cap. 30. §. 84. *at voluit* restitui; recte idem *an* pro *at* scriptum fuisse suspicatur de Finib. II, c. 26. §. 83. Quod quum ita sit, nostro loco *an* in verborum ordinem recepimus. Libri Jannoctiani scripturam *aut* qui volet accuratius examinare, conferat, quae leguntur Parad. I, §. 7. *Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus?* de Fato c. 3. §. 5. *Quid enim? si Daphitae fatum fuit ex equo cadere atque ita perire, ex hocne equo — nomen habebat alienum aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur?* de Orat. I, c. 12. §. 50. Quam nos cur repudiarimus, optime docebunt haec: de Re publ. I, c. 13. §. 19. *Quid tandem agebatis, aut cui sermoni nos intervenimus?* Cat. Mai. c. 17. §. 61. *Quid de Paullo aut Africano loquar?* — Denique velim attendas, id quod cumuli loco addam, ad scripturam cod. Jannoct. *aut* paullo accuratius; littera enim *t* geminatione ortum est ex sequente *tanto*; qua deleta remanet *au*, i. e. *an*.

§. 2. *Ne istius quidem laudis ita sim cupidus*] Sic pro vulg. *sum* Pal. Nieb. al. prob. Nieb. Haud sane spernenda scriptura, quae tanta nobis prae se ferre veritatis argumenta visa est, ut in verborum seriem eam

Etenim u
ie eique c
dus, profe
: contemne
in sese cad
sim cupidi
iiaeus sic:
non ita, 1
c receptae
se est, sc
it.

omnia] H
m si prae
ro Leg. m
optimae re
e facere i
l liberius
s fortasse,
En! adde,
cisset, qui
nen videre
ne esse di
e dixero,
: responder
ut nostro
tamen, qu
cripturam,
oniectura

concedi] E
nam (§. 9
ultorum, s
sserit. h.
§. 3) *C*
concessisti
:. Suet. N
penitatem

noscendi,
quid ad
ur, non n

non ignoscitur, sed etiam incognita caussa damnatur. Videtur autem ad illud Terentianum allusisse (Heaut. II, 1. 6.). *Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus. Hotom.* Videtur imitatus Terentianum illud in Eunucho prol. vers. 42. *Aequam est vos cognoscere, atque ignoscere. Facciol.* Memorabilis est lectio, quam supra protulit Hotomanus: *verum et cognoscendi etc.* Quae ex calami errore utrum profecta sit, an ex libris excitata, nescio. Quicquid est, sententiae eam optime favere docet praeclara Bremii annotatio ad Corn. Nep. vit. Thras. c. 1. §. 5, ubi haec habes: *non solum princeps sed et solus initio bellum his indixit;* eademque interpretanda sic: *nicht nur — sondern sogar.* cf. in Verr. Act. 1, c. 1. §. 1. *non solum Romae, sed et apud exteras nationes.* vid. Zumpt. Gr. L. §. 335. p. 292. ed. VI. Accedit, quod in seqq. iterum *iam* legitur; insolens autem eiusdem particulae repetitio est. —

§. 4. *ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur*] Quia non, ut a me, contenderunt ii, qui apud eos et amicitia et beneficiis et dignitate plurimum possent; ita licuit iis Roscii caussam salvo officio non suscipere, quod mihi non licuit. *Manut.* Roscius ab iis forsitan petiit, ut vel ipsi pro se caussam agerent, vel, qui eamdem susciperet, patronum quempiam reperirent. Iccirco putarunt, satis a se Roscio factum iri, si caussam Ciceroni demandassent, ipsi vero adessent advocati. Non enim probo, quod Manutius ait, ea de caussa licuisse viris nobilibus Roscii caussam salvo officio non suscipere, quia non, ut a Cicerone *contenderunt ii, qui* etc.; neque hanc video esse oratoris sententiam. Quodnam igitur erat virorum nobilium officium? Scilicet clientis et hospitis vitam defendere; idque praestare debebant uno Roscio rogante, etiamsi ab iis nemo alius eam rem contenderet. Quodnam autem ipsius Ciceronis officium? Ei quum non esset cum Roscio aut hospitium aut consuetudo, non in gratiam Roscii caussam illius suscipere, sed talium virorum, a quibus rogabatur, auctoritatem non aspernari. Omnia haec satis manifesta sunt. *Ferrat.* Rem optime perspexit Manutius neque audiendus Ferratius est. Etenim illud *utrumvis* ad nihil potest aliud

referri nisi aut ad defendendum aut non defendendum reum; neque Ferratius quo divinationis genere suam invenerit interpretationem, ullo modo intelligitur. Clientelae enim, ad quas provocat vir doctissimus, Ciceronis aetate, ubi exceperis libertinorum statum et conditiones, honoris magis, quam ullius officii gratia instituebantur; urbes enim oppidave ubi in patroni gratiam suffragia sua ferebant, id profecto non certi officii sed grati animi signum fuit. Quid enim? hospites si necesse fuisset vitam clientum defenderent, num patrocinandi locus ullo modo fuisset Ciceroni?

§. 4. *negligere debeam*] Evidens est Ciceronem scripsisse *debebam.* Est enim sermo de praeterito et esse deberet *debeo,* si praesenti uti voluisset. *Ernest.* Coniunctivus positus est, quia haec: *quorum — debeam*, caussam continent, cur, quod illi ab ipso contenderant, faciendum sibi esse existimaverit. Vid. Spicil. obss. de anacoluthis p. 4. not. — Si dixisset *debebam*, significasset, debuisse quidem se iis obtemperare, sed non obtemperasse. *Matth.* *Debeam* librorum omnium scriptura est, quam praeter Ernestum, quod sciam, omnes retinuerunt editores. Sed Matthiaei ut comprobemus interpretationem, quid tandem his fiet: *qui possunt?* Quid iisdem continetur aliud, nisi Ciceronem contendentibus iis, quibus propter amicitiam, beneficia, dignitatem denegari nil posset, omnino deesse non potuisse? An in utroque rationem reddit orator enuntiato, cur sibi non licuerit Roscii caussam non suscipere? Quod si concesseris, profecto cum Ernestio scribendum vel *debeo* vel, quod longe praestantius est, *debebam.* Sed mihi videor intelligere, quid sit illud, quod Ciceronem dicere voluisse existimet Matthiaeus; nimirum hoc: *a me autem contenderunt ii, qui apud me tantum possunt, ut quam rem cumque a me impetrent, quum eorum ego — debeam.* Nil profecto refragarer, ubi priore membro omissa essent *et amicitia et beneficiis et dignitate.* At vide, quam ieiune eadem in seqq. repetantur; respondet enim *benevolentia beneficiis*, *dignitati* auctoritas, *voluntas* amicitiae. Quam si ullo modo volueris, si non exstinguere, certe paullisper levare difficultatem, epexegesis statuenda et cum Ernesto *debebam* retinendum est.

At me increpantes audio editores, quod Ernestii ausim errorem renovare, quippe quum *debebam* nonnisi hoc significet, debuisse quidem se iis obtemperare, sed non obtemperasse. cf. Matth. Steinm. Quid, quaeso, sentiret magnus ille interpres, si posteris in re tam perspicua tam mire impositum esse videret? Ridiculum profecto est existimare, Ernestum tam manca atque inchoata vulgaris huius dicendi consuetudinis cognitione imbutum fuisse, ut contra eam tantum non pueriliter peccaret. Quid multa? cff. in Verr. IV, c. 9. §. 20. *Tritici modium LX millia empta populo Romano dare debebant et solebant; abs te solo remissum est.* Ibid. c. 28. §. 65. *Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis et pulcherrimis gemmis esse debebat.* Ibid. c. 66. §. 147. *Respondi homini, ut potui, ut volui, ut debui.* Ibid. V, c. 21. §. 52. *Te igitur auctore et interprete ne foro quidem et commeatu Mamertini populum Romanum iuvare debuerunt.* Ib. c. 24. §. 60. pro Cluent. c. 10. §. 29. c. 22. §. 60. c. 27. §. 74. c. 43. §. 121. de Re publ. I, c. 7. §. 12. pr. Muren. c. 2. §. 5. Ernesti emendationem recipere non ausus sum; sed rem denuo investigandam peritis relinquo.

Cap. II. §. 5. *His de caussis ego huic caussae patronus exstiti*] Sic libri omnes. Neque probe dici *caussae alicui patr. exsistere* quisquam ibit infitias. cf. pr. Muren. c. 2. §. 4. Verendum igitur, ne nodum videar in scirpo quaerere. Quicquid est, libere dicam, quod sentio. Etenim vox *caussae* valde est suspecta vel propterea, quod eadem fere diversa significatione statim antecedat; certe concinnior foret oratio, si pronomen *huic* ad ipsum referretur Sex. Roscium, quem paullo post orator compellat. cf. §. 28. *huic autem patronos — defuturos.* §. 30. 58. Videtur enim *caussae*, ab imperito aliquo librario, qui ad pronomen *huic* animo supplendum putaret *caussae* idque durius esse sibi persuaderet, explicandi gratia margini adscriptum esse, unde postea in verba ipsa receptum est. Vid. §. 2. *ut caussam Sex. Roscii reciperem?* Quod si eo quoque loco legeremus *hanc caussam*, profecto tacuissem.

§. 6. *duobus millibus nummum*] Scutatis sexaginta; nummus enim et sestertius idem sunt. Plutarchus (vit.

Cic. c. 3.) empta dicit duobus millibus drachmarum, quadruplicata summa, id est octo millibus nummum. Nam Drachma, Graecus nummus, denario fere Romano respondet; denarius autem quattuor complectitur sestertios. *Manut.* *Duob. m. n.* id est sestertiorum; nam et nummus dicitur praecise et *sestertius* et *nummus sestertius*. Respondet autem haec summa nostratis pecuniae aureis scutatis quinquaginta. *Hotom.* Sic etiam Ernestus et antea Manutius, qui Plutarchi dissensum primus notasse videtur. Is enim in vita Cic. c. 3. *δισχιλίων δραχμῶν* habet, quod vertitur *octo millibus nummum* a Xylandro, XX *millibus aeris* ab aliis, quae summam eamdem conficiunt. Itaque Scaliger aliique permulti Plutarchum existimant vehementer errasse. Sed dignissima lectu est Joh. Rualdi, qui Plutarchi errores castigabat, animadversio XXVII. Qua cum hac in re tuetur diligentissime Tulliumque putat non hic sestertios sed denarios significasse, quorum duo millia sestertios faciunt octies millenos; acute vero insolentem hunc loquendi modum ex vetustis auctoribus elicit ex Plautoque potissimum. Quidni rem Cicero ambiguo verbo, a quo mendacium abesset, extenuare voluerit? Si tamen Plutarchus adhuc est errare cogendus, erroris certe fontem in hac ambiguitate conspicimus. *Garaton.*

§. 6. *vel potentissimus hoc tempore*] Particula *vel* hoc loco idem valet ac *facile*, *procul dubio*. *Facciol.* Affert in exemplum Charisius inter Grammaticos Putschii p. 90. *Garaton.*

§. 6. *qui se — stimulat ac pungit*] Quia oratio obliqua est, Cicero sine dubio scripsit *stimulet ac pungat*; itaque edidi. *Ernest.* Debebat dicere vel *qui se stimulet ac pungat* e Chrysogoni persona, vel, e sua, *qui eum stimulat ac pungit*. Sed nonnumquam Cicero utrumque dicendi modum jungit, ut Verr. V, 49 in. *Dexio hic, quem videtis, — non quae privatim sibi eripuisti — flagitat.* De Divin. I, 54. *Socrates — Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum, postea quam exposuit, quae sibi videbantur, — inquit.* Contra Verr. IV, 39, 84. *audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, — Mercurium qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur — huius vi*

esse sublatum, pro *qui apud eos colebatur* vel *qui apud se coleretur. Matth.* Jure tuetur contra Ernestum hoc loco Mathiaeus librorum scripturam *stimulat ac pungit*; sed tamen num ratione factum, ut id, quod legimus, orator scriberet, id quidem vehementer dubito. Perspicuum est enim, vim sententiae longe esse maiorem, si Chrysogonum verba *qui — pungit* fere dicentem audimus; idque voluisse Tullium, manifesto pronomen *se* docet. Sed tamen consulto subiunctivum videtur repudiasse iccirco, quod iis verbis vim scrupuli sane quam adaugentibus participium voluit cirsumscribi, veluti: *scrupulum se dies noctesque stimulantem ac pungentem.* Eadem ratione explicanda verba in Verr. V, c. 49. §. 128. *Dexio hic non publice Tyndari, non privatim sibi erepta, sed et q. s.* Item de divin. l. l. verbis *quae sibi videbantur*, non significatur quidquam aliud nisi: *sententiam suam*; hoc loco si voluisset singulari numero uti Cicero, scripsisset *quod sibi videbatur.* cf. Goerenz. de Legg. III, c. 7. §. 12. Zumpt. Gr. L. §. 546. p. 441. ed. VI. Accedit quod dicendo *stimulat ac pungit* id profecto optime effecit Cicero, ut Chrysogonum revera summo timore concuti et angore eo magis appareret. cf. Caes. B. C. I, c. 34. *Loquitur Afranius, non esse aut ipsis aut militibus succensendum, quod fidem servare — voluerunt.* cf. Ramshorn. Gr. L. §. 186. p. 798. ed. alt., qui plura suppeditat exempla. Non autem debuit Matthiaeus comparare Tullianum illud in Verr. IV, c. 39. §. 84, ut *eos* pro *se* usum esse oratorem doceret. Verba enim *Mercurium — sublatum* Ciceronis sunt, id quod sequentia *Tyndaritanis non solum suae* et q. s. luculenter comprobant. Sententia enim haec est: *audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis*; iam paullisper deflexit orator cogitationem, quasi retardatus appositione *hom. hon. etc.*, ita ut haec fere animo repeteret: *audistis igitur, Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus Karthagine capta Tyndaritanis non solum suae victoriae sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, huius vi — esse sublatum.* Jam vide, quam probe quadrent sequentia.

§. 6. *ut ad hanc suam praedam*] Magis placeret *et ad hanc. Hotom. Ut ad hanc*; sic Pall. et S. Victoris et vetuste cusi; coniecit Hotomanus *et ad hanc*, quod arripuit avide Lambinus aliique. *Gruter.* Recepit *et* Manutius etiam. *Graev.* Recte vulgatam defendit Matthiaeus: „Verbis *ut — vos profiteamini* repetitur sententia verborum *hunc scrupulum — ut evellatis*, sed ita, ut indignitas postulationis magis elucescat. Nos diceremus: id est, *ut — vos prof.*“ —

§. 7. *aliquanto aequiorem*] i. e. *multo* aeq. cf. §. 130. *deinde quare aliquanto post eam diem venierint, quae dies in lege praefinita est?* cf. Heusing. ad Offic. I, 1, 2. —

Cap. III. §. 8. *Quamobrem videantur illi nonnihil*] Sic omnes quidem lib. habent; sed Jo. Passeratius, homo summo ingenio et summa doctrina praeditus, arbitratur legendum: *quam rem videantur illi tamen secuti etc.* deleta voce *nonnihil*; cui plane assentior. *Lambin.* Vulg. retinuerunt editores omnes; recte. cf. pro Quint. c. 30. §. 94.

§. 8. *quod antea — consuerunt*] Scripsi consuerant, quod necessarium esse omnes moniti sentient. *Ernest.* Retinui, quod in omn. libb. est: *consuerunt* (ed. Ven. *consueverunt)* pro quo Ern dedit: consuerant. Nam idem est, quod: antea assecuti sunt. *Beck.* Praeclaram Ernesti emendationem praeter Matthiaeum omnes, quod sciam, editores posthabuerunt, praeterquam quod probabilis Orellio visa est. Res, si quid video, facillime sic diiudicabitur. Etenim *consuevi facere* si hoc propemodum est: et feci rem et nunc facio, i. e. soleo f., profecto *consueveram* i. e. solebam, nonnisi de rebus vel historicis (cf. in Verr. II, c. 60. §. 160.) vel de iis usurpatur, quae, licet antea factae sint, nunc non amplius fieri dicuntur; quae significatio ut magis appareat, plerumque *antea* additur. cff. pro Caecin. c. 17. §. 49. *nam eo verbo antea praetores in hoc interdicto uti solebant*; i. e. nunc non utuntur. in Verr. V, c. 35. §. 93. Non *enim, sicut antea consuetudo erat.* ibid. c. 68. §. 176. *quam antea contemnere solebatis.* pr. Cluent. c. 9. §. 27. Quod si idem, quod fit, etiam antea factum esse verbis est declarandum, aut peculiari

id indicatur vocabulo, uti pro Caecin. c. 21. §. 59. *qui etiam antea — esse in agro consueverant*, aut *consueverunt* scribendum. cf. pr. Cluent. c. 48. §. 134. *Itaque is, cuius arbitrio et populus Romanus et exterae gentes contentae esse consuerunt, ipse sua conscientia ad ignominiam alterius contentus non fuit.* Quo loco libri plurimi *consuerunt;* Ernestus editionis Junt. scripturam *consuerant* comprobavit eamque receperunt editores. Male; non enim sermo est de P. Africano ut viro fortissimo, praeclarissimo, cui obtemperarint ad unum omnes, sed de eodem ut qui fuerit censor; is igitur, cuius arbitrio omnes *solent* contenti esse, sua conscientia, cui nemo praeterea auctor accederet, alterum ignominia noluit afficere. Quod quum ita sit, etiam nostro loco *consuerant* scriptum fuisse certissimum est. Quamquam negari nequit, id certe oratorem nolle confirmare, T. Roscios revera non amplius esse sectores atque sicarios, quum id ipsum saepenumero haud sane obscure significet, tamen hoc loco, ut plane singularem eorum ostendat audaciam, eos iam eo licentiae progredi contendit, ut non amplius scelere atque ferro, sed plane nova ratione et inaudita praedam sibi acquisituri videantur. Locus simillimus, qui, quodcumque superent controversiae, ni fallor, dirimet, hic est: *Quid sibi iste vult? accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat?* cf. Div. in Caec. c. 21. §. 70, ubi *consueverat* omnium libb. auctoritate confirmatur; sententia autem haec: Quid? is, qui defendit semper, non amplius hoc officio fungetur, sed accusatoris partes sibi deposcere conabitur? —

§. 8. *ex senatu in hoc iudicium delecti estis*] Lege Glaucia licebat accusatori centum edere iudices, reo quinquaginta; sed ii non in urnam coniiciebantur (id quod docuit ad h. l. Hotomanus B.) sed sine sortitione caussam cognoscebant, ita tamen, ut accusatori liceret ex iudicibus, quos reus ediderat, sibi suspectos reiicere, et reo idem ius erat reiiciendi ex iudicibus ab accusatore editis suspectos; uterque alios sublegebat. Praetor autem quum iudices daret, omnium decuriarum nomina in urnam mittebat, ut numerus is exiret iudicum, qui lege ad iudicandum de hoc crimine erat definitus. Re-

motis ab accusatore et reo suspectis fiebat subsortitio, sed tum non edebantur ab accusatore et reo iudices. *Graev.* Uberius de hac re disputavit Heinecc. Antiqq. R. IV, t. 18. §. 23. p. 760. Sed non semper reo licuit iudices ab accusatore editos reiicere, id quod a Wundero virorum doctorum errores strenue castigante praeclare ostensum est ad Orat. pr. Planc. p. LXXVII. ubi, quid sit discriminis inter *editicios* et *editos* iudices, primus docuit. Etenim editicii sunt, qui ab accusatore ita sunt constituti, ut eorum neminem reus possit reiicere; editi vocantur, quos accusator delegit ita, ut reiici ab reo possint. cf. pro Planc. c. 27. §. 41. pro Muren. c. 23. §. 47. —

§. 8. *hoc iudicio ornati auctique discedant*] Visum est addendum *ex* hoc iudicio, propter verbum discedant, quod fere sic constuitur. *Ernest.* Servanda librorum scriptura est, quum *hoc iud.* non cum *discedant* sed cum *ornati auct.* sit coniungendum; idque docet orator ipse, quum supra sic loquatur: *vos idoneos habitos, per quorum sententias iusque iurandum id assequantur, quod et q. s.* — Vide, quae ad §. 70. annotavimus.

Cap. IV. §. 10. *id quod non spero*] id quod non metuo. Eodem sensu Virgilius lib. IV. Aen. (V. 419.) *Hunc ego si tantum potui sperare dolorem. Manut.* Manutius exponit: *id quod non metuo.* Sed haec ab eruditis explosa iamdudum opinio est, qui *sperare* pro existimare et futurum aliquod exspectare apud veteres auctores propria significatione positum docuerunt. Vide Dukerum ad Flor. III, 1, qui multos et summos viros hanc in rem laudat. Adde Perizonium ad Sanctii Minerv. IV, 14, 6 et J. Fr. Reitzium de ambiguis h. v. Itaque miror, Facciolatum, Grammaticum insignem, Manutio assentiri. Sed ne quem adhuc Quinctiliani Inst. Orat. VIII, 2. cui Servius adstipulatur, auctoritas moveat, qui verbi sperare hunc in timore usum vitio illi sermonis attribuit, quod ipse *improprium* appellat, huius auctoritati rationem omnem affirmo magnopere repugnare. Quam enim dicam inopiam tantam vel potius amentiam Latinis hominibus imperasse, ut uno verbo ad duas res plane contrarias significandas uterentur? Quot inde ambigua, obscura, absurda haberemus? cur vero non itidem me-

tuere se bona Latini dicunt, ut mala sperare, si tam sine modo illa placet, ut cum Hermogene loquar ἀκυρία? Nimirum *metuo* a metu est nec in bonam trahi partem potest; at *spero* praecipi animo futura, sive bona sive mala sint, indicat. Hoc etenim fatendum est denique, cum innumeros recte sic explicari locos, aliquos adeo sic unice intelligendos videmus, potius quam optimos Latinitatis auctores improprio vitiose verbo, ubi proprium suppetebat, usos dicamus. Cicero mehercule, qui Dolabellae in sermone ἀκυρίαν, ut ipse Qninctilianus l. c. refert, emendabat, alios permultos seque ipsum imprimis corrigere debuisset, si sperare hoc sensu improprium iudicasset. Eritne Quinctilianus in his dignoscendis acutior? Sed quia exspectatio, in malum si cadat, metus esse solet, deceptus rhetor ea re fuit veteresque Grammatici ad unum omnes. Hic ergo *quod non spero* interpretabimur, *quod non puto futurum. Garaton.* cf. Serv. ad Aen. IV, v. 419. *sperare dolorem; est ἀκυρολογία, superflua dictio; nam speramus bona, timemus adversa.* —

§. 11. *Te quoque magnopere*] Scholiastes legit: *Te quoque maximo opere.* Optima lectio tamque reconditae veritatis, ut ex mendo profecta videri non debeat. Hanc ex auctorum nobilium MSorum (?) eruere vulgataeque praeferre iamdiu viri eruditissimi consueverunt. Instar omnium sit Drakenborchius ad Livium XXXVIII, 18. Sed binas hic uno in verbo varietates Scholiastes obtulit. Nam contenti esse possemus, si *magno opere* obtulisset, quod ipsum frequentius est, ut etiam *tanto opere;* idque ex Drak. l. c. et Cortio ad Cic. ep. ad divers. IV, 5. abunde cognosces. Verum amplius dedit *maximo opere*, quod vim obtestationis mirifice auget. Quod etiam firmatur Tullii ipsius exemplo, summa MSorum concordia servato, epist. ad divers. III, 2. *A te maximo opere, pro nostra summa coniunctione tuaque singulari humanitate, etiam atque etiam quaeso ac peto. Garaton.*

§. 11. *quum huic eidem quaestioni*] Vetus codex *cum huic eidem* et sic emenda, id est, quum huius eiusdem quaestionis iudex esses. *Hotom. Eidem* pro *idem* legit Ant. Augustinus et recte, ut videtur. Cn.

enim Dolabella erat Praetor urbanus hoc anno; at M. Fannius iudicia exercebat inter sicarios, ut ante Roscii caussam alias huiusmodi cognoverit. *F. Ursin.* Mihi *idem* elegantius est; nec opus erat addere *eidem.* Intelligitur enim sua sponte quaestio inter sicarios. *Ernest.* Receperunt *idem* recentiores editores omnes. Etsi, quid inesse voluerint sententiae interpretes, minime ignoramus, tamen nimis ambigue dictum videtur *idem iudex*, quum M. Fannius hoc tempore praetor esset neque iudex quaestionis. Lambinum igitur, Graev. Heusing. sequi maluimus, ex codd. *eidem* reponentes. Ceterum iudex quaestionis princeps erat iudicum (cf. Ascon. in Vers. I, c. 61. §. 157. p. 108. ed. 1644), qui actionem a Praetore datam exercebat. cff. Facciol. Steinm. ad h. l. Sigon. de Iud. II, 5. —

§. 11. *et nobis et populo Rom*] Jannoctii codex *et nobis et rei publ.* Quod si amplectaris eorumdem et in eodem casu verborum *populo Romano* repetitio vitabitur. *Garaton.* Libri Jannoctiani scripturam facili litterarum traiectione (R. P. pro P. R.) ortam esse, optime docuit Orellius; ex quo certissime illud evincitur, etiam nostro loco verba *Pop. R.* nonnisi siglis P. R., id quod ubique fere factum videmus, esse significata. Jam pone, recte elicuisse interpretes ex iis populi Rom. commemorationem, et explica, si placet, sententiam, ut, posteaquam iudicum pariendae sibi benevolentiae dederit operam orator, etiam praetoris animum dicas eumdem sibi conciliare et ad severitatem inflammare voluisse. Sed quid est, quod denuo pop. Rom. appellet? Etenim supra quum nonnisi singulari usus sit numero, apparet, eum pronomine *nobis*, praesertim quum pop. Rom. modo memorarit, et se ipsum et cives omnes, qui secum pro Sex. Roscio supplicarent precarenturque, ut hominum nequissimorum audaciae resisteretur et cupiditati, velle intelligi. Quod ut credamus, faciunt cum primis sequentia (*omnes enim* etc. et: *petimus abs te*), quibus plurali numero non ad evitandam iactantiam, ut ait Serv. ad Virg. Aen. II, v. 89, sed propria significatione usum esse Ciceronem luculenter ostenditur. Totam autem sententiam ubi diligenter exegeris, profecto post verba: *qualem — quum — iudex*

praeesses, omnino non exspectari ea, quae hodie legimus, concedes. Quid enim? M. Fannius qui potuit tractari melius atque adeo honorificentius, quam facta praeturae mentione? Restituendus igitur videtur locus sic: *talem te nobis PR.* i. e. *praetorem hoc tempore impertias.* Constat enim, iisdem siglis et praetorem et pop. Rom. significari; librariorum autem imperitia vix dici potest quot et quantae in codd. ortae sint confusiones. cff. Varr. Lectt. pro Caecin. c. 29. §. 82. Div. in Caecil. c. 21. §. 69. in Verr. A. Prim. c. 3. §. 10. A. S. III, c. 38. §. 87. ibid. c. 39. §. 89. ibid. c. 72. §. 169 et al. Plura collegit exempla Drakenborch. ad Liv. XXXI, 10. Librarius igitur ex vetusto codice hanc describens orationem, quum verba *nobis PR.* male intelligeret neque ullo modo ἀσύνδετον ferri posse sibi persuaderet, locum sibi visus est egregie sic emendasse *et nobis et PR.* i. e. Pop. Rom. —

Cap. V. §. 11. *iudicium inter sicarios*] Vetus locutio *inter sicarios* pro *de* sicariis; et sic locutus est lib. de Finib. II. in Cluentiana et Philipp. II. *Hotom.* cf. quae annotavimus ad §. 90. —

§. 11. *de manifestis maleficiis ante admissis*] Sic habent libri complures vulgati: *de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius* etc. quidam: *quotidianoque sanguine aut remissius*, omnino mendose. Mendum natum est ex perturbatione ordinis, cum a librario ita scriptum esset: *de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine ante admissis* etc. Ex hac perversa et praepostera scriptura natae sunt variae lectiones depravatae. Nos coniectura ducti hunc locum in integrum restituimus. Huius autem scripturae sic a me restitutae et planissima et cum verbis ac mente Ciceronis maxime consentanea sententia est. Hoc enim significat, iudicibus esse magnopere laborandum, ut severe iudicent, propterea quod hoc iudicio de maleficiis praeteritis, quae antea propter mala temporum non fuerunt in iudicium vocata neque vindicata, sint iudicaturi et sua sententia declaraturi, utrum velint licere in civitate impune homines occidere et alia nefaria facinora admittere, necne; si Sex. Roscium absolvent Chrysogonique gratiam et potentiam negligent, fore ut scelerati cives,

Capitonis et Magni Rosciorum exemplo deterriti, comprimantur; sin damnabunt, audaces et facinorosos homines existimaturos, omnium nefariorum facinorum licentiam atque impunitatem sibi esse concessam. *Lambin.* Locus est certe corruptus. Sensum a Lambino acute perspectum puto; sed planissimam eius emendationem sequi codices omnes vetant. Hotomanni *ἀπαρέμφατον* (vid. infra) parum iuvat; quanta enim inde luce sententia perfunditur? Praeterea in voce *futuram* nulla varietas est; scopulum illa faciunt *haud remissius.* Scholiastem hic ego si consulo, miserum et mendis tamquam sordidis pannis obsitum, non reprehendar; neque enim cetera saniora sunt. Is itaque habet *dimisso.* Verum cum ita id explicet: *prae contemto, relicto habitorum*, legisse ipsum oportet *dimissorum.* Iam vides in var. lect. Gruterianis *dimissius* etc., vides a multis libris *haud* abesse. Hinc igitur nova quaedam lectio, MSorum auctoritate non carens, exoritur: *Omnes h. q. te pr. de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine dimissorum sperant futuram*, h. e. de illorum maleficiis et caedibus, qui impuniti hactenus dimissi fuerunt. In Verr. V, 58. *Possemus hanc iniuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere?* Non ego hic dico, aurum ex stercore, quod tamen de his hominibus dici aliquando potest; umbram tantummodo locutionis Tullianae mihi videor assecutus. Quod si coniicere aliquid tam dubia in re licet, ex his omnibus verborum vestigiis locum ita refingerem: *Omnes hanc quaestionem te pr., manifestis maleficiis quotidianoque sanguini haud remissiorem sperant futuram.* h. e. haud indulgentiorem quam mitiorem. Sic Tullius orat. ad Quirit. cap. 9. *qui in ulciscendo remissior fuit.* Abest illud *de* Grutero teste, ubi abest *haud;* sed hoc absorberi a voce sequente potuit, cui *d* tantum adhaeserit, *r* expulsa. Sententia satis apparet, amplius urgeo nihil. Verba ipsa felicior aliquis deteget. *Garaton.* Hotomannus A. Gellii auctoritatem sequutus (cf. N. A. I, c. 7.) locum sibi visus est restituisse emendando *futurum;* itaque *remissius* pro adverbio accepit, *futurum* autem pro indefinito, quod neque virilis neque neutrius est generis, sed ab omni generum necessitate absolutum; Graeci dicunt *ἀπαρέμ-*

φατόν. Idem placuit Matthiaeo, qui provocat ad Perizonii doctrinam ad Sanct. Min. I, 14, 1. p. 100. III, 11, 1. p. 468, sed in verborum seriem *futurum* non recepit. Qua nos emendatione omnino nihil lucrari in propatulo est, propterea quod difficultas adverbio *remissius* oriunda remanet. Attulit quidem huius structurae exempla ex Sallustio Matthiaeus, cf. B. Iug. c. 87 extr. *Romanos remoto metu laxius licentiusque futuros*. ib. c. 94. sed hanc loquendi consuetudinem apud Ciceronem se nusquam observasse ipse profitetur; nobis ab eius dicendi genere omnino aliena videtur esse. Garatonii coniectura veteris Scholiastae fulta vestigiis adeo se probavit Steinmetzio, ut eam auctoris verbis inserere non dubitaret. Cui me doleo non posse adstipulari vel iccirco, quod Latini locutione *dimittere* vel *relinquere aliquem inultum, impunitum* ubique sic utuntur, ut, qui dimittit, sese non amplius velle dimissum curare ostendat. Quare, qui sunt dimissi, non accusantur. Quod si de iis fiunt iudicia, non possunt dici dimissi. Videntur autem a vero aberrasse homines doctissimi, quod locutiones *dimittere aliquem* et *differre alicuius iudicium* inter se confuderunt. Accedit quod, si Graevio fides, veteris Scholiastae verba haec sunt: *dimisso i prae contemto — habitorum*. Verburgius edidit *i. e.* eumque sequutus est Garatonius. Veri autem est simile, interpretem dedisse *dimissui* i. e. demissius, eamque multorum codicum scripturam explicasse sic: *prae contemto — habitum iri*. Sed nil ausim affirmare. Mira autem lectionum varietate loci obscuritas nimium quantum adaugetur. In omnibus codd. deest *de* praepositio; deinde item in codd. *haud* desideratur. Vid. Varr. Lectt. Pro *remissius* libri vel *demissius* vel *dimissius* exhibent; cod. Ox. unus *demissus*, tres Parr. *demissm*, quod teste Steinm. etiam in cod. S. Victor. est; contra Beckius *demissivi* enotavit. Ex quibus si, quid dixerit orator, velimus eruere, profecto quid non potuerit non dicere videndum est. Ac primum quidem quid est, cur summe omnes id cupere fateatur, ut acria ac severa fiant iudicia? num vel iccirco, ut, qui fuerint accusati, ad unum omnes condemnentur? Minime. Quid igitur? nonne hoc vel maxime studet efficere, ut praetorem acuat atque iudices ad munia sua cum fide

ac religione exsequenda, ita ut, quem scelus commisisse palam fuerit factum, sine ulla condemnent haesitatione? Dicat fortasse quispiam: Quid? ergo iuratis hoc denuo inculcandum erat iudicibus? Constat, lege Cornelia iudicia senatui, quae C. Gracchus propter acceptae pecuniae suspicionem senatoribus ademerat, fuisse reddita. cf. annot. ad §. 136. Sed ante hoc iudicium quum propter crudelissimam proscriptionem caedes ab Sullanis iniquissimae vel eorum, qui non proscripti erant, factae essent neque ob L. Sullae metum iudicio ullo vindicatae, sperare omnes dicit orator fore, ut M. Fannio praetore neque timori, quo perculsi iudices agerent demissius et in rebus nefandis a sectoribus, quos vel maxime procrearat Sullana proscriptio, fere quotidie perpatratis conniverent, neque gratiae locus esset, quod ipsi ex senatu delecti pristinam dignitatem L. Sullae auctoritate recuperassent et voluntate; sed ut hominum facinorosorum audaciae, etiamsi iidem freti essent dictatoris potentia, fortiter resisteretur. Quod quum ita sit, codicum plurimorum auctoritas est sequenda; itaque repono: *omnes hanc quaestionem te praetore manifestis maleficiis quotidianoque sanguini haud demissius sperant fauturam.* cf. ad Att. l. XIV, ep. 49. §. 1. *Rescripsi patrono illi nihil opus esse — me tamen ei fauturum*, ubi *fauturum* omnes tuentur libri. Qui rem perscrutabitur argutius, etiam *sanguine* defendet. cf. Ramsh. Gr. L. §. 28. III. ann. 2. p. 49. Sed vetustam hanc formam non puto esse admittendam.

§. 12. *Qui caussam dicimus*] *Caussam dicere* hic et cap. 29. 30. est crimina diluere seque iudicio defendere. Hinc *caussam dicere ex vinculis* Caesar Bell. Gall. I, 4. et Livius XXIX, 9. *Facciol.*

§. 12. *ostendetis*] Aut *ostenderitis* aut *ostendatis* scribendum; illud praetuli. *Ostendetis* per compendiariam scripturam ortum est in eaque saepe peccavere librarii et editores. *Ernest.* Librorum omnium scripturam, quam Ernestum sequuti repudiarunt editores, retinuimus, quum verissimam eam esse nobis sit persuasum. Percontanti autem, quid tandem adduxerit Ernestum, ut corruptam esse existimaret vulgatam, illud profecto non poterit responderi, quod de particula *nisi*

cum futuro iungenda addubitarit. Cuius structurae tametsi raro inveniuntur apud Ciceronem exempla, tamen praeter alia habeto haec: Orat. pr. Tullio §. 50. *Nisi se telo defendit, inquit, etiam si cum telo venerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit, non occides.* pro Cluent. c. 2. §. 6. *Etenim — nomen iudicum amittemus, nisi hic ex ipsis caussis iudicabimus.* in Verr. IV, c. 11. §. 25. *quae nisi gravis erit apud socios, ubi erit imperii nomen et dignitas?* pro Rosc. A. §. 139. Pro futuro saepenumero praesens deprehendimus, vid. infr. §. 153. *hanc vero — nisi reiicitis et aspernamini et q. s.* Ex prioribus igitur *ut hoc cogitetis* scripturae mutandae ratio est afferenda, quum oratio sit obliqua. At vide, quae leguntur pro Quint. c. 23. §. 75: *unum tamen hoc cogitent, ita se graves esse, ut, si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere; si eam negligent, ita leves sint, ut* etc. pro Sulla c. 8. §. 24. *excutient tibi istam verborum iactationem et te ex somno saepe excitabunt nec patientur, se abs te, nisi virtute vincentur, honore superari.* Quibus locis perspicuum est futurum pro subiunctivo praes. esse positum, id quod sanae menti repugnat minime; perpende modo, quae docuerunt viri docti de subiunct. praes. pro futuro pos. cf. Heusing. ad Cic. Offic. II, c. 11. §. 10.

§. 13. *Cum praesidio venit, ne — trucidetur*] Praesidium, opinor, advocatorum consessum significat, quos antea summos oratores hominesque nobilissimos appellavit. *Hotom.* *Venit, ne — trucidetur*, i. e. *qui cum praesidio adest, ne* et q. s. cf. §. 32. *etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, ut hic aut iugületis aut condemnetis Sex. Roscium?* Male igitur apud Livium XXI, c. 13. init. sic legitur: *ego, ne ignoraretis, esse aliquas et salutis et pacis vobis conditiones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni.* Libri optimi praebent *ignoretis.*

§. 13. *hic ibidem*] hoc ipso loco. Haec particularum coniunctio animadversione digna est. *Facciol.*

Cap. VI. §. 15. *Cum Metellis, Serviliis, Scipionibus*] Significatur procul dubio P. Scipio, pater illius, qui postea adoptatus a Q. Metello Pio socer fuit Cn. Pompeii; et P. Servilius, qui dictus est Isauricus; qui-

nam Metelli significentur, dubitare possumus. Manutius Q. Metellum Nepotem Consularem intelligit, collegam T. Didii; quod nullo modo probari potest, cum iam ille ex vivis excessisset; omnes autem, qui appellantur, adfuisse videantur, sicut infra patet ex his verbis: *famu et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur.* Praeterea examinandus est alter locus huius orat. c. 28. *Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle.* Adfuit ergo Metellus, at quidem inferiori dignitate vir, quam P. Scipio, ut ibi ostendemus. Nimirum dignitatis ordo perpetuo servabatur idque ibi in hominibus, hic in familiis. Nam quemadmodum Scipionis dignitas maior, quam Metelli, ita Metellorum familia reliquas omnes longe anteibat, *quippe intra XXII ferme annos huius temporis Consules fuere Metelli aut Censores aut triumpharunt amplius XII.* teste Paterculo II, 11. ut non immerito poeta cecinerit, fato quodam fieri Consules Metellos. Ceterum hae tres familiae propinquitate coniunctae erant. Nam Servilios et Scipiones fuisse Metellarum filios et avum illis maternum exstitisse Q. Metellum Macedonicum, auctor est Cicero orationibus post redit. et pro domo sua. *Ferrat.* Hos omnes Metellos eorumque honores et quibus annis hos gesserint, accurate ob oculos posuit doctissimus vir P. Burmannus ad Velleii l. cit. Annorum autem numerus ibi legitur XII, de quo videatur idem Burmannus. *Garaton.*

§. 15. *ab hospitibus amicisque paternis defenditur*] Ex codd. Oxonn. unus haec praebet: *ab hostibus inimicisque pat.* Quae quamquam eruditi magis librarii ingenium, quam genuinam auctoris manum redolere videntur, propterea quod reliqui libri omnes vulgatam exhibent, tamen extemplo respuenda non sunt. Etenim in vulgatis libb. quae hodie leguntur, tametsi optime sic explicabis, revera praeter hominum nobilissimorum hospitium filio nihil a patre esse relictum, quum patrimonio direpto hospites vitam innocentis defendant ac famam, tamen verbis *nam — defenditur* negari nequit, caussam potius exspectari, cur praeter hospitium nihil pater reliquerit, quam qua in re illud sit conspicuum. Hoc igitur dicturus videtur, Sex. Roscium ex miserrimo

patrimonii naufragio ne vitam quidem recepisse incolumem, quum ab hostibus ea atque inimicis sit defendenda.

§. 16. *hoc tumultu proximo*] Quo tempore Cinna et Marius in urbem recepti omnes adversae partis nobiles trucidarunt. Tum enim in Italiae municipia plerique confugerunt. Appianus. Florus. Et *proximo* septem abhinc annis, Octavio et Merula Coss. Tumultum dixit ὑποχοριστικῶς pro bello civili. *Hotom.* Faciendum est cum Matthiaco, Steinmetzio, qui bellum intelligunt Sullanum a. u. 670 et 671. cf. Appian. B. C. I, 84—94. Vellei. Pat. II, 25 sqq. —

§. 17. *quas inimicitias*] Refert haec verba Curius Fortunatianus Rhetor p. 82. ed. Capper. et pro *cavere* habet *prohibere*, quod in V. L. posuit Graevius, neque codice ullo neque Curio laudato. Scio defendi etiam hoc posse, sed aptius *cavere* mihi videtur; idemque Lambino videbatur, qui extra locum ad cap. 8. hanc varietatem attulit. *Garaton.*

§. 17. *homines eiusmodi*] Reisigius, vir praestantissimus, quem praematura morte sibi ereptum lugent litterae, reponi iussit *huiusmodi*, quum in seqq. demum duo Roscii describerentur accuratius. At vide Orat. pr. Muren. c. 29. § 61. *Huius sententiae sunt et praecepta eiusmodi: sapientem et q. s.* 'Ubi, si lubrica non essent Grammaticorum praecepta, sic scriptum oportebat esse: *cuius sententiae — huiusmodi.* Epp. ad Fam. VII, 1. §. 3: *Quin etiam misericordia quaedam consequuta est atque opinio eiusmodi, esse quamdam illi beluae cum genere humano societatem.* Contra *huiusm.* videmus exaratum, ubi *eiusm.* debebas exspectare. cf. in Verr. II, c. 65. §. 158. ibid. c. 70. §. 170. in Catil. II, c. 11. §. 25 et al. Infra pro *hic autem* scriberem *iste autem*. si vel unus codex addiceret.

§. 17. *qui antea in pugna tiro esset, quod sciam*] Vulg. *qui, quum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile et q. s.* — In codd. plurimis et optimis *quum* omissum est, neque ab imperito quin profectum sit librario, dubitabit, qui hos voluerit locos diligenter examinare: §. 23. *qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena.* pro Quint. c. 3. §. 12. *Nam qui ab adolescentulo quaestum sibi instituisset*

sine impendio, *posteaquam nescio quid impendit et in commune contulit*, *mediocri quaestu contentus esse non poterat.* cf. Matth. ad §. 4. Plura attulit exempla Steinmetzius, quem eamdem eiecisse voculam maximo opere gaudeo. Praeterea illud recte ab eodem observatum est, etiam lectionem *scientia* pro corrupta esse accipiendam; ex libris igitur reposuit *quod sciam.* Sed tamen supersunt, quae manum desiderant emendatricem; etenim quaerendum est, quid verba *ante hanc pugnam* sibi velint, quum duplex eorum possit excogitari explicatio; aut enim ad T. Roscium Magnum sunt referenda ita, ut hoc fere significent *priusquam iste Sex. Roscium interficeret*, aut nonnisi tempus indicant vel sic: *qui eo tempore*, *quo nondum occisus erat S. R.* Quarum altera admittenda non est, propterea quod vox *pugna* pro *morte* dici sic demum potest, ut eius, qui mortem obtulerit, ratio habeatur. Restat igitur, ut illam alteram, qua ipse T. Roscius Magnus attingitur, amplectamur. Quid? quod maleficium ab eo commissum esse hoc loco planis verbis orator declarat, id infra *suspiciosum* demum esse idem fatebitur? cf. §. 18. *Spero ex hoc ipso non esse obscurum*, *ad quem suspicio maleficii pertineat*; *verum id*, *quod adhuc est suspiciosum*, *nisi et q. s.* Respondebunt, qui volent repugnare, oratorem hoc loco, sicuti supra aliquoties, ita loquutum esse ambigue, ut, in quem velit Sex. Roscii caedem conferre, simul appareat. cf. §. 1. *novo scelere* §. 13. *qui unus relictus ex illorum nefaria caede restat.* At vides, ambiguitatem, quae iis inest locis, hic desiderari vel maxime, nisi male loqui auctorem statueris. *Novum* enim illud accipi potest pro *inaudito* cf. infra §. 82. Orat. pr. Ligar. c. 1. §. 1. Quae §. 13. leguntur, expone sic: gladiatores accusant eum, qui solus ex gladiatorum caede restat. Accedit, quod hoc loco et egregiam magistri disciplinam et discipuli admirabilem docilitatem ostensurus est orator. Quod quum ita sit, verbis *nuper — se contulit* diligenter ponderatis constat vel hoc sequi debere: qui, antequam ei se traderet erudiendum, tiro esset, iam vel ipsum scelere superavit. Quid igitur? in vulgata num acquiescendum? Vide, quam vetus suppeditet lectionem Scholiastes: *antea in pugnam.*

Qui quum genuinae scripturae vestigia monstret aperte, repono *antea in pugna* i. e. qui, ante quam adisset Capitonem, in re gladiatoria tiro esset. cf. de Orat. I, c. 50. §. 218. *Fateor enim, callidum quemdam hunc et nulla in re tironem ac rudem — esse debere.* Pro *scientia* codd. Pall., 3 Oxonn. 4 Pariss. S. Victor. praebent *quod sciam*, idque cum Steinmetzio auctoris verbis inseruimus. Sed tres Oxonn. quum exhibeant *quod scientia*, vide, ne genuinam scriptoris manum agnoscas hanc: *quod sciam*, *iam*. Etenim verba *sciā iā* quum in *scientia* depravata essent, et vulgata et, quae a nobis recepta est scriptura, videtur excogitata esse. De verborum *iam — superavit* ambiguitate vide not. seq.

Cap. VII. §. 18. *Nam quum hic Sex. Roscius*] Dubitatur, utrum Sex. Roscium significet Cicero patremne an filium. Manutius patrem intelligit, de quo coeperat orator dicere. Sed ei tum proprietas Latini sermonis tum res ipsa repugnat. Quoties enim Cicero utitur pronomine *hic* vel *iste* additque nomen illius, qui appellatur, semper aliquem praesentem significat, quem nutu et manu possit ostendere. Sic pro Quint. c. 3. *C. Quintius fuit P. Quintii huius frater.* Pro Flacco: *ut in hoc Asclepiade* et alia sexcenta. Quamobrem, si de patre verba faceret, nomen non addidisset post v. *hic*, ut supra: *hic cum omni tempore* etc. adeoque patet, de filio eum loqui praesente. Clarius hoc fit ex sententia: *cum hic Sex. Roscius esset Ameriae;* statim exspectas, quid tunc acciderit. Proinde subditur: *occiditur ad balneas* etc. Quis? Sex. Roscius pater. Ubi? Romae ad balneas Palatinas. Ubi tunc erat filius? Hic Sex. Roscius erat Ameriae. Neque obstat, quod filius statim nominetur: *cum hic filius.* Ea enim repetitio fit, quia illud de Tito inseritur: *T. autem iste.* Qua interpositione sublata ita diceretur: quum T. iste Roscius esset Romae, hic autem Sex. Roscius Ameriae et assiduus in praediis esset. Omnia satis manifesta sunt. *Ferrat.* Haec verissima esse illud imprimis evincit, quod Cicero suspicionem a Sex. Roscio removere et in T. coniicere velit. Itaque Sext. filium Ameriae, Titum eo tempore Romae fuisse atque adeo illum Ameriae in praediis assiduum esse solere, hunc Romae

saepissime, iudicibus inculcat. Comparatio postulat, ut ille Sex. Roscius filius fuerit. Sed uno verbo Manutio respondetur, si de ipso quaeramus, num Roscius pater, quum esset Ameriae, occidi Romae potuerit. Editio MCCCCLXXX ita locum hunc exhibet: *Nam quum Sex. Roscius esset Ameriae, Titus alter iste Roscius Romae, cum etc. ipse autem Romae frequens esset.* Hinc aliquis probaverit illud *Titus alter* prae *Titus autem*; librarios enim dicet vocem *alter* haud facile confinxisse. *Garaton.* Recte Ciceronem dicit Garatonius iam in Tit. Roscium Magnum nefandi sceleris suspicionem velle conferre. Quod quum ex tota facile sit perspicuum sententia, ea autem cum antecedentibus particula *nam* coniungatur, consectarium est, iisdem id profiteri oratorem, quod sequentibus magis magisque confirmetur atque ad veritatis speciem propius adducatur. Quod contineri verbis *iam — superavit*, nobis persuasissimum est, propterea quod haec dicta quam maxime sunt ambigue; etenim auctor describit T. R. Magnum, utpote qui solertissimus factus sit Capitonis eruditione sicarius, sed ita, ut non dixerit *superat* sed *superavit* i. e. qui caede S. Roscii facta tam luculentum dedit scientiae suae exemplum, ut iam magistro suo longe sit praestantior.

§. 18. *hunc affinem culpae iudicatote*] Intellige Sex. Roscium reum. Sed quidni oratorem δεικτικῶς loqui voluisse credamus, ita ut se ipsum intelligeret, quo maior esset vis asseverandi? Vide modo Homericum illud: τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ. — Ceterum de verbi *affinis* structura. cf. Cic. de Invent. II, c. 44. §. 129. Matth. ad Catil. IV, c. 3. §. 6. —

§. 19. *Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris istius T. Roscii*] Hotomannus Suetonii sequutus auctoritatem (cf. Claud. c. 24.) Glauciam libertinum existimat libertis natum fuisse parentibus, propterea quod, si libertus ipse fuisset, Graecum servi nomen procul dubio orator addidisset. Quod argumentum quam sit exile atque putidum, infra demonstrabitur. Neque illud eidem assentiendum est, libertis eum oriundum fuisse parentibus, quum nonnisi Appii Caeci tempore et aliquanto post usu receptum fuisse testetur Suetonius, ut libertis nati dicerentur libertini. cf. Manut.

ad h. l., qui rem tractavit uberius. Ut fidem habeamus Tranquilli testimonio, tamen antiquo tempore id non tam legibus, quam vulgari hominum consuetudine fuisse sanctum, qui conviciandi studio ducti libertorum filios mallent libertinos, quam ingenuos vocare, pro certo potest affirmari. Etenim seriore quoque aetate, tametsi libertinorum filii erant ingenui (cf. Paul. IV, 9. §. 8.) tamen non voluerunt eos ingenuos, sed potius filios vocare libertinorum. cf. Horat. Satt. I, 6, 45. 46.

Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum.

cf. Wolf. ad Sueton. l. l. Servum autem manumissum ratione patroni habita libertum, contra libertinum, quod attinuerit ad ipsius statum, eumdem esse appellatum, iamdudum inter omnes constat. Vid. Wolf. l. l. Zimmern.: Hist. Jur. Pr. Tom. I, §. 201, I. Annot. 4. p. 736. Neque illud dubitationi obnoxium, libertum se manumissoris clientelae tradidisse ita, ut parentis loco eum habuerit. cf. Zimmern. Hist. Jur. Pr. Tom. I, §. 217, 1. p. 789. Quid igitur? Glaucia quum cliens dicatur T. Roscii Magni, nonne eiusdem eum fuisse libertum consequitur? At tum non libertinus sed libertus debebat appellari. Accedit, quod, qui manumissi erant, patroni nomen gentile solebant sibi indere, veluti Sullae servum posthac L. Cornelium vocatum videmus. cf. §. 6. Atqui Glaucia non Roscius sed dictus Manlius est. Quod quum ita sit, statuendum, Glauciam mortuo demum patrono in T. Roscii sese contulisse clientelam. Ceterum ex Maffeiorum antiquo libro *Mallius* restituit pro *Manlius* Manutius, quum nobiles Manlii, ignobiles admodum Mallii fuerint. Nos ex codd. quattuor Oxonn., duobus Pall. et editt. vett. *Manlius* dedimus, quum Glauciam ab Manlio quodam nobili, quam ab obscuro Mallio in libertatem esse vindicatum malimus nobis persuadere. Accedit, quod inferiore aevo homines et dicere solebant et scribere *Mallius* pro *Manlius*, quo factum, ut saepenumero Manliorum nomen scribendo corrumperent. cf. Quinctil. Decl. III, c. 13. p. 70. Burm. Cognomen igitur *Glaucia* est, unde Hotomannum sagacius apparet, quam verius disputasse.

§. 20. *in castra L. Sullae*] Contemnendum non

est, quod Scholiastes indicat *in castra L. Sullae Volaterrana defertur.* Scio ab imperatoribus nomen saepius castra sumsisse, ut *castra Claudiana*, Corneliana in Livio legimus et apud Hispanici belli scriptorem *castra Posthumiana*, oppidum Hispaniae Baeticae. Qua ratione hic castra *castra Sullana* ad Volaterras dicenda forent. Verum quid prohibet Volaterrana hic intelligere, quae prope Volaterras erant? Nihil tamen affirmo. *Garaton.* Recepimus scripturam ex veteris Scholiastae conspicuam vestigiis *Volaterrana*, propterea quod castra prope Volaterras fuisse infra declarat ipse §. 105. *ad Volaterras in castra L. Sullae — defertur*, i. e. in castra ad Volaterras posita. Accedit, quod male sonant haec: *ad Chrysogonum, in castra, Volaterras.*

§. 20. *ne diutius teneam*] Vulg. *ne diutius vos teneam.* Pronomen *vos*, quod plerique codd. Oxonn. aliique omittunt, expunximus, quum dubium non sit, quin debeatur librario. Explicanda enim haec formula, quae plane respondet voculae nostrae *kurz*, sic est: ne pluribus id, quod sum dicturus, verbis circumscribam et quasi teneam, sed ut ingenue profitear. cf. in Verr. I, c. 13. §. 34. *verum tamen ornabat eum beneficiis omnibus. Ne diutius teneam, pecunia attributa, numerata est.* Quo loco eam libri omnes recte tuentur formulam, praeterquam quod Lambinus coniectura procul dubio ductus *vos addidit*,

Cap. VIII, §. 21. *Cum iam proscriptionis mentio nulla fieret, et cum etiam, qui antea metuerant, redirent* et q. s.] Hunc locum Charisius lib. III. (p. 235.) ex memoria (ut opinor) sic protulit: *Cum iam proscriptionis commemoratio fieret, cum etiam, qui antea proscripti erant, sederent, nomen refertur, nomen refertur in tabulas Sex. Roscii;* usitatam scripturam omnes antiqui libri comprobant. *Hotom.* Idem monuit postea J. Lipsius III. Var. 6. et Hotomannus Observ. IX. cap. 11. probat non solum et iubet ex Sosipatro interponi: *Nomen refertur in tabulas Sex. Roscii*, quia aliquanto post orator ita loquatur: *Cum ille confirmaret se nomen Sex. Roscii de tabulis exemturum.* Sed tamen praeterea aliquid deesse censet in hanc sententiam: *Bona eius proscribuntur: hominis.* Diomedes quoque

lib. I. p. 384. ed. Putschii hunc locum sic laudat aeque ut Sosipater, nisi quod pro *sederent* retinet *redirent.* Si *sederent* scripsit Cicero, non est, ut Lipsius exponit, dignitatem recuperassent, et senatores iterum factos. Sed otiose sine metu in domibus suis agerent, non latebras mutarent. Est enim *sedere*, in loco quodam otiose commorari, ut XVI ep. ad Tironem 7. *Nec mirabamur nihil a te litterarum. His enim ventis istinc navigatur, qui si non essent*, (dele *non* B.) *Corcyrae non sederemus* (leg. *nos Corc.*). Sed non est *redirent* repudiandum, quod habetur etiam in primo Francii; verum ista verba, quae exciderant ex libris *nomen refertur in tabulas Sex. Roscii* non modo auctoritate Sosipatri, quam laudarunt Hotomannus et Lipsius, sed et Diomedis sunt reponenda. *Graev.* Lipsium et Hotomannum laudaverant antea Gruterus, cui Torrentium ad Sueton. Jul. c. 5. addidit Jacob. Gronovius. Gruterus autem quum nullo in codice illa invenerit, quae Charisius attulit, quamquam proba et necessaria, exclusit tamen religione quadam MSorum adstrictus. Diomedes autem l. c. sic legit: Cum nulla proscriptionis mentio fieret, cum etiam omnes, qui antea metuerant, redirent ac iam sese defunctos periculis etc. Vide, quam discedat a Charisio Diomedes. Itaque miror, aliter Graevio visum. Duo tandem ex his omnibus consequuntur, et recte, ut hic eduntur, Ciceronis verba esse constituta et Grammaticos negligenter auctorum testimonia, quod exemplis declarari plurimis posset, saepe recitare. Hic Diomedes accuratior. *Garat.* Verba *nomen refertur in tabulas Sexti Roscii* ex Charisio et Diomede recepta eiecimus, quum pro additamento sint accipienda: namque in omnibus desiderantur libris. Etenim oratorem perspicuum est societatem inter tres illos homines nefarios propter bona filio eripienda factam diligentius velle describere ita, ut, qua ratione res sit dispertita, intelligatur. Quod quidem tum ex eo apparet, quod tres illi coniurati nominatim recensentur, tum quod emptionis re vera factae infra demum fit mentio. Si genuina forent verba *nomen — Roscii*, sic profecto Tullius instituisset orationem: *nomen refert Chrysogonus in tabulas S. R. h. st. n. et manceps fit.* Utramque autem

sententiam verbis expressit: *hominis stud. nob. manceps fit Chrysogonus*, i. e. Chrysogonus nefandum Rosciorum scelus occulturus id suscepit, ut occisi Roscii vitam sibi quasi addictam fuisse eumque veluti iure occisum affirmaret nomine eius in proscriptorum numerum relato. Quod quum nimis obscure dictum videretur esse, explicandi caussa verba addiderunt Grammatici: *nomen — Roscii.* De industria autem *hominis mancipem* dixit orator Chrysogonum, ut bonis quoque S. Roscii eum potitum esse simul appareret, sed tamen ita, ut tria praedia traderentur propria Capitoni, reliquae autem fortunae omnes committerentur T. Roscio Magno, qui cum Chrysogono communiter eas possideret atque in iis quasi dominaretur. cff. §. 23. 24. 108. At nos ineptientem inducere oratorem statuet Steinmetzius, qui haec opponit: *neque enim hominis mancipem quemquam dici reperias neque eo sensu*, *ut non solum bona eius*, *sed etiam vitam Chrysogono addictam esse significaret*, *dici potuit*, *propterea quod S. Roscius pater*, *de quo hoc loco sermo est*, *et occisus et sepultus erat.* Quod si alibi nusquam dictum esse *hominis manc.* quemquam certum erit, tamen quo minus nostro loco sic appelletur Chrysogonus nil impedit, dum recte sic eum dici posse negari nequeat. cf. §. 26. *Ameriam re inorata reverterunt;* neque tamen apud alios bonae notae scriptores usquam *inoratus* invenitur. Quod de occiso ac iam sepulto Roscio idem addit, id tum demum locum haberet, si qui contenderet Chrysogonum infelicem S. Roscium proscripsisse ita, ut id post eius caedem factum esse ex tabulis esset perspicuum; sed tum amens profecto fuisset libertinus. Callide igitur nomen eius inseruit iis, qui proscripti priore iam tempore erant, ita ut, quum adhuc in vivis esset S. Roscius, iam de vita eius actum atque ipse iure posthac occisus esse videretur. Idem Steinmetzius *cum etiam* dedit pro vulg. *et cum etiam* Grammaticos supra dictos sequutus et cod. Paris. 1, quibus addi potest cod. Oxon. X. auctoritas. Cuius iudicium etsi contemnendum hoc loco non videtur, quum particula *et* ex syllabae praecedentis geminatione oriri facillime potuerit, tamen reliquis obsequi libris maluimus.

§. 21. *Propria traduntur*] Lectionem hic alicuius fortasse pretii Jannoctianus exhibet codex: *tria praedia vel nobilissima Capitoni praemia traduntur.* Qui hunc hominem ex Tullio noverit, confestim explicabit *sceleris praemia.* Imo aperte de hoc ipso Tullius cap. 40. *Tribus praediis, hoc est praemiis sceleris ornatus.* Et cap. 34 ad eumdem: *Quodsi nullum iam ante consilium de morte ac de bonis eius inieras nullamque societatem neque sceleris neque praemii cum homine ullo coieras.* Adde cap. 37. Praedam quoque posses intelligere. *Praemium* enim pro praeda usurpari, iamdudum ex optimis auctoribus monuerunt Pabbema et Burmannus ad Petron. cap. 70 et ad Epitomen Liviani libri LXXXIX. Gronovius, Dukerus, Drakenborchius. Saepe Tullius bona Sex. Roscii per summum divisa scelus appellat praedam capitib. 3. 31. 34. etc. Loquutio porro procedit ut apud Sallustium fragm. I, 7. *Patrias sedes occupavere, mercedem scelerum.* Et IV, 4. *Eumenem prodidere Antiocho, pacis mercedem.* Sic eleganter de Cicerone Velleius II, 45. *Conservatae patriae pretium, calamitatem exsilii tulit.* Compendium scribendi p̄r̄ia, quod tum *praemia* tum *propria* exponi potest, varietatis originem fuisse suspicor. Codicum tamen numerum pro vulgata video facere. Huic, qui volet, adhaereat: modo ab Hotomanni explicatione caveat. Quem enim in ea rapina iuri locum fuisse credamus? Scio, donationes sola traditione fieri potuisse, sed tum abfuit illa stricto iure proprietas. Vide Brummerum ad leg. Cinciam cap. 13. Denique quod caput est, ex ipso Tullio colligitur, donata haec Capitoni praedia non fuisse. Is enim dilucide hic narrat, rebus Sexti adhuc integris eam partem a Capitone praeceptam, tum in *reliquas omnes fortunas* Titum invasisse, postremo *suis adiutoribus donasse* hastamque adhibuisse. Similiter cap. 37. *Cur tria praedia statim Capitoni dantur? cur, quae reliqua sunt, iste Roscius* etc. Praeterea ubi hac de re sermo incidit, pactum et societatem video commemorari, donationem vero numquam: Cap. 35. *Hoc video, Capitonem in his bonis esse socium.* Cap. 39. *ipse tria praedia sibi depactus est.* et saepe alias. Nimirum alia erat Capitonis ratio, alia eorum, quibus eius frater in

aliena pecunia insolens large effuseque donabat. Sed rem perspicuam quum etiam pluribus possem, multis iam mihi videor ostendisse. Propria vero hic pro firmis et perpetuis, qui aliquando eius verbi sensus est, ut post Servium et Donatum viri docti passim observant, frustra acciperemus. Quocirca *propria traduntur* nihil erit aliud, quam traduntur, ut propria eius sint, qui partem suam, ut cap. 38 dicitur, depactus erat; ut a reliquis separata peculiaria Capitonis fiant. Notatur enim et hic et c. 37 horum *a reliquis bonis* separatio praediorum. Hunc ego sensum, quo est simplicior, eo veriorem visum iri, confido. *Garaton.* Codicis Jannoctiani scriptura *praemia,* quae Garatonio mirifice se probavit, docti potius Itali, quam Ciceronis manum videtur redolere. Namque orator, ut, quam flagitii sui mercedem tulerint Roscii, exponeret, hanc protulit sententiam, Magnum occisi bona communiter cum Chrysogono possedisse, contra Capitonem tria praedia accepisse *propria.* —

§. 21. *certo scio*] Sic dedi ex editt. Ald. Manut. etc. MSS. ap. Grut. et Gu. Vulgo *certe.* Latinitas poterat editores monere vitii. *Ernest.* Scripturam *certe* plurimorum codicum auctoritate fultam praetulimus. cf. Stuerenb. ad Cic. or. pr. Arch. P. c. 12. §. 32. s. f. Zumpt. L. Gr. §. 264. Annot. I. p. 241. —

§. 22. *quum — et ea, quae praeterita sunt et ea, quae videntur instare, praeparet*] Mendum inesse verbis suspicati sunt Hotomannus, Lambinus, quorum alter post verba *praeterita sunt* voluit inserere *reputet, reparet* alter. Recte tamen defendit locum Graevius. cff. Matth. ad h. l. Ramsh. L. Gr. §. 208, 4. b. p. 1021. ed. II.

§. 22. *Si aliquid non animadvertat*] Verba nobis suspecta vel maxime. Quid enim? oratoremne nostro loco, quo L. Cornelium Sullam ab omni negligentiae culpa liberaturus est, tam ambigue loquutum credibile est, ut ipse fere fluctuare videretur, utrum per imprudentiam praeterisse L. Sullam tot ac tanta flagitia sibi persuaderet, necne? Quam quidem difficultatem profecto Tullius evitasset, si *animadvertit* exaratum videremus. cf. pr. Quint. c. 3. §. 13. *Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quae voce quaesiverat,*

magno sibi quaestui fore putabat. Ibid. c. 5. §. 18. *Nec mirum, si eius utebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat.* Longe alia ratio verborum est, quae leguntur infra §. 131. *nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit.* Accedit, quod *aliquid* pro *quid* dici hoc loco nequit, propterea quod particula *non*, neque pronomen *aliquid* maiore videtur vi efferri debere; nam negotia tot ac tanta, quibus L. Sulla distentus erat, id profecto effecerunt, ut ille hoc illudve *non animadverteret.* cf. Cic. ad Fam. I, 5. §. 3. *nec, si quid non obtinuerimus, repulsi esse videamur.* Denique illud maximo opere suspiciosum est, quod verba nostra nimium quantum avulsa sunt a prioribus *neque enim mirum* atque in mediis membris, quae rationem reddunt, cur L. Sullae sit excusanda taciturnitas, collocata ita, ut omnino turbent sententiam. Codex autem Oxon. X. dignam, quae diligentius exigatur, scripturam exhibet hanc: *si aliquid non animadverterat.* Quae tametsi sententiae nihil affert remedii, tamen indagandae corruptelae viam aperit. Etenim glossatori manifesto debentur verba *si — animadverterat*, qui post verba *neque enim mirum* aliquid deesse ratus ex §. 131. *quid miramur, Sullam — aliqua animadvertere non potuisse?* explicandi caussa huc ea transtulit et margini apposuit, unde posthac in verborum ordinem sunt recepta. Scribendi autem compendio ortum est *animadvertāt* pro *animadverterat.* cf. Ernest. ad cap. 5. §. 12. annot. 8. Vide, quae infra ad §. 88. annotavimus. Quo interpretamento deleto sententia haec est: *neque enim mirum* — supple animo: haec omnia imprudente L. Sulla facta esse — *cum — aliquid huiuscemodi moliantur.*

§. 22. *Simul atque ille despexerit*] Quin despicere sit deorsum excelsoque de loco adspicere, unde ad contemtum significandum transfertur, dubitaturum arbitror neminem. Hinc bene Hotomannus quasi *oculos deiicere* ex ipso Tullio explicavit, planiusque Lambinus *deorsum adspicere*, quod valere hic ait negligenter adspicere. Quis enim huius verbi vim nescit? Contemnere, non curare, negligenter adspicere, quod nos Itali dicimus *non badarci*, nonne uno verbo *despicere* intelligemus?

Sic certe, ut alios mittam, explicatur recte Nepos in Pelopida cap. 3. *Id illi vino epulisque dediti usque eo despexerunt, ut ne quaerere quidem de tanta re laborarint.* Haec autem eo dico, ne quem doctissimi Graevii alia sentientis decipiat auctoritas, ut Burmannum ad Vellei. II, 14, 3. et Oudendorpium ad Suetonii Neron. cap. 19. Clariss. Viros decepit. Despicere pro *videre ἁπλῶς* usurpari vult Graevius. Tria in eam rem testimonia profert, quae iam in indic. Latinit. vir maximus Ernestus plane removit. Sed demus etiam Graevio, despicere esse *videre*, quid sequetur? Simul atque ille viderit; non certe, quod ipse vult, simul ac coeperit oculos movere, ut circumspiciens. Jannoctii codex habet *respexerit*, quod Boemoraei coniecturae aliquatenus favet. Id ego non praefero; video tamen explicari commode ita posse: Multi Sullae occupationem observant, ut, simul atque ab iis oculos reflexerit, ut ad negotia convertat, tempore utantur ad scelus. Sic apud Terent. Andr. II, 5, 6. Davus Pamphilo: *Quasi de improviso respice ad eum*, ad patrem scilicet; Pamphilus enim hactenus Davum adspiciebat. *Garaton.* Praefero Steinmetzii iudicium *despicere* sic interpretantis: *oculos vel animum ab aliqua re avertere.* Qui tametsi ad hanc vim confirmandam non potuit excitare alterum exemplum, tamen verissime sic locum explicari res ipsa docet. Multa enim et in hac et in priore pro Quintio oratione leguntur, quae provectior factus non repetiit orator.

§. 23. *nondum etiam paterna funera iusta solvisset*] Delevimus codd. nonnullorum scripturam *etiam omnia pat.*, quam editores, quod sciam, omnes hodie sunt amplexi; videmur enim ab glossatore eam profectam esse, probare posse; sed res repetenda longius. More receptum fuit apud antiquae memoriae homines, id quod omnibus sat cognitum est, ut mortui terra obtegerentur, ut flumen Stygium quo minus traiicerunt, ne impedirentur. Itaque lege sanctum apud Graecos, ut, quicumque in insepultum incideret hominem, terrae paullum ei iniiceret. cf. Aelian. V. H. c. 4. Neque apud Romanos idem non observatum est atque adeo iure pontificali praefinitum, ut mortuo gleba imponeretur. Quae quidem con-

suetudo eo demum tempore apud Romanos invaluisse dici potest, ita ut pontifices eam lege sancirent, quo cremari corpora sunt coepta. Namque antea, quum terra homines obruebantur, quid ea opus fuerit, non facile licet intelligere. Sanxerunt autem iccirco, ut et mortuus diceretur humatus et locus, ubi crematum corpus, sepulcri nomine appellaretur atque id ipsum teneretur religione. cf. Cic. de Legg. II, c. 22. §. 57. *Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contegeret, eumque morem ius pontificale confirmat. Nam priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum corpus, nihil habet religionis; iniecta gleba, tum et ille humatus est et sepulcrum vocatur* (ex ed. Man.); *ac tum denique multa religiosa iura complectitur* (int. sepulcrum.). Ex quibus perspicuum est, nihil eorum, quae modo diximus, ratum fuisse, nisi gleba iniecta vel iustis factis; hunc enim glebae iniiciendae morem peculiari complectebantur Romani loquutione: *mortuo iusta facere.* cf. Fest. s. v. Praecidanea: *Porca — mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est, glebam non obiecisset.* Recte nos statuisse docet praeterea Tullius ipse l. l., ubi paullo supra haec leguntur: *Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et corpus incensum est.* At iam video in summas virorum doctorum me incurrere criminationes, quod hoc loco, quum praecedant verba: *nam siti dicuntur, qui conditi sunt*, nihilo minus revocarim librorum scripturam *incensum*, omnium iudicio pro corrupta iudicatam; sermonem enim non de crematis, sed de humatis esse hominibus; itaque verba non posse pro testimonio accipi. Quibus ut solus omnibus resistam, quamquam invitus facio, tamen ne quid temere videar admittere, resistendum est. Ac primum quidem illud velim considerent homines eruditi, plane perversum fuisse, si Tullius sepulcri appellationem eorum tumulis noluisset concedere, quos terra contegeret iniecta, quum haec glebae obiectio iustorum faciendorum morem, uti docet Festus et res ipsa comprobat, comprehenderet. Ut enim, quod lubens facio, concedam, in vita communi iustis funebribus omnia fuisse signifi-

cata, quae Servius nobis tradidit ad Virgil. Aen. III, 22. *Sane apparatus mortuorum funus dici solet, exstructio lignorum rogus, subiectio ignis pyra, crematio cadaveris bustum, locus ustrina, operis exstructio sepulcrum.* cff. lib. XI, v. 185. III, 539. Cic. pr. Flacc. c. 38. §. 95., tamen in hac persto sententia, ut secundum ius pontificale nonnisi glebae iniiciendae caerimoniam hac formula *iusta facere* comprehensam fuisse contendam. Eamdemque tantum in cremandis hominibus locum habere potuisse, non est quod amplius confirmem. Rem accurate illustrabit Varronis locus, quem infra tractabimus. Quid iam fiet loco Ciceroniano? Attende ad antecedentia: *declarat etenim Ennius de Africano* et q. s. Probo vel maxime Orellii iudicium, qui pro corruptis ea habuit, quum apud Ciceronem *etenim* sic postponi non queat, id quod acerrime impugnat Wunderus ad orat. pro Planc. p. 123. Quod si locum accuratius examinaveris, verbis *etenim* Ennius etc. caussam inesse nobis facile dabis, qua Cicero gentem Corneliam olim humatam neque crematam esse voluerit convincere. Quid multa? verba misere divulsa nobiscum in integrum sic restitue: *gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. Etenim Ennius de Africano: Hic est ille situs. Vere; nam siti dicuntur, qui conditi sunt. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor, acerbiore odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Nec tamen eorum* (qui igni cremantur) et q. s. — Pro scriptura *usam* codd. nonnulli substituunt *humatam*. cf. Goerenz. ad h. l. Adde iam *declarat*, quod eiecimus; neque miserrimum amplius ignorabis insulsi librarii interpretamentum, qui sententiam auctoris ingeniose sic sibi videbatur explanasse: *humatam declarat* (Cicero gentem Corneliam). Quod additamentum qua ratione posthac in verba ipsa irrepserit, facillime intelligitur; librarius enim, qui postea hosce de Legibus libros descripsit, verbum *declarat* incuria quadam ab verbis *etenim Ennius de A.* abesse opinatus talem effinxit sententiam, qualem hodie legimus: *declarat etenim*

Ennius de Africano. Quae quidem emendatio summam vel inde habuit commendationem, quod vox *humatam* margini videbatur adscripta esse iccirco, ut scripturae *usam* notaretur discrepantia. Qua in re librario non esse impositum, vel illud documento est, quod tres libri Goerenziani *humatam* exhibent pro *usam.* Verissime autem infelicem membrorum transpositionem a nobis esse investigatam, tum ex eo vel maxime perspicuum est, quod verba *sitas reliquias* sic optime respondent prioribus: *nam siti dicuntur* etc., tum quod codd. scriptura *corpus incensum est* sic demum recte potest explicari. Nam L. Sullae ignibus cremati mentione facta Cicero iam ad eos transit, qui non, ut antea, humabantur, sed qui flammis consumebantur; eorumque tumulis negat ante sepulcri nomen posse imponi, quam iusta facta, i. e. gleba iniecta, et corpus sit incensum. Proprie igitur sic fuit dicendum: posteaquam gleba iniecta et corpus ignibus consumtum est, locus, ubi id factum, sepulcri nomine vocatur. Sed redeundum, unde digressi sumus. Familia, ad quam funus pertinebat, dicebatur funesta, si mortuo iusta facta non erant. cf. Varro de L. L. V, p. 33. Speng. Qui locus quum nuper non satis accurate sit tractatus (cf. Goerenz. de Legg. Excurs. I, p. 291), paullo uberius de eo dicendum est. Varro posteaquam exposuit, quid sit *humus* et quem *humatum* dixerint Romani, etiam eum, quem *inhumatum* iudicarint iidem, cogitatione complectitur. Enarrat igitur, qui fieri potuerit, ut *inhumatus* aliquis diceretur, atque eiusdem concludit familiam mansisse funestam. Quod quum ita sit, locum restituo sic: *Ab eo, quom Romanus combustus et in sepulcrum eius obiecta* (cf. Fest. s. v. Praecidanea) *gleba non est, aut si os exceptum est mortui ad familiam purgandam nec* (ex syllaba *dā* et *nec* orta est vulg. *donec) in purgando humo est opertus (ut Pontifices dicunt, quod inhumatus sit), familia funesta manet.* Verissima est scriptura *opertus*, ut paullo infra *inhumatus*, quum ad mortuum referatur; est enim structura κατὰ τὸ νοούμενον. Sequentia sic resarcienda: *Dicitur humilior, qui ad humum* — iam vide p. 40. l. 5. — *demissior, infimus* *h u m i l l i m u s.* Addidit enim *et* ante *dicitur* librarius, qui familiam funestam

etiam humiliorem dictam esse sibi persuasit. Reliqua qua ratione sint reconcinnanda, iamdudum perspexerunt interpretes. Manifestum igitur est ex Varronis verbis, iusta fieri solita esse aut ad totum corpus, priusquam combureretur, aut ad os mortui exceptum; eademque facta esse nonnisi in cremandis hominibus, id quod supra proposuimus. cf. Fest. s. v. *Membrum abscindi mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur, ad quod servatum iusta fierent reliquo corpore combusto.* Cic. l. l. §. 55. *quemadmodum os resectum terra obtegatur.* Ex quibus locis item luculenter apparet, hanc iustorum faciendorum consuetudinem nil nisi glebae obiectionem comprehendisse. Mira autem Wagneri est opinio, qui os resectum vel exceptum autumat significare caput mortui; quae recte refutata est ab Goerenzio l. l. p. 289. Sed ossis resecandi consuetudini repugnare videtur lex XII tabularum sic scripta: *Mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. Excipit bellicam peregrinamque mortem.* cf. Cic. de Legg. II, c. 24. §. 60. *Ossa legere* pro *secare* peculiaris erat loquutio. cff. Senec. de Benef. V, 24. *In acie oculus mihi effossus est et in capite lecta ossa.* Id. Consol. ad Marc. c. 22. *Adiice incendia — ossa vivis legentium.* Id. de Provid. c. 3. *Sed si cogitaveris tecum remedii caussa quibusdam et radi ossa et legi et extrahi venas.* Quos locos video attulisse Goerenzium p. 289 sqq. qui etiam, quam lex supra dicta excitavit difficultatem, optime removet p. 292. Etenim XII tabulae illud minime prohibuerunt, ne propter iusta facienda os resecaretur, sed ne corpore combusto ad exceptum illud os funus et exsequiae celebrarentur; id tum demum fieri concesserunt, si quis in bello vel omnino peregre necatus esset. Nam digitum Romani iccirco abscidisse videntur, ut, quum octavo demum die licitum esset mortuum cremare (cf. Serv. ad Virg. Aen. V, v. 64.), impedirent, quo minus cadaver putresceret; combusserunt igitur primo vel secundo die cadaver et retinuerunt membrum, ad quod octavo demum iusta fierent. Sed quorsum haec omnia pertinent? Primum ad ea, de quibus haec tota orta est controversia, ut intelligatur, neque inveniri usquam loquutionem *omnia iusta facere*, neque sic dici

posse propterea, quod haec caerimonia in gleba tantum conspicua fuerit obiicienda. Deinde ut via possit investigari, qua nostro loco *omnia* in verborum ordinem irrepserit. cf. §. 24. *cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* Librarius quum intelligeret, locum, ubi crematus Sex. Roscius, sepulcri appellatione non potuisse insigniri, propterea quod iusta nondum facta essent, hanc aliqua certe ex parte studuit removere repugnantiam illata vocula *omnia;* sibique persuasit, oratorem sepulcri nomine propterea esse usum, quod aliqua certe facta essent iusta. Imperite enim omnia, quae fieri solebant in funere efferendo, pro iustis accepit. Quod si oratorem iuveniliter effervescentem minus anxium fuisse in exsequendo iure pontificali statuisset, id quod nos hoc loco affirmamus, profecto melius fecisset. Etenim haec sepulcri appellatio facilius poterit condonari, quam insolens illa iustorum ignorantia. — Sextus autem Roscius quum peregre occisus esset, os procul dubio resectum atque reliquum corpus combustum est, id quod etiam temporis computatione confirmatur. cf. §. 20. Restat, ut de Ciceronis verbis, quae de Legg. l. l. §. 55. leguntur, pauca dicamus. M. Ter. Varro quum familiam *mansisse* funestam scripserit, consectarium est, eamdem etiam usque ad diem octavum, quo facienda iusta erant, hoc statu fuisse. cf. Serv. ad Virg. Aen. IX. v. 486. De funestae autem familiae fine Cicero l. l. sic disputat: *Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lare verbecibus fiat; quemadmodum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint; quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.* Familiam igitur quum certum sit iustis factis non amplius fuisse funestam, haec omnia, quae Tullius enarrat, fortasse contendet aliquis in iustorum numero esse referenda. Quid ergo? hisce Tullii verbis scriptura, quam nostro loco exstirpavimus, nonne egregie confirmatur? Minime. Etenim omnia, quae recenset auctor, ad eam spectant familiam purgandam, quae neglecta iustorum caerimonia et facta funesta est et mansit. cf. Cic. l. l. §. 57: *Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in*

mare proiectus esset, *decrevit P. Mucius*, *familiam puram*, *quod os supra terram non exstaret*; *porcam heredi non esse contractam*; *habendas triduum ferias et porco femina piaculum pati*; *si in mari mortuus esset*, *eadem*, *piaculum et ferias*. (ex Orell. coni.) —

§. 23. *Focis patriis*] Ed. Venet. *Nudum eiecit domo atque focis etc. praecipitem Sextum*, *iudices*, *exturbat*. Etsi vocem *Sextum* ex glossa irrepisse credi facile potest, non tamen a Tullio apponi non potuisse dicerem. *Garaton*. Scripturas inter se discrepantes, quae in codd. sunt obviae, si volueris accuratius pensitare, fortasse totum hunc locum sic nobiscum emendabis: *Interea iste — Ameriam venit*, *in praedia huius invasit*, *hunc miserum*, *luctu perditum*, *qui nondum etiam paterno funeri iusta solvisset*, *nudum eiecit*; *domo atque focis patriis diisque penatibus praecipitem Sextum*, *iudices*, *exturbat*, *ipse amplissimae pecuniae fit dominus*. Namque in propatulo est, oratorem ab initio rem, quemadmodum gesta sit, enarrare, ita ut bonorum ereptionem indignissime factam perspicue describat; sed iudicum indignationem ut magis magisque moveat, ad eos ipsos sese convertens exaggerata id denuo memorat oratione, quasi praecipitem Sextum Roscium domo et focis patriis esse exturbatum. Vides autem, voci *Sextum* pronomen *ipse* sic respondere optime. Neque dubito, quin codd. scriptura *eiecit* verissima sit, quum antecedat *solvisset*. Quod ubi concesseris, emendationi nostrae *invasit* non denegabis assensum.

Cap. IX. §. 24. *Ne iter quidem ad sepulcrum patrium*] Nam in agris veteres sepeliebantur, (ut lex vetus testatur: *In urbe ne sepelito* cf. Cic. de Legg. II, cap. 23. §. 58.) et spatium certos pedes latum consecrabatur, ut Philippica IX. extrema (cap. VII, §. 17): *utique locum sepulchro in campo Esquilino C Pansa consul*, *seu quo in loco videtur*, *pedes triginta quoquo versus assignet*, *quo Servius Sulpicius inferatur*. Quod etiam Livius lib. VI, cap. 36. significat: *ut singuli*, inquit, *prope trecentorum civium possiderent agros*, *plebeio homini vix ad tectum necessarium aut locum sepulturae*, *suus pateret ager?* Condito porro cadavere, gleba in os iniecta iustisque factis (cf. not. ad §. 23. B.)

locus is, ubi quis humatus erat, religiosus fiebat. Quum autem agrum illum, in quo humatus erat Roscius, T. Magnus possideret, huic Sex. Roscio non licebat religionis obeundae caussa ad sepulchrum patrium per fundum alienum transire. Sed fortasse hoc oratorie dicitur et agrorum publicatorum eadem, quae et privatim venditorum ratio fuit. De his autem Pomponius sic scribit, sub titul. de sepulchro violato: *Utimur eo iure, ut dominis fundorum, in quibus sepulchra fecerint, etiam post venditos fundos adeundorum sepulchrorum sit ius. Legibus namque praediorum vendendorum cavetur, ut ad sepulchra, quae in fundis sunt, iter ei, aditus ambitusque funeris faciundi causa sit.* Hinc *servitutes itineris ad sepulchrum* apud Jurisconsultos. Labeo l. si mercedem, 53. D. act. empt. *Si eum fundum vendidisti, in quo sepulchrum habuisti, nec nominatim tibi ius ad sepulchrum excepisti, parum tibi eo nomine cautum habes. Paulus: Minime; si modo in sepulchrum iter publicum transit. Hotom.* Huic Menardus adstipulatur. Ego vero nequeo mihi persuadere, dictum hoc esse a Cicerone oratorie, quod animadvertam idem repeti in peroratione cap. 50. *Nec sibi quidquam paternum, ne momumenti quidem caussa, reservavit.* Vere igitur dici existimo, ne iter quidem ad sepulcrum patrium relictum fuisse Roscio, quod ius hoc itineris pertineret ad emptorem fundi, nisi nominatim fuisset exceptum a venditore. In re autem nostra non fuisse exceptum a Roscio, facilè vel ex hoc intelligi potest, quod venditio facta est non nomine Roscii, sed Sullae. Quod autem Hotom. duas illas leges opponit, eas rectius in eam. quam exposui, sententiam a glossa explicari puto, ex L. si vendit. D. de religios. Quin ipsa L. 53. D. de act. empt. aperte nobis favet; ex qua colligitur, iter ad sepulcrum nominatim excipiendum esse, nisi publicum sit. *Facciol.* Vide Victorium Var. Lect. XIV, 21. *Garat.*

§. 24. *Bonorum emptio flagitiosa, malitiosa possessio*] Codd. Oxonn. sex aliique locum sic exhibent: *bonorum emptio, flagitiosa possessio.* Primus eamdem voculam *flagitiosa* ex libro Memmiano voci *emptio* addidit Lambinus eumque sequuti sunt recentiores omnes. Utrique autem vocabulo ab Cicerone adiectum fuisse

epitheton certissimum est, quum et *emptio* et *possessio* omnino tale quidpiam significent, quod in malam partem per se accipi nequeat; contra *furta*, *rapinas*, *donationes* accuratius describi necesse non erat. Quod quum ita se habeat, fides habenda libro Memm. in eo est, quod duo nobis servavit epitheta; reprehendenda autem reliquorum librariorum inscitia, quippe qui, quod in codice principe exaratum viderunt, inepta quadam repetitione ortum vel geminatione existimarint. Quid igitur? hunc locum recepta cod. Memm. scriptura num in integrum esse restitutum confitebere? Num Ciceronem, quem in hac oratione verbis sonantibus abundare intelligimus, eloquentia sua hoc loco tam destitutum arbitrabimur, ut eamdem voculam tam ieiune repeteret? Quod nullo pacto imputari potest oratori, qui, si minus hac oratione efferbuisset, multa profecto et brevius dixisset et ornatius. Singula autem diligentius consideranti sine dubio fatendum est, Ciceronem, quum, quae Amerini animo et cogitatione comprehenderint, exponere voluerit, indignissima quaeque T. Rosciorum iam repetere flagitia. Respondet igitur *emptio flagitiosa* iis, quae §. 21. et §. 23. leguntur; deinde *furta*, *rapinae*, *donationes* spectant ad antecedentia: *Multa palam domum suam auferebat; plura clam de medio removebat; non pauca suis adiutoribus large effuseque donabat.* Quod quum ita sit, *possessio* nonnisi ad verba referri haec potest: *tria praedia vel nobilissima Capitoni propria traduntur*, *quae hodie possidet.* cf. §. 21. At quae possessio? nonne per summum dedecus acquisita atque perfidiam? cf. §. 117. *At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit; quod tametsi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur; verum novem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit; qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officii metuere non debuerunt, eius malitiam non viderunt, orationi vanae crediderunt.* Quod si cum his contuleris, quae §. 26. et §. 109 — 117. sunt exposita, nostro loco *malitiosissimam* T. Roscii Capitonis possessionem significari profecto non negabis, praesertim

quum idem alibi *possessor* appelletur. cf. §. 103. Iste enim in decem fuit legatis ab Amerinis ad L. Sullam missis, cuius clementiam implorarent et misericordiam, ut occisi S. Roscii famam filiique innocentis fortunas vellet conservatas. Quod quidem mandatum tam *malitiose* gessit T. Roscius Capito (§. 111. et §. 117.) ut suam potius sibi partem cum Chrysogono depacisceretur, quam id ageret, quod susceperat. Quod quum ita sit, *malitiosa* pro *flagitiosa* in verborum ordinem recipere non dubitavimus.

§. 24. *Qui non ardere*] Rufinianus de figuris cap. 36. legit: *qui non ardere illa omnia*, atque, ut puto, rectius; illud enim videtur nimium, ut ardeant potius omnia, cupere, quantumvis oratorie dicatur. Satis est illa omnia bona igni potius, quam T. Roscio, velle commissa. *Garaton.* Recte profecto statuisset Garatonius, si verba in codd. sic legeremus: *quam videre in iis iactantem se ac dominantem T. Roscium.* Schellerus Observatt. p. 42. pro *ardere* scriptum fuisse coniicit *audere.* Non probo.

§. 25. *Itaque decurionum decretum statim fit, ut decem primi*] Senatores municipiorum atque coloniarum constat *decurionum* nomine fuisse appellatos. cf. Niebuhr. H. R. 1, p. 354. ed. 3. Decem autem primorum administrationem contendit Hotomanus ad h. l. nequaquam in civitate regenda ac defendenda versatam esse, sed potius in sumptibus rei publicae caussa faciendis. Contra Manutius nonnisi legationis caussa decem primos creatos esse existimat. Utrumque reprehendit Graevius, cuius sententia haec est: „erant decem primi decuriones, quorum praecipue in administranda re publica cum duumviris erat auctoritas, ut dudum viri eruditi ostenderunt et nuperius Cl. Norisius in dissertatione prima ad Cenotaphia Pisana. (p. 59. 60.).“ Decem primos certo munere fungi solitos esse vel ex his apparet verbis; pro Rosc. §. 117. *novem homines honestissimos*, *eiusdem muneris*, *legationis* etc. Iis autem illud munus videtur impositum fuisse, ut evocarentur, qui vel soli, id quod factum est legationum gratia, vel una cum magistratu h. e. duumviris decurionum vel totius senatus nomine res gererent atque de rebus gestis

ad senatum referrent. Itaque legationibus fungebantur, id quod ex nostro loco dilucide apparet. cf. Niebuhr. H. R. I, p. 676. Annot. 1345. ed. 3. II, p. 31 sqq. Annot. 42. ed. 2. Eorumdem operam etiam aliis in rebus fuisse conspicuam, docet hic apud Ciceronem locus, in Verr. II, c. 67. §. 162. *Quum hoc consilio statuas Centuripini publice sustulissent, audit Metellus; graviter fert; evocat ad se Centuripinum magistratum et decem primos.* Sed tamen non tantum *decem*, sed etiam *quinque primi* fuisse nonnumquam evocatos, ex hisce intelligitur exemplis: in Verr. III, cap. 28. §. 68. *ita Agyrio magistratus et quinque primi accitu istius evocantur.* ib. cap. 31. *et quinque primi, quos tu tui questus caussa evocasti.* —

§. 25. *et homines nobiles allegat iis*] Omnes lib. vulg. sic habent: *allegat iis*, qui peterent; plane mendose. Nos quum in uno codice manuscr. scriptum reperissemus, *allegabat* pro *allegat*, sciremus autem, *allegat iis* non dici a Latinis, coniecturam fecimus ex illo *allegabat*, hanc esse veram lectionem, quam reposuimus: *allegat, ab iis qui peterent*, id est, qui ab iis peterent. *Allegat* autem, id est, privatim mittit seu legat. Hoc enim interest inter *legare* et *allegare*, quod *allegare* est privatim et de re privata mittere; *legare* vero publice et de rep. (cf. Terent. Andr. V, 3. v. 28. B.) *Lamb.* Lambini coniectura nihil est opportunius. Cicero ipse *allegare ad aliquem* saepe dixit, ut Philipp. V, cap. 5. Hic quoque, si Lambini sententiam codex aliquis, ut spero, aliquando confirmabit, eodem erit modo dictum *ad eos accedit et allegat.* Multa de hac loquutione docteque, ut solet, disserit J. F. Gronovius ad Livium XXXVI, 11. *Garaton.* Res accuratius videtur consideranda. Vulg. scripturam *allegat iis* plurimis offensioni fuisse editoribus haud mirere. Etenim oratorem saepenumero *allegare ad aliquem*, nusquam autem *aliquem alicui all.* scripsisse contendunt. Quod tametsi concedendum est, tamen quin recte dici possit *allegare alicui*, profecto nihil est, quod impediat. Quod quum ita sit, vulgatam non esse tentandam pro certo ausim affirmare, quum nonnisi orationis variandae caussa structura usus sit Cicero minus usitata. Quid

enim? homines critici num aequo tulissent animo, si legeremus: *et ipse ad eos accedit et homines nobiles allegat ad eos?* Multa autem in hac inesse oratione, quae exemplis aliunde petitis confirmari nequeant, supra iam aliquoties declaravimus. Lambini coniecturam, quantumvis ingeniosam, falsissimam esse arbitramur; posito enim atque concesso, in uno codice legi *allegabat* pro *allegat*, id quod asseverat vir magnus, profecto ex hac nonnisi illud certissime evincetur scriptura, imperitum librarium totam sententiam reconcinnare studuisse. Nam quum videret, in sequentibus legi *peterent* — *pollicerentur*, labeculam Tullio adspersam delevisse sibi visus est emendando *allegabat*. At vid. Cicer. in Verr. IV, c. 19. §. 41. *Litterae mittuntur isti a patre vehementes, ab amicis item, videret, quid ageret, de Diodoro quo progrederetur.* cf. Zumpt. L. Gr. §. 501. p. 405. Emendatione si qua opus esset, haec reponerem: *statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit et homines nobiles* (accesserunt), *a legatis qui peterent* etc. Sed nil moror.

§. 26. *Praedia vacua*] Insignis apud Gruterum lapis MLXXXI. 1. IN (leg. *ei*) *que. vacuam. possessionem. monumenti. SS. cessit.* L. 33. D. de acquir. vel amitt. possess. *ut emptorem in vacuam possessionem induceret.* L. 34. D. eod. *si me in vacuam possessionem fundi Corneliani miseris.* L. 47. D. de rei vindic. *Possessionem eius rei traditum iri.* Nam vacua praedia tradere et vacuam praediorum possessionem tradere, idem est. Formula haec est, qua significamus, nos de nostro iure deque possessione decedere; vacua enim non ea hic intelligas, quae sequior aetas dixit vacantia, quorum nemo possessor; quo ferme ducit Hotomannus, dum tabulas proscriptionis hinc amovere, privatasque conatur inducere. Numquam vacabant praedia, quae dominum mutarent, sed ipso traditionis tempore, quo scilicet veteris domini familia instrumentisque *vacua* novo tradebantur, huius rebus impleri solita debemus existimare; possessore certo numquam carebant. Quis porro *nomen eximere* de privato codice usurparet? Sane reis et proscriptis hoc convenire, etiam ii sciunt, qui mediocriter latine sciunt. *Garat.*

§. 26. *Re inorata*] Huc imprimis facit Ennii locus ex Achille p. 219. ed. Hessel., cui hunc comparat vir summus H. Columna: *Quo nunc incerta re atque inorata gradum Regredere conare? Garat.*

§. 26. *Isti (coeperunt)*] Iure suspectum *coeperunt* Weiskio; nos uncis inclusimus, quum procul dubio glossatori debeatur. Verbum defendi putat Orellius collocatione pronominis *isti;* at cf. Cic. ad Attic. XIII, 21. §. 4. *Etsi nunc quidem maxima mihi sunt haec.* —

§. 26. *deinde aliquanto lentius*] Sic in omnibus exstat libris; neque virorum doctorum cuiquam ea video verba offensioni fuisse. Sed rem pondera paullo accuratius. Quid igitur? rem qui differunt atque procrastinant quotidie, ita ut ne initium quidem rei velint facere, eosdem dices deinde rem *lentius* egisse? Quo quidem vix quidquam cogitari potest perversius. Accedit, quod verborum structura: *deinde aliquanto lentius, nihil agere;* tametsi nonnullis de industria sic scripsisse Tullius videri possit, tam est ieiuna, ut ferri nequeat. Oratorem autem perspicuum est hoc velle oratione exprimere, illos primo rem quotidie distulisse, deinde, ut certe spem aliquam promissorum facerent servandorum, rem quidem incepisse, sed ita, ut non ita multo post eam denuo seponerent ac nihil omnino agerent. Itaque locum emendo sic: *deinde aliquantulum, tum nihil agere.* Etenim syllabae *lum tum* ansam dedere scripturae *lentius* effingendae.

Cap. X. §. 27. *Ad Caeciliam, Nepotis filiam*] Corrige sic: *Caeciliam, Balearici filiam, Nepotis sororem,* ut infra. Nam Q. Caecilius Metellus, qui a Balearibus devictis Balearicus dictus est, filiam habuit, quae ex familiae nomine Caecilia dicta est; et filium Q. Caecilium Metellum, qui, quod Metelli Macedonici nepos esset, ut a patre suo discerneretur, Nepos appellatus est. Et haec ipsa est Caecilia, cuius fides et religio tantum in civitate valuit, ut ex eius somnio Marsico Bello templum Senatus sententia Iunoni Sospitae restitutum fuerit; ut apud Ciceronem libr. de Divinat. I. duobus locis. *Hotom.* Assentior Io. Passeratio censenti vel legendum *Nepotis sororem,* vel has duas voces *Nepotis filiam* esse delendas; vel ita reponendum: *ad Cae-*

ciliam, *Balearici filiam*, *Nepotis sororem.* Erat enim Caecilia Belearici filia, Nepotis soror, ut intelligere licet ex illis verbis, quae sunt in epilogo: *Quasi vero nescias, hunc et ali et vestiri a Caecilia*, *Balearici filia*, *Nepotis sorore. Lambin. Ad Caeciliam*, *Nepotis filiam*] Ita legebat Pantagathus; et in fine orationis tollebat verba illa *Balearici* et *sororem*, glossemata, ut opinor, interpretis alicuius. Existimabant autem *Caeciliam* hanc uxorem esse Sullae, ad quam confugerit Sex. Roscius, cuius intercessione passus sit Sulla fieri iudicium contra Chrysogonum, tametsi gratiosum libertum; *Nepotis* vero filiam eius esse, qui ante annos XVIII Consul fuit, cum Balearicus annos ante XLIV Consul fuerit; unde necesse esset, tunc vetulam fuisse. Plutarchus de Metella hac, Sullae uxore, facit mentionem in vita Sullae. *F. Ursin.* Sententiam Ursini veram esse censeo; vide de hoc Metello Nepote Pighi annales ad annum U. C. DCLV. Anton. Augustinus in libro de familiis Romanorum sensit hanc Caeciliam fuisse Metelli Cretici filiam, quod non probo, et quia hic floruit post Sullae tempora, ut videatur eius filia fuisse nimis tenerae aetatis, praecipue quum antea nupta fuerit Aemilio Scauro; dein quia vetus inscriptio apud Gruterum et F. Ursin. de fam. Rom. in gente Caecilia, hanc Cretici filiam Crassi uxorem fuisse ostendit: *Caeciliae Q. Cretici F. Metellae Crassi* sc. uxor, nisi duas filias habuerit Metellus Creticus. *Graev.* Interpretes recentissimos quum videam in quaestione perdifficili fluctuare, ita ut, quid de codd. scriptura *Nepotis filiam* sit statuendum, definire noluerint, res accuratius videtur investiganda. Qua in re tametsi studendum erit imprimis disputandi brevitati, tamen plura oportebit afferri, quae a quaestione videantur esse paullo remotiora. Ac primum quidem de Pantagathi inquirendum est sententia, quae sane manifesta prae se ferre videtur signa veritatis. Etenim cum iis, quae hoc loco Cicero de egregia mulieris virtute disserit, diligenter contende insignes Plutarchi laudes eidem impertitas, vit. Sull. cap. 6. (Vol. III, p. 185. ed. Hutt.) *γαμεῖ δὲ γάμον ἐνδοξότατον, Καικιλίαν τὴν Μετέλλου θυγατέρα τοῦ ἀρχιερέως· ἐφ᾽ ᾧ πολλὰ μὲν εἰς αὐτὸν ᾖδον οἱ δημοτικοὶ, πολλοὶ δὲ τῶν πρώτων ἐνεμέσων, οὐκ ἄξιον ἡγού-*

μενοι τῆς γυναικός; ὃν ἄξιον ὑπατείας ἔκριναν, ὥς φησιν ὁ Τίτος. Quorum verborum miram Reiskii, hominis eximii, habeto interpretationem: „Caecilia mulier habebatur impudicissima et flagitiosissima et Sulla domestica sua dedecora aut ignorabat aut dissimulabat volens.“ Nil moror. Magis autem magisque inclinabis ad amplectendam Pantagathi coniecturam, si reputaris animo, eiusdem Caeciliae summam fuisse auctoritatem eamque tantum valuisse apud Sullam, ut precibus eam adire conarentur Romani, ut opem ferret exsulibus. cf. vit. Sull. c. 6. p. 186. τὴν μέντοι Μετέλλαν ἐν πᾶσι θεραπεύων διετέλεσε, ὥστε καὶ τὸν Ῥωμαίων δῆμον, ὅτε τοὺς περὶ Μάριον φυγάδας ἐπεθύμει καταγαγεῖν, ἀρνουμένου τοῦ Σύλλα, δεόμενον ἐπιβοήσασθαι τὴν Μετέλλαν. Etiam hoc loco sanequam inconsiderate egit Huttenius, quippe qui pro ἐπιβοήσασθαι scriptum fuisse ἐπιβοηθῆσαι coniecerit. — Quae quum ita sese habeant, etiam Sextum nostrum verisimile est in eius sese contulisse fidem atque clientelam, quam sciret plurimum posse apud maritum, cuius nutu omnia regerentur atque arbitrio; id ipsum autem videtur innuere orator sequentibus: *eius virtute*, *fide*, *diligentia factum est*, *ut hic potius vivus in reos*, *quam occisus in proscriptos referretur* (§. 27.); quamquam haec verba vel sic possunt explicari, Caeciliam Sexti vitam tam anxie custodisse, ut adversariis omnino non facta sit eius trucidandi potestas. Omnia profecto plana forent atque extra controversiam posita, ubi hanc Sullae uxorem Q. Caecilii Metelli Nepotis filiam fuisse, id quod Pantagathus et qui eius comprobarunt sententiam, satis temere sibi persuaderi passi sunt, firmis posset demonstrari argumentis atque scriptorum fulciri testimoniis. At audiendus Plutarchus est, vit. Sull. l. l. p. 183. ed. H. καὶ ὅλως ἑαυτὸν τοῦ δαίμονος ποιεῖν, ὅς γε καὶ τῆς πρὸς Μέτελλον ὁμονοίας, ἰσότιμον ἄνδρα καὶ κηδεστήν, εὐτυχίαν τινὰ θείαν αἰτιᾶται· πολλὰ γὰρ αὐτῷ πράγματα παρέξειν ἐπίδοξον ὄντα, πρᾳότατον ἐν τῇ κοινωνίᾳ γενέσθαι τῆς ἀρχῆς? Quam Metelli ὁμόνοιαν optime describit Appianus, B. Civ. I, p. 398. Steph. καὶ αὐτῷ Μέτελλος Καικίλιος ὁ Εὐσεβὴς ἐκ πολλοῦ τε ᾑρημένος ἐς τὰ λοιπὰ τοῦ συμμαχικοῦ πολέμου καὶ διὰ Κίνναν καὶ Μάριον ἐς τὴν πόλιν οὐκ ἐσελθών, ἀλλὰ ἐν τῇ λιγυστίδι τὸ μέλλον περιορῶν, αὐτόκλη-

τος σύμμαχος ἀπήντα μεθ' ἧς εἶχε συμμαχίας, ἀνθύπατος ἔτι ὤν. Ex quibus Appiani verbis quum Metellum Pium fuisse optime intelligatur, qui se totum L. Sullae prae ceteris addixerit, consectarium est, eumdem Pium etiam socerum (*κηδεστὴν*, ut ait Plut.) dictatoris, Caeciliam autem non Metelli Nepotis sed Pii fuisse filiam. Quae quidem testimonia multifariam adaugeri possunt. Namque ut taceamus de Plutarchi verbis: *πρᾳότατον ἐν τῇ κοινωνίᾳ γενέσθαι τῆς ἀρχῆς*, quae locupletissimo Gellii testimonio confirmantur (cf. N. A. l. XV, cap. 28.), idem Plutarchus Sullae socerum Pontificem Maximum appellat l. l. p. 185. *τὴν Μετέλλου θυγατέρα τοῦ ἀρχιερέως.* Constat autem, Metellum Pium propter insigne patris, cui aqua atque igne interdictum erat, in patriam reducendi studium in tanta fuisse apud Romanos laude, ut et Pius appellaretur et in petitione pontificatus multis iisque consularibus viris etiam tum adolescens anteferretur. cff. Auct. de vir. illustr. in Met. P. — Freinsh. Suppl. Liv. l. LXIX, cap. 40. Ascon. in Corn. p. 80. ed. Orell. Accedit quod, si Cornelia, Sullae uxor, Metelli Nepotis fuisset filia, verba, quae infra §. 147 leguntur, omni destituta prorsus forent explicatu. Explosa igitur Pantagathi sententia circumspiciendum est, qua possint argumentatione librorum verba apte defendi. Illud certe statui nequit, Metelli Nepotis, qui cum T. Didio a. u. 655 fuit consul, filiam fuisse, quum, quod Pantagathi opposuimus opinioni, idem hanc infirmet explicationem atque adeo destruat; ex eisdem autem verbis Caeciliam, Balearici filiam, esse intelligendam plenissime coarguitur. Namque hoc loco (infra §. 147.) tametsi haec *Balearici filia, Nepotis sorore* ab glossatore profecta esse nobis est persuasissimum, ita ut ea delere non dubitaverimus, tamen sequentia: *quum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet* nonnisi de Balearici filia, cuius eo tempore summa erat auctoritas atque amplitudo (cf. Cic. de Divin. cap. 2 et c. 44.) cogitari posse demonstrant. Etenim habet stemma Metellorum hoc:

- Q. Caecilius Metellus.
  - Q. Caecilius Metellus Macedonicus, Cons. a. u. 610. Cens. 622.
    - Q. Caec. Met. Balear. Cons. 630. Cens. 633.
      - Q. Caec. Met. Nepos, Cons. 655. cum T. Didio.
    - L. Caec. Met. Dalmat. Cons. 636.
    - M. Caec. Met. Cons. 638.
    - C. Caec. Met. Caprar. Cons. 640. Cens. 651.
  - L. Caecilius Metellus Calvus, Cons. a. u. 611. Cens. 627.
    - L. Caec. Met. Calv. Cons. 634. Cens. 638.
    - Q. Caec. Met. Numidicus, Cons. 644. Cens. 651.
      - Q. Caec. Met. Pius, Cons. 673. cum L. Sulla.

De Q. Caecilio Metello Nepote hoc exstat luculentissimum Asconii Ped. testimonium in Cornel. p. 63. ed. Orell. *Eius enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui consul fuit cum*

T. Didio etc. Caecilia igitur aetate iam provectior erat, id quod Cicero videtur verbis significare: *in qua muliere, iudices, etiam nunc — quasi exempli caussa vestigia antiqui officii remanent.* Quod quidem ab F. Ursino minime debuit exagitari; nam quo provectior annis ipsa erat, eo minus illud matronas potuit offendere Romanas, quod infelicem Sextum domum suam receperat. Quae quum ita sint, pro *N. filiam* sine ulla haesitatione *N. sororem* reposuimus. Corruptela enim vel inde orta est, quod librarius in siglis N. S. haesitans fere insolitis pro iis N. F. restituit. At dicet quispiam, mirum esse, quid sit, quod orator eam *Nep. sororem*, ac non potius, uti alibi, *Balearici filiam* dixerit. Quid igitur? Num audiendus? Minime. Etenim Nepotem fratrem voluisse Tullium appellare, propterea quod vel ipse in Metellis erat, qui tamquam advocati in subselliis sedebant (cf. §. 15. 77.) nobis est exploratissimum.

§. 28. *tempore ipso pugnarent*] Nihil múto; sed si liber aliquis antiquus ita haberet *tempore ipsum oppugnarent*, non valde repugnarem. *Hotom.* Quam coniecturam iure repudiarunt interpretes omnes; perversitatis autem signa, quae prae se ferre eam iudicavit Orellius, non assequor. cff. Cic. pro Fontei. cap. 3, §. 7. ad Fam. V, 1, 1. —

Cap. XI. §. 29. *aut unde potissimum, iudices, ordiar?*] Codd. Oxonn. quattuor pro *ordiar* praebent *exordiar;* quam scripturam ut reprobaremus, illud effecit, quod oratorem, si quid fieri vel praesenti tempore indicat vel imperfecto, plurimis certe locis simplex *ordiri*, contra compositum *exordiri* videmus praeferre, ubi de re agit praeterita. cf. Tuscul. II, cap. 18. §. 42. *Unde igitur ordiar?* ibid. V, c. 13. §. 37. *unde igitur ordiri rectius possumus?* ibid. c. 31. §. 88. Acad. Pr. II, c. 7. §. 19. de Finib. IV, c. 6. §. 15. de Divin. II, c. 12. §. 28. in Verr. IV, c. 47. §. 15. Contra *exorsus* his invenitur locis: Acad. Pr. II, c. 4. §. 10. *quum ita esset exorsus.* ibid. c. 5. §. 13. *Quae quum dixisset, sic rursus exorsus est.* ibid. c. 20. §. 64. Acad. Post. I, c. 4. §. 15. de Orat. I, c. 8. §. 30. II, c. 8. §. 31. —

§. 30. *Filii vita infesta saepe ferro*] Fortasse sic interpunctio facienda est: *filii vita infesta saepe*

ferro, atque insidiis appetita. Sic enim loquuntur Latini *mare praedonibus infestum; via latrociniis infesta.* Supra proxime, ubi libri omnes habent *bona adempta, possessa, direpta,* Passeratius mavult legi *bona adempta, possessio direpta. Lambin.* Quod hic ex Passeratio affert Lambinus, *possessio direpta*, id non ex illius coniectura esse videtur, cum ita editum in Ven. MCCCCLXXX et a Camerario reperiam. Si coniectura est, his nititur aliisque fortasse, neque tamen admiserim. *Garaton.* De vocabuli *infestus* significatione vid. Gell. N. A. IX. c. 12. *Ita infestus ancipiti quoque significatione est; nam et is infestus appellatur, qui malum infert cuipiam, et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque infestus dicitur.* Praeter exempla a Matthiaeo allata cfr. Manutius ad Cic. pr. Rabir. c. 3. §. 12. — Cort. ad Sallust. Catil. c. 15. §. 4. — Passeratii autem coniectura admitti nequit, quum non Sexti Roscii possessionem esse direptam velit orator dicere, sed eiusdem bona ab T. Roscio Capitone indignissimo esse possessa flagitio. cf. quae ad §. 24. disputavimus. Ceterum interpunctionem praetulimus hanc: *domus obsessa ab inimicis, bona adempta, possessa etc.* cff. §. 23. 32. —

§. 30. *quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices.*] Verba *quoniam quidem suscepi*, quae in omnibus exstant libris, delenda censuit Heusingerus, cui dicto audientes fuerunt Schuetzius, Matthiaeus; uncis inclusit Orellius. Neque veri videri simillimum, ab librario huc esse ex sequentibus translata, negabit quisquam, praesertim quum locum, si volueris verba servare, vel sic scriptum esse oporteat: *qui libere dicam, qui cum fide defendam, — quoniam quidem suscepi;* vel hunc in modum: *quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices, qui libere dicat.* Sed vide, ne hoc loco impositum sit viris doctissimis. Etenim sequentia *in suscipienda caussa* documento videntur esse, iam supra de *suscipiendo* patrocinandi negotio sermonem fuisse; deinde quum infra addatur *semel*, profecto nihil est, quod oratorem propter horum verborum repetitionem reprehendas; quin immo ex his ipsis coniici licet, eamdem formulam iam in prioribus lectam fuisse. Locum autem sic interpretabimur, ut verba *quoniam quidem suscepi*

(int. caussam) parenthesis loco accipienda esse dicamus, quibus orator sese ipsum esse eum voluerit declarare, qui libere libenterque infelicem Sextum Roscium esset defensurus. — Quod si codd. Oxonn. ponderaveris scripturas, fortasse Tullium sic scripsisse opinabere: *Patronos huic defuturos putaverunt. Desunt, qui libere dicant, qui cum fide defendant, id quod in hac caussa est satis? Quoniam quidem* (f. equidem) *suscepi, non deest profecto, iudices,* (patronus). —

§. 31. *Licet Hercules undique omnes in me terrores periculaque impendant omnia, succurram atque subibo*] Sic MSS. et editiones vetustiores pleraeque. Sed Franc. prim. et editio anni 1472: *Licet Hercules undique in me terrores periculaque impendant, omnia succurram atque subibo.* Forte *omnia* loco suo excidit et Cicero scripsit: *Licet Hercules undique in me terrores periculaque impendant, succurram atque omnia subibo,* nimirum pericula et terrores. *Graev.* Legendum omnino est *impendeant* ex ed. 1480. aliisque, quas vidi, plurimis, relicto illo mendoso *impendant,* quod Naugerius et inde R. Stephanus paene soli adoptaverant. In Naugeriana porro editum video *omnes terrores, minae* etc., neque in ea legitur *in me.* Hanc lectionem edd. multae recentiores secutae sunt et in duobus MSis Palatt. Gruterus invenit. Ipse autem putat, ex corruptione vocum *in me* ortam illam esse vocem *minae.* Qui codices antiquos versant, ignorare non possunt, diphthongo, ut fit saepe, sublata, *in me* et *minae* ita perscribi, ut haud facile distinguantur; opem a sensu petere oportere. Iam vero quid hic esse in sensu caussae dicemus, ut *in me* potius quam *minae* legendum sit? Primum imo absque illo *in me* usitatius erit verbum *impendeo* constructum, quod vel absolute vel cum dativo usurpari solet; quamquam et sic sane possit et sic ipse Tullius in Bruto. Deinde quid habet absurdi minas cum terroribus atque periculis oratorie coniungere? Pro Quint. cap. 14. *Minae iactentur, pericula intendantur, formidines opponantur.* Eodem plane modo Plutarchus in Antonio c. 83. ἀπειλὰς καὶ φόβους apte coniunxit. Postremo si *minae* illae non placeant, satius est eas, tamquam interpretationem terroris, expungere. Legitur enim in MSis et

edd. SS. *terrores minae;* at in ceteris *in me terrores*, nusquam *terrores in me.* Non solum ergo corruptas illas voces, sed transpositas quoque Gruterum oportuit existimare; neque ego tamen transferri non potuisse defendo. Illud observo, in hisce vocem omnes locum earum *in me* occupare, quae vicissim illam excludunt a MSo Francii et edd. 1472 et 1480. Quamobrem si vox *minae* pro glossemate habeatur, legendum cum Lambino videbitur: *undique omnes terrores periculaque impendeant omnia*, vel *undique in me terrores* etc. Sin eam vocem adesse iubebimus, ita legemus: *undique omnes minae, terrores* etc., quod ceteris lectionibus facile nunc praefero; vel *undique minae, terrores* etc. Atque ad haec postrema Graeviana etiam posset elegans adhiberi traiectio, cui praeter audaciam quamdam vox *omnes* mihi videtur obstare. Haec viris doctis perpendenda trado, qui ex MSis fortasse rem clariore in lumine collocabunt. In his Graevianam interea lectionem non repudio. *Garaton.* Librorum nondum collatorum ope omnino destitutos nos querimur; neque tantum nobis arrogamus, ut eruditissimorum hominum iudicio sine ulla dubitatione nostrum anteponere conemur. Sed tamen illud tenendum est, unam tantum ab scriptore posse profectam esse scripturam. Quod quum ita sit, videndum est, quid oratorem scripsisse maxime videatur verisimile. Neque illud urgebimus, verbum *impendere* non saepe cum praepositione *in* coniunctum inveniri. Maxime autem arridet locus, quem ex orat. pro Quint. cap. 14 §. 47. excitavit Garatonius. Certum enim est atque exploratum, Ciceronem his eloquentiae suae primitiis non tanta instructum fuisse et inveniendi facultate et copia dicendi, quantam in provectioris aetàtis operibus licet deprehendere. Unde factum, ut in hac pro Sex. Roscio oratione multa ex superiore repeteret multaque paullisper tantum commutata pronuntiaret. Consectarium igitur est, non pauca, quae in hac nostra leguntur oratione, ex superiore pro Quintio posse explicari. Ergo libris *minae* exhibentibus fidem noluimus derogare. Praeterea ipsum vid. Cic. pro Muren. c. 21. §. 43. *Primum accusandi terrores et minae, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri.* Ibid. §. 44. —

§. 31. *libenter, audacter, libereque dicere*] Libri et editt. omnes *audacter* praeter Lambinum, qui *audaciter* edidit, eumque sequutus est Orellius. cf. Quintil. Inst. Or. I, cap. 6. *Inhaerent tamen quidam molestissima diligentiae perversitate, ut audaciter potius dicant, quam audacter, licet omnes oratores aliud sequantur.* Quintilianum increpant viri docti, locos optimorum codd. auctoritate fultos ex antiquis auctoribus coacervantes, quibus saepenumero inveniri *audaciter* comprobent. cf. Gronov. ad Liv. XXII, c. 25. XL. c. 55. Non autem viderunt, Quintilianum, quum *aliud*, non *illud* vel *hoc sequantur* scripserit, nil nisi hoc voluisse evincere, utrumque oratoribus fuisse usitatum; perversam autem eorum esse sedulitatem, qui nonnisi *audaciter* scribi oportere autumarent. Utramque formam etiam apud Ciceronem deprehendimus; cf. infra §. 104, ubi *audaciter* et codd. et Prisciani fulcitur testimonio, p. 1014 P. — Pr. Fontei. Cap. I. §. 1. *Audaciter hoc dico, iudices, non temere confirmo.* cf. Interpr. ad Quintil. l. l. —

§. 31. *nulla res tanta existat*] Ed. Rom. Br. Med. *existit.* Sic et MS. Pal. Nempe accepere *existere* pro *esse.* Aldus restituit *existat.* Ex usitato in hac sententia modo loquendi debebat esse *existet*, ut edidit Graevius, estque in MS. Gu. a. m. s. sed Graeco modo dixit: *οὐδέν τοι τόσον γένοιτο. Ernest.* Orator si *exsistat* scripsit, confidentia certe aliqua ex parte pessum data est, qua se Sextum Roscium velle defendere ipse supra est professus. Verum tamen dedimus *exsistat*, quum id plurimorum librorum consensu confirmetur.

§. 32. *cum ferro atque telis venistis*] Ingeniosa Heusingeri coniectura est *cum ferro et cum telis.* cf. Beier. ad Cic. de Offic. I, c. 14. T. I, p. 105. Ramsh. L. Gr. §. 151. 2. 6. At vide infra §. 78. *qui propter illius mortem in egestate et insidiis versatur*, nisi hoc loco propter sequentem syllabam *in* — excidisse praepositionem volueris statuere.

Cap. XII. §. 33. *Quo populus R... interemtus est*] In his semper haesi, nec ea concoquere possum; adeo mihi non modo verbis duriora, sed etiam alieno loco esse videntur. Primum quale est, *quo nihil in-*

dignius, *nisi?* quo pertinet illud *quo?* Durum et inusitatum est *nihil indignius nisi mortem.* Hotomanus etiam haesit in *mors cives suos perdiderit*, nec ei satis bene occurrit Graevius. Tum quare h. l. commemoratur mors Scaevolae? quae eo tempore non accidit, de quo hic est sermo, nempe non ex illo vulnere, quod inflixerat Fimbria. Suspicatus sum, verba haec esse loco mota. Si reponantur post *quam populus Rom. memoria retinet*, ... sic: *qui nihil vidit indignius* etc. saltem melius cum reliqua oratione cohaereant, et oratio ipsa melius. *Cives suos* referetur ad populum R. *Ernest.* Quas excitavit vir praestantissimus hoc loco difficultates, eas removere conatus est Schellerus Observatt. p. 42, sed tamen ita, ut eumdem ne perspexisse quidem eas dilucide appareat. Optime rem tractavit Matthiaeus, cui neque Ernestius, si viveret, amplius repugnaret. Etenim *nisi* minime pro *quam* est accipiendum, quum a priore *nihil* dependeat. cf. Horat. Serm. II, 6. 4. *Nil amplius oro*, *Maia nate*, *nisi ut propria haec mihi munera faxis.* Sed cave, cum nostro ne contendas locum ex orat. pro Quint. c. 2. §. 8. *Nam quid hoc iniquius aut indignius*, *C. Aquilli*, *dici aut commemorari potest*, *quam me — priore loco caussam dicere —?* Quum enim *hoc* nonnisi ad sequentia *me — dicere* possit referri, aut id ipsum pronomen aut *quam* particula delenda est, nisi volueris, id quod fortasse praestat, anacoluthon statuere. Restant autem eaeque haud spernendae difficultates. Quas quamquam aliqua ex parte sublevavit Steinmetzius recepta ex codd. Pariss. scriptura *occisus* pro vulg. *cives suos*, quam his illustravit exemplis: pro Planc. c. 42. §. 101. *si quidem ego tibi vivus non prosum*, *qui fortasse mortuus profuissem.* pro Milon. c. 29. §. 79. Soph. Electr. v. 783. *Ὀρέστα φίλταϑ᾽, ὥς μ᾽ ἀπώλεσας ϑανών!* Antig. v. 856. *ϑανὼν ἔτ᾽ οὖσαν κατήναρές με*, tamen haereo vel maxime in his: *perdiderit et afflixerit.* Namque ut omnes morte Scaevolae afflictos concedamus, non item omnes perditos fuisse concedi potest. Quare nonnisi propter augendam orationis vim Ciceronem hoc verbo uti voluisse in propatulo est; quod tamen vel sic demum fieri potuit, ut diceret: *omnes occisus afflixerit et perdiderit*, vel,

quod longe praestantius est, *atque adeo perdiderit.* Vulgatam quibus tuear exemplis, non habeo. Deinde pessime consultum est sequentibus: *quos quia* et q. s. Quae si voles accurate explicare, sic interpretere necesse erit: quum eos vellet servare, ipse ab iis interemtus est. At vides, quam longe haec absint ab oratoris mente. Nam particula *quia* non ratio redditur sequentium *ipse interemtus est*, sed priora potius exponuntur, ita ut, cur mors Scaevolae fuerit indignissima, declaretur. Quod optime perspexit F. Ursinus, qui locum emendat sic: *qui*, *quos* etc. Quae contra eum attulit exempla Steinmetzius, omnino non quadrant. Nobis vocularum antiquitus facta traiectione sententiae videtur macula esse aspersa. Quae quum ita sint, totum locum refingimus hunc in modum: *quae tantum potuit*, *ut omnes occisus perculerit et afflixerit*, *quia*, *quos servare per compositionem volebat*, *ipse ab iis interemtus est.* In eo igitur summam conspicuam fuisse indignationem contendit, quod omnes et Mariani et Sullani aegerrime tulerint hanc Scaevolae necem acerbissimam. Quae quidem emendatio tantum habet ex sequentibus (§. 34.) commendationis, ut et verissimam eam iudicem et viros doctos, qui hunc totum locum pro spurio habuerunt, mirifice statuam esse deceptos.

§. 34. *Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriano non simillimum?*] Sic edendum curavi, Renati Boëmoraei coniectura adprobata, cum vulgo legatur *illi dicto atque facto Fimbriae non simillimum. Ne* autem hoc loco responsionem aientem postulat, ut supra notavimus. *Lambin. Non* hic est *nonne*, ut recte Manutius. *Graev.* At ipsum *ne* praesens adest in *estne.* Illud tamen advocare, ut cum *non* coniungatur, non est necesse. In hac etenim interrogationis vi negative, quod est *ἐμφατικώτερον*, sententiam proferri aliquando solere, omnes norunt. Rufinianus autem de figur. cap. 23. tam in Capperonnerii quam in Ruhnkenii editione *Fimbriano simillimum* praefert, plane ut Boëmoraeus emendabat. Veram esse lectionem hanc, doctissimus vir, Ruhnkenius, putat. Sed mihi adhuc ampliandum videtur. Dubito enim, utra sit potior; et negationem in Rufiniani quoque lectione adesse video potuisse. Id ex vulgata

ılligo, quae facillime ex *Fimbriano n.*, quemadmodum *on* saepe contrahunt codices, potuit proficisci. Exemta in re a criticis abunde illustrata non afferam. *Gaton.* Rufiniani scripturam etsi antiquiores comprobaunt plerique interpretes, tamen quid sit, quod eam vel ıaxime commendet, non viderunt. Etenim vulgatam *'imbriae non simillimum* esse soloecam contenderunt ·centiores, propterea quod *ne* — *non* pro nonne dici equeat; neque infitias ibit quisquam, eamdem, quanımvis nostrae linguae indoli optime videatur responere, iure videri Latinis esse abiudicatam. cf. Heusing. d h. l. — ad Offic. III, c. 17. p. 693. ibid. c. 19. . 714. Verum enimvero Rufiniano maximo opere video .dversatum esse Ernestium, qui sedulo cavendum esse ıraecepit, ne qui particulam *ne* verbo adiunctam acciıeret pro *nonne.* cf. de Orat. II, cap. 15. Not. 41. Qua in re quum multos haberet iure contradicentes, erte in eo perseveravit, ut sese ipsum huic dicendi formulae non fore addictum usquam ingenue profiteretur. cf. Verrin. II, c. 46. Not. 33. „estne pro *nonne* est? quod est contra consuetudinem legitimam Latini sermonis; itaque olim tentatus sum *ne* in omnibus partibus delere. Sed quum aliquoties in eodem loco libri consentiant sintque et alia exempla notata (vid. Clav. in *ne)* sit haec Ciceronis scriptura, quam nos non imitemur.“ — Exempla ab Heusingero contra Ernestium allata quamquam ita sunt comparata, ut de particulae *ne* pro *nonne* positae significatione dubitari nequeat, tamen hunc nostrum locum accurate consideranti mihi fatendum est, negationem *non* tam exquisite oratoris menti respondere, ut eam Ciceroni eripi nullo pacto patiar. Quid igitur est? Interrogationes, quae affirmantem flagitant responsionem, particulis *annon* vel *nonne* fieri constat. cf. Cic. Parad. V, c. 3. §. 40. *Annon est omnis metus servitus?* Acad. Pr. II, c. 18. §. 56. Terent. Andr. III, 5. 15. Sed tamen in iisdem interrogationibus, quae particulis *annon* fiunt, negationes separari solent ab *an* particula, quo maior inde nascatur vis asseverandi. cff. Tuscul. IV, c 21. §. 48. *An vero vir fortis, nisi stomachari coeperit, non potest fortis esse?* ibid. V, c. 36. §. 105. *An hoc non ita fit omni*

in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? de Finib. II, c. 3. §. 7. infra pro Rosc. c. 52. §. 152. pro Arch. c. 4. §. 9. cum Lambino repone: *An* (vulg. *at) domicilium Romae non habuit is, qui — collocavit?* Quid? in hisce quod locum habere posse concedis, id quovis pignore contendes soloecum esse, si qui voluerit idem dare *nonne* particulis? At in prioribus negatio post interrogandi particulam collocata est, quo fit, ut facile ab ea seiungatur. Audio. Locum igitur sic emendabis: *an hoc — non simillimum?* Namque antecedens *est* quum casu quodam bis esset exaratum, illud *estan* in *estne* commutarunt librarii. Enimvero hac non opus est emendatione, quum sana sint omnia. Nam voces *non simillimum* arctissime sunt cogitatione connectendae, ita ut pro *dissimile* fere positae sint. cf. Cic. ad Attic. XIV, 14. §. 5. *Poterone eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt?* i. e. poterone contumelia eos afficere, qui et q. s. Infra pro Rosc. §. 122. *Quid igitur? Chrysogonus suine maleficii occultandi caussa quaestionem de his haberi non vult?* ubi iure Steinmetzius *suine* ex codd. pro vulg. *sui* restituit. Similis Graecorum dicendi consuetudo; cf. Sophocl. Ai. v. 1131. *εἰ τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς* (i. e. *ἀπαγορεύεις*) *θάπτειν παρών.* cf. Herm. ad Vig. not. 309. ad Euripid. Med. p. 344. 361. Matth. Gr. Gr. §. 608, b. p. 1221. Quod quum ita sit, negans hoc loco post *ne* postulatur responsio cff. infra §. 54. *exheredavitne? non* §. 107. *poteritisne dubitare, iudices, qui indicarit?* item §. 122. Tuscul. I, c. 27. §. 67. Reiecta igitur Rufiniani scriptura librorum sequi auctoritatem maluimus, praesertim quum, si eiusdem Rufiniani verba volueris diligentius ponderare, Garatonio videatur adstipulandum esse *Fimbriano non* scriptum fuisse censenti, ita ut apud eumdem remaneat negatio. Quin statue, apud Rufinianum fuisse scriptum hoc: *Fimbriaeno n sim.* i. e. *Fimbriae non sim.* —

§. 34. *hoc, quia fit a Chrysogono, non est ferendum.*] Mendum apertissimum; vacat enim negatio et sententiam depravat. Itaque in *num* nonnulli eam commutant, ut cum interrogandi nota legatur; quibus assentior. *Hotom.* Coniecturam ab Hotomano sollerter exco-

gitatam posthabuerunt plerique editores, pauci comprobarunt. Vulgatam interpretati sunt sic: accusatio Scaevolae indignior populo Rom. visa est ob summam Scaevolae sanctitatem, accusatio Roscii ferenda non est, quia Chrysogonus, homo improbus et potens, accusat. cf. Beck. ad h. l. Quae quidem explicatio admodum ieiuna est, id quod Ernestius optime perspexit; qui quum argumentationis formam postulare interrogationem intelligeret, aut cum Hotomano *num* scribendum aut negationem censuit esse delendam, ita ut legeretur *est ferendum?* Si nobis optio daretur eligendi, Hotomani sequeremur iudicium. Sed tamen omnes libri MSS. et editt. vett. quum negationem tueantur, retinenda est; neque video, quid amplius reprehendas, modo verba nobiscum interpungas sic: *illud, quia in Scaevola factum est, magis indignum videtur hoc, quia fit a Chrysogono? Non est ferendum;* i. e. *illa* Scaevolae accusatio ob viri sanctitatem atque gratiam indignior videtur, quam hoc miseri Sexti Roscii iudicium, propterea quod Chrysogonus, homo vel potentissimus hoc tempore, qui omnia regit arbitrio suo, id conflavit? Non est ferendum. Vid. Senec. de Provid. c. 3. *Infelix est Mucius, quod dextra ignes hostium premit?* cf. Ramsh. L. Gr. §. 174, I. p. 699 sqq. ed. 2.

Cap. XIII. §. 36. *Quid igitur est?*] Obscurus mihi locus, neque equidem quemadmodum explicari possit, satis intelligo, nisi forte sic legamus: *non tamen eodem modo de omnibus;* et illa verba: *quid igitur est?* aut post verbum pugnat reponamus aut post *Populus Rom. imposuit. Hotom.* Post *imposuit* verba transponi vult etiam Passeratius, id quod vel maxime probabile visum est Ernestio. Defendunt eorum sedem Pareus Lex. Crit. p. 1037, Matthiaeus, Orellius, Steinmetzius exemplis his: pro Quint. c. 2. §. 5. *Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia. — Quid ergo est? Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit* etc. Ibid. §. 11. *non quo ei deesset ingenium. — Quid ergo est? Quum ei natura nihil melius quam vocem dedisset* etc. — pro Tullio §. 4. *non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat caussa* etc. pro Caecin. c. 12. §. 34.

Feci equidem, quae dicis, omnia; et ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. Quid ergo est? Impune feci, nam et q. s. Infra §. 55. *sciunt, huiusce pecunia te adductum esse. Quid ergo est? ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat ut* etc. Omnibus hisce locis circumscribi asseverant hac dicendi formula, quae plurimum faciat ad audientium animos excitandos, adversativam *sed* particulam; quod quum ita sit, nostro loco sic debuisse affirmant continuari orationem: *sed non eodem modo de omnibus.* Mirum igitur videbitur, quid sit, quod, quum rei veritas fere clamet, nos viris doctissimis obsequi noluerimus. Sed animum diligentius attende ad exempla, quae prolata sunt. Quibus quum legatur *ergo* particula, non debuisse ea cum nostro loco conferri perspicuum est, propterea quod harum vocularum non eadem est significatio. Deinde formulae *quid ergo est?* explicatio, quam supra vidimus, nonnisi speciem prae se fert veritatis; revera falsa est. Etenim ubique *ergo* genuinam retinet suam vim atque significatum, ita ut conclusioni tantum inserviat; vid. pro Caecin. l. l. *quid ergo est? impune feci;* i. e. *und was folgt daraus? ich habe* etc. Eadem ratione verba, quae infra §. 55. leguntur, sunt explicanda. Quae quidem huius formulae vis tametsi reliquis locis paullo est occultior, tamen inest aperte; cf. pro Quint. c. 2. §. 5, ubi eamdem sic velim exponas: ergo, si illud in caussa non est, quid tandem consequitur? profecto nihil nisi caussam esse omnino aliam. — Quae vide, sis, qua ratione cum nostro loco concilies. Neque tamen Hotomani admiserim transpositionem, utpote quae iusto sit audacior. Circumspicienti autem optima mihi offertur codicis Guelpherb. scriptura *num* pro *non* exhibentis, quae tantum habet commendationis, ut eam in verborum continuationem non dubitem recipere. Itaque totum locum excudi iussimus sic: *Quid igitur est? num eodem modo de omnibus? Ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet, duas autem reliquas vobis P. R. imposuit, ego crimen oportet diluam; vos et audaciae et q. s.* cf. in Verr. IV, c. 6. §. 11. *Quid igitur nobis faciendum est? num argumentis utendum in re eiusmodi?* vid. infra §. 118. —

§. 37. *Quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.*] Locum bis citat Priscianus, tum ipse ab sese dissidens, tum a vulgata lectione semper; nam pag. 791. ed. Putschii habet *complexa videantur* et pag. 927. *videntur complexa esse.* Sed notissimum est, Tullio illam clausulam *esse videantur* in deliciis propemodum fuisse. *Garaton.*

Cap. XIV. §. 39. *Annos natus maior quadraginta*] Nonnulli codd. quum pro *maior* exhibeant *magis*, duplicem hoc loco lectionem a librariis esse confusam existimat Matthiaeus, alteram *annis maior quadr.*, alteram *annos natus quadraginta;* itaque pro vulg. *annos natus magis quadr.*, quam defendit Ernestius *magis* pro *amplius* locum habere ratus, reposuit scripturam hanc: *annis maior quadraginta* eaque vel maxime se probavit Orellio. — Etiam Garatonius, quamquam gravissimum Facciolati iudicium, particulam *magis* natura sua ad quantitatem non posse referri, minime repudiavit, tamen hoc loco in eo acquievit, ut Ciceronem *magis* de quantitate usurpasse diceret. Quam sententiam posthac ipse retractavit ad Cic. in Verr. II, c. 49. §. 122, ubi sic disputat: Editiones quidem omnes *minor triginta annis natu*, quod in exemplum loquutionis affertur a Bosio ad Cornel. Nepot. de Regib. c. 2. et Hannib. c. 3. Sed loquutionem antiquam et optimam *ne qui minor XXX annis natus* hic exstitisse atque a librariis pro more corruptam fuisse ut existimem, his gravissimis de caussis opinor. Primum ita loquutum dico ipsum Tullium pro Sexto Roscio c. 14, ubi me nunc ipsum accuso, quod lectionem in quatuor optimis MSis et vett. edd. exstantem non restituerim; ex quibus est sine ulla dubitatione ita ille locus edendus: *annos natus maior quadraginta.* Quod si pervidisset Bosius, erat ei similia in Cornelio ll. cc. defendenti peropportunum. Nam recte omnino Corneliani codices, qui olim perperam ab Lambino ex ingenio emendabantur, praeferunt: *maiorque annos sexaginta natus decessit;* et: *Hannibal minor quinque et viginti annis natus.* Etiam fortasse Lambinus veram lectionem hic nos celavit, quam pro mendo habere consueverat. Ita igitur eodem aevo Tullius et Nepos loquuti sunt, atque ita, cum absolute alicuius

proferretur aetas, haud tamen ad amussim, veteres patet loqui consuevisse; secus atque in comparatione. Unde minus recte alterum ex Tullio adferebat locum pro Lambino Bosius ex IV Acad. c. 19. *te hominem amicissimum et aliquot annis minorem natu*, idque ex modo sane optimo, quo Roscius ipse loquutionem hanc resolvebat, plane conficitur, cum eo frustra talia explicare sis conaturus, at contra nostro locisque similibus apprime illa Bosiana conveniant *minor, quam est abhinc XXX annis natus.* Addo Bosianae isti analysi Gellium I, 12. favere mirifice, dum ita loquitur: *minorem, quam annos VI, maiorem quam annos X natam*, idque ex Labeone aut etiam antiquioribus voce *quam* addita. Burmannum quoque illud tuentem, quod in Petronii codice Traguriano legitur Cap. LVII. p. 277. *homo maior natus*, eadem urgent, quae sibi ex Bosio favere putabat. Sed ut ad hunc locum propius accedamus, illud rei caput est atque huc maxime pertinet, quod observare licet, loquutionem hanc in legibus esse solemnem, ut vix aliter Claudium, dum leges de cooptando senatu Halesinis conscriberet, loquutum oporteat. Ita Lex Servilia apud Sigonium de Judic. II, 27, Brissonium de Formul. II, 24. etc.: *Quei. Minor. anneis. XXX. maiorve. annos. LX. Gnatus. Siet.* Ita in vetustissimis tabulis Heracleensibus, ubi de cooptatione municipali agunt: *Quei. minor. annos. XXX. natus. est. erit. neiquis. eorum.* etc. p. 410. Frontinus etiam IV. Stratagem. I, 10. Antigoni edictum more Romano proferens ait: *edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus.*“ Haec ille. Cf. Bremi. ad Corn. Nep. de Regib. c. 2. Ramsh. L. Gr. §. 135. not. 1. p. 401. ed. 2. Stallb. ad Rudd. II, p. 295. Multis igitur exemplis quum confirmetur librorum scriptura *annos natus maior quadr.*, eam repudiare noluimus; sed tamen in uno tantum libro si legerentur haec: *annis natu maior quadr.*, sine ulla dubitatione eam reciperemus scripturam. Cf. in Verr. I. I. *in quibus multa sanxit de aetate hominum, ne qui minor triginta annis natu.* —

§. 39. *Luxuries igitur hominem nimirum*] Mendum his verbis contineri suspicamur, cuius vestigia in perversa particularum *igitur* — *nimirum* consociatione,

quippe quae ferri nequeat, deprehendimus. Emendo: *luxuries igitur hominem nimia et aeris alieni* etc. cf. §. 41. *At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum, quem procrearat.* Etenim librarii, quum antecedat *videlicet*, consimilem nostrae sententiae particulam oportere inesse opinati genuinam scripturam videntur corrupisse.

Cap. XV. §. 44. *Haec attenta vita*] Vestigia veteris scripturae eo ducerent, ut legeremus *haec a te attenta vita. Garaton.*

Cap. XVII. §. 49. *et studium deponat, licebit.*] In ed. 1480 uno auctam est verbo *deponat, libere licebit.* An ita iocatur Cicero, ut dicat, factam a Chrysogono potestatem eius studii libere deponendi, quasi vero grave id esset Roscio? Sane in verbo *licebit* aliquid est ad hanc rem pertinens; cui verbo ed. SS. illud suum *libere* adiungit. Alii iudicent. *Garaton.*

Cap. XVIII. §. 51. *Sed et illud intelligatur*] Ed. Venet. *illud intelligas*, quod alicui fortasse arridebit, ut Erucio ista dicantur, cui priora illa dicuntur *accusator esses, inhonestissimum iudicares. Garaton.* Quam a Garatonio comprobatam scripturam quum quattuor confirment codices Oxonn., recipere eam non dubitavimus; reliqui ad unum omnes editores praetulerunt *intelligatur*, quum oratio non ad unum pertineat Erucium, sed omnino Ciceronis continere iudicium videatur de priscorum Romanorum moribus atque studiis. cf. Beck. ad h. l. Quod concedi non posse facile intelligit, qui verba *at hercle maiores nostri longe aliter — existimabant* velit paullo accuratius examinare. Quid enim? num quidquam aliud animo supplendum, quam hoc fere: *quam tu, Eruci.* Quae quidem cogitatio quasi habitare debet etiam in sequentibus, ita ut accusator ipse, quam sit nugatorium atque ineptum a sese prolatum argumentum, omnino perspiciat. —

§. 51. *cum ruri assiduus semper vixerit*] *Qui ruri assiduus* etc. quod magis placet; paullo post vetus liber pro *rure vocaturus* habet *revocaturus. F. Ursin.* Codex etiam Jannoctii habet *qui ruri*, quod et Ursino et Facciolato et mihi placet. Quamquam enim optimum sensum faciat illud *cum*, tamen proximum est nimis aliud *cum;* quae

fortasse vicinitas fecit, ut a librariis repeteretur. Guilielmii autem coniectura, quam in V. L. affert Graevius, nihil est opus; tum enim expungendum esset semper, tamquam glossema; codexque ille, qui habet *assiduos*, vel per errorem habet, vel antiqua scribendi ratione. Permutantur *o* et *u* haud raro, imo antiquitus permutabantur, ut omnibus compertum est et Hieronymus Columna iam pridem docuit ad Ennium p. 65. Infra c. 29. *Qui Romae erant assidui;* et *ruri assiduus fuit.* Nihil in hac oratione frequentius. *Garaton.* In prioribus praeclaram codicum Oxonn. scripturam *consumserunt* ab omnibus immerito posthabitam editoribus Tullio restituimus, propterea quod *quum* particula nequaquam eius reddit rationem, quod sola oratoris nititur cogitatione, sed quod revera factum est. Etenim coniunge verba: *sed*, *quum — consumpserunt*, *ut illud intelligas* etc. cf. Cic. ad Fam. XI, 2. §. 1. *De tua fide et benevolentia in nos nisi persuasum esset nobis*, *non conscripsissemus haec tibi; quae profecto*, *quum istum animum habes, in optimam partem accipies.* Ibid. XV, 14. §. 3. *Id quum non accidit*, *utemur bono litterarum* etc. [cf. Drakenb. ad Liv. XXXIX, c. 12. §. 7. Ramsh. L. Gr. §. 183. not. 2. p. 768. ed. 2.] Quibus locis Orellius non debebat invitis libris *quoniam* pro *quum* reponere. Eadem ratione apud Cic. contr. Rull. II, c. 11. §. 27. ex codd. Oxonn. quattuor, ex duob. Pall. et MS. Pith. *voluerunt* pro vulg. *valuerint* est reponendum. Contra nostro loco pronomen *qui* in codd. nonn. obvium, quod comprobarunt interpretes, exstirpavimus. Quid enim! Iisdemne, quibus particulae *quum* repetitio non ferenda videbatur, — [cf. Ern. „Pro *quum* Ursinus nolebat *qui*, quod placet, quia statim sequitur *quam*"] — pronominis *qui* ne minimum quidem movit offensionis? At vide supra §. 22. et alib. Etenim *qui* de coniectura reposuit librarius, quisquis ille fuit, ut totius loci sententiam magis redderet perspicuam. Apparet autem ex *vixerit — esset*, verba esse explicanda sic: qui vel eo, quod assiduus ruri vixit, testimonium de se ipso dicit, ita ut sere esse rusticum fateatur. Iam quae sequuntur, *quum praesertim* etc. arcte coniunge cum priscibus *quum — vixerit*, ita ut, cur in agris assiduus fuerit, accuratius expona-

tur. In sequentibus edit. Iunt. sequuti particulam *semper*, tamquam manifestum glossema eiecimus, id quod etiam Ernestius optime suspicatus est. In edit. Cratandr. verba sic exarata videmus: *semper assiduus;* qua transpositione verisimile est editorem loci difficultatem evitare voluisse, quum iam illud *semper* minime cum *vixerit*, sed cum *assiduus* arctius videatur coniungendum esse. Ecquid est pretii? Beckio *assiduus* suspectum, quippe quod huc illatum sit ex §. 29. —

§. 52. *immo vero*, *inquit*, *est*] Vis atque significatio *immo* particulae fere triplici ratione ostenditur; aut enim id, quod interrogatione alicuius continetur, sine ullo negotio conceditur vel potius affirmatur, id quod nostro loco vel maxime conspicuum est. cf. Cic. de Offic. III, c. 23. §. 90. *Non igitur patria praestat omnibus officiis? immo vero; sed ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes.* Terent. Eun. IV, 7. 41. *iam haec tibi aderit supplicans ultro.* Thr. *credin? immo certe; novi ingenium mulierum.* Ibid. II, 3, 63. Cic. pro Muren. c. 21. §. 44. Aut amplificandi inest notio, id quod ex his apparet exemplis: cf. Plaut. Captiv. II, 2. 39. *tenaxne pater eius est?* Ph. *immo edepol pertinax.* Cic. ad Attic. XII, 43. §. 1. *Sed ferendus tibi in hoc meus error. Ferendus? Immo vero etiam adiuvandus.* ad Attic. IX, 7. §. 4. Tertia denique eaque fere usitatissima est significatio, qua id, quod propositum est, plane negatur; nos: *nein*, *im Gegentheil.* cf. Terent. Hecyr. IV, 4, 103. *Vin' adesse me una*, *dum istam convenis? immo vero abi.* Plaut. Capt. II, 2, 36. *Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est?* Ph. *immo edepol propter avaritiam.* Terent. Andr. V, 1, 1. Phorm. III, 2, 43.

§. 52. *Qui neque in urbe viveret*, *neque revocaturus esset*] Ex Orci cancellis retraxi lectionem hanc priscam firmatamque Pall. nostris omnibus. Mediae aetatis cusi: *qui neque in urbe viveret neque rure vocaturus esset;* quod ferre potuisset Hotomannus, si reponeretur *evocaturus* (id quod scriptum fuisse coniecit H.) contra libros scriptos. Interim accessit Manutianis *quem neque in urbe videret neque rure vocaturus esset;* quomodo Lambinus et ceteri in hunc diem. Prorsus male.

Nam reddit rationes duas, cur non invitaretur in urbe; quia, inquit, ibidem non vivebat, et alioquin non erat iterum mox convivio excepturus invitatores suos. Consulatur Guilielmius Quaestionibus Plautinis cap. 8. in Amphitruonem. *Gruter.* Comprobat hanc ab Grutero receptam scripturam Graevius eamque his firmat exemplis: Phaedr. l. I, 25, 3.

Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
Prior invitasse etc.
Quae vulpem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit.

et Mart. III, 27, 1.

Numquam me revocas, venias quum saepe vocatus;
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.

Sed ne sic quidem pro sano habendus locus est, quum, qua ratione periphrasticum, quod dicunt, futurum commode explices, haud facile possit inveniri. Emendo igitur: *neque revocare rus posset.* Librarius, quum depravatum esse *revocarerus* autumaret, rescripsit *revocaturus*, unde factum, ut *posset* item in *esset* commutaretur. Garatonius in vulgata acquievit scriptura, praesertim quum eam in ed. V. 1480 exstare viderit. —

Cap. XIX. §. 52. *Verum haec quoque tu intelligis*] Quibus verbis quum, quae proxime praecesserunt, repetantur: *nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta*, editores ea transposuerunt sic *haec tu quoque*, contra codd. omnes. Sed ut de numero taceamus, quem iidem manifesto corruperunt, plures certe in hac oratione emendandi forent loci, quibus *quoque* vel praepositum, vel nimium quantum postpositum deprehendimus, si recte id fieri posse vellemus negare. cf. §. 40. *necesse est enim eam quoque iustam et magnam et perspicuam fuisse.* §. 82. *si quid est, quod ad testes reservet, ibi nos quoque — paratiores reperiet, quam putabat*, pro *ibi quoque nos* etc. §. 93. *Age, nunc ceteras facultates quoque consideremus*, ubi Weiskius *cet. quoque* emendavit, id quod recepit Matthiaeus.

§. 53. *quibus incensus pater potuerit animum inducere*] Recepimus codd. Oxonn. quattuor et edd. rett.

scripturam *pater* pro vulg. *parens.* Etenim de parricidio agitur, quod crimen non solum ad patrem matremve, verum etiam ad avum, proavum, ad aviam, proaviam pertinet. cf. Fest. s. v. *Parens.* Quod quum ita sit, nostro loco, praesertim quum in praecedentibus absoluta fere videatur oratio esse [*et id erat certi accusatoris, qui tanti sceleris* i. e. parricidii, argueret], librarius *parens* pro *pater* videtur reposuisse. cf. §. 67. *hae sunt — Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant.* cf. §. 68. 70. Non autem vidit, oratoris verba revera spectare ad occisum Sex. Roscium, id quod apparet cum ex sequentibus *patrem esse sese oblivisceretur*, tum ex pronomine *huiusce.* Contra si infra §. 57. *ut arguatis aliquem patrem occidisse*, unus tantum addiceret codex, *parentem* restituerem.

§. 54. *Quid est aliud iudicio ac legibus* etc.] Quorum verborum sententia quo clarius perspiciatur, consulendus ipse Cicero Philipp. VIII, 1. §. 3: *quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur?* i. e. tumultus nihil aliud est, nisi et q. s. Nostro tamen loco, id quod facile intelligitur, invertenda sunt membra atque explicanda: hoc modo accusare nihil aliud est, nisi iudicio ac legibus ac maiestate vestra abuti. Idem observabis apud Cicer. Phil. III, c. 8. §. 21. *Quid est aliud se ipsum hostem iudicare, nisi de eo referre non audere, qui* et q. s. cf. de Divin. II, c. 36. §. 78. *Quid est aliud nolle moneri a Iove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat, videri?* Cat. Mai. c. 2. §. 5. — de Invent. II, c. 45. §. 131. Nonnumquam hanc dicendi formulam *quid est aliud* non duo sequuntur membra, sed alterum omittitur, ita ut animo ex antecedentibus sit supplendum. cf. Cic. Phil. V, c. 2. §. 5. *Quid est aliud omnia ad bellum civile hosti arma largiri?* i. e. hoc modo agere et Antonio illam ultimam Galliam, quam Plancus obtinet, decernere, nihil aliud est, nisi omnia etc. Interdum neglecta *nisi* particula membra proponuntur fere asyndeta, uti apud Cic. Phil. II, c. 4. §. 7. *Quid est aliud tollere e vita vitae societatem, tollere amicorum colloquia absentium?* ubi vid. Heusing. De Offic. II, c. 23. §. 83. *Quid est aliud*

aliis sua eripere, aliis dare aliena? In Pison. c. 20. §. 47. Pro *nisi* etiam *si non* locum habet, ut ex his conspicuum est locis: de Offic. III. c. 13. §. 55. *Quid est enim aliud erranti viam non monstrare, — si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere?* In Verr. III, c. 30. §. 71. *Quid est aliud capere et conciliare pecunias, — si hoc non est, vi atque imperio cogere invitos lucrum dare alteri, hoc est, pecuniam dare?* Illud *si non* quum Latinorum loquendi consuetudini plane repugnare videatur, Orellius priore loco verba *si hoc non est*, praesertim quum absint ab edit. Suffridi Petri, pro gloss. habuit, etiamsi eadem laudarit Nonius s. v. *Ruere.* Sed cavendum sedulo est, ne qui *si non* voculas his locis pro *nisi* usurpatas esse existimet; etenim *nisi* particulam tum demum sequi vides oportere, ubi praecedunt vel haec *nihil est aliud*, ita ut alterum membrum quasi interpretationem prae se ferat prioris; contra *si non* locum habent, ubi haec eadem *nihil est aliud* ex prioribus sunt demum consectaria. Quod quum ita sit, haec ab Orellio tentata exempla sic sunt explicanda: *Si hoc: emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere, non est erranti viam non monstrare, profecto nihil aliud est* vel *nihil aliud hoc nomine potest insigniri.* cf. pro Quint. c. 1. §. 5. *Quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam, — profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate.* cf. Cic. in Verr. Act. Pr. c. 10. §. 28. Act. Sec. I, c. 48. §. 127. pro Caecin. c. 11. §. 31. Restat, ut de hisce Ciceronis verbis pauca dicamus: in Verr. I, c. 49. §. 128. *Quid est aliud omnibus omnia peccata et maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere?* Pronomen *hoc* delendum censet Ernestius, quippe quod alibi in hac dicendi formula non sit usurpatum. Retinuit Orellius, sed vereor, ut recte explicarit, id quod ex commate post *hoc* posito apparet. Namque illud concedendum est Ernestio, post *nisi* nusquam inveniri *hoc* ea significatione, qua voluit Orellius hoc loco accipi. Est autem *hoc* pro *tale quidquam* intelligendum, ita ut dependeat ab sequente *credere.* —

§. 55. *qua de caussa huc inimicus venias*] Codd. Pariss. atque trium Oxonn. scripturam *huc* pro vulg. *huic inimicus* in verborum seriem recepimus, quam in re nobis assentientem habemus Steinmetzium. Etenim quum constet, voces *amicus*, *inimicus* vel *malus*, *bonus* solere cum dativo coniungi, ubi vel animus alicui propensus vel odio incitatus acerbo significatur, cff. Liv. XXI, 1. Plaut. Mil. Glor. IV, 8. v. 55, profecto mirum est, quid sit, quod Erucius, quem ipse Tullius fateatur nullas cum Sexto Roscio exercere inimicitias, ei inimicus dicatur. An exquisite orator scripsit *huic venias inim.* i. e. contra hunc exstiteris inimicus? Minime. Namque hoc procul dubio dicturus est: Omnes nostrum quum sciant, te in simultate cum Sexto non esse, in propatulo est, cur hodierno die atque hoc loco adversarius contra eum exstiteris. Quod quo clarius appareat, epexegesis loco verba sunt addita: *sciunt, huiusce pecunia te adductum esse* (i. e. huc); cf. §. 61. *confitere huc ea spe venisse.* §. 80. *Nonne cogitas, te a sectoribus huc adductum esse?* —

§. 55. *Legem Memmiam*] *Legem Memmiam* Valerius etiam nominat lib. III. eaque vetitum scribit, ne qui Reipubl. caussa abessent, eorum nomina in reos referrentur. De calumniatoribus etiam latam esse, hic locus demonstrat, ut apud Martianum in l. 1. ad Senat. Turp. et Papinianum in l. Quaesitum, D. de testibus, non *Rhemniam*, sed *Memmiam* potius legendum esse videatur. Nam de *Rhemniorum* familia adhuc nos quidem nihil legisse meminimus. *Hotom.* Ant. Augustinus vetustorum codicum et Pand. Flor. sequutus scripturam *Remiam* pro *Memmiam* emendavit; quam lectionem Gabrieli quoque Faërno placuisse ex eius annotatione ad oram libri, cognovi. Ego *Remiae* gentis praeterquam apud Tacitum in lib. II. (c. 68) mentionem non inveni; *Reniae* exstat memoria in antiquis denariis. *F. Ursin.* *Legem Remmiam*] Haud aliter codd. Ant. Augustini vetustiores, neque abludebant Pall., in quibus *Herenniam* aut *Rei miam* aut *Reumiam;* plures quidem ex publicatis *Memmiam;* sed enim annorum centum et amplius diserte praeferunt istud nostrum. Pighius tamen omnino adserit in Fastis suis Memmiam, anno DCXIII. *Gruter.*

Nemo iam nostra aetate dubitat, quin hic lex Remmia de calumniatoribus intelligatur, minime vero Memmia. Hotomannus vitiosis Pandectarum codicibus usus est, qui tamen ad veram lectionem propius accederent; nam in praestantissimo codice Florentino diserte utrique ab Hotomanno citati ICti habent *lege Remmia;* quod de Marciano tantum affirmare videtur Ernestus, neque eum arbitror Taurellianam editionem consuluisse. Vide doctissimum eius indicem legum, quae a Tullio commemorantur; sed imprimis Brencmanni de hac lege dissert. c. 3, quae tomo III. thes. iuris Ottoniani est inserta; is omnes hac de re scrupulos evellet; Remmiam gentem ex lapidibus dabit, scripturam hanc firmabit. Tamen is, qui Florentinum codicem vidit et illustravit, non videtur principem eius editionem adhibuisse. Cur enim a Charonda et Russardo *m* ex eo codice in hac voce geminatam proferri dicit, cum iam sic Taurellius ediderit! Iam vereor, ne Brencmannus A. Augustinum unice sequutus non modo Taurellium, sed ipsum quoque Flor. codicem hic non inspexerit. Sed nihil hoc interest. Si enim in MSo Flor., ut in altero Bynkershoekii simplex sit *m*, nec in eo accuratus, ut solebat, Taurellius fuerit, geminandam tamen esse Tulliani codices et vett. edd. aliaque multa vel ipsi Brencmanno suadent. *Garaton.*

Cap. XX. §. 56. *Anseribus cibaria publice locantur et canes aluntur in Cap.*] In discrimen vocarunt Ciceronis verba *et canes aluntur in C.* Hotomannus et Manutius, quum anseribus Gallorum in Capitolium ascendentium conatum prodentibus canes dormisse constet: quo factum, ut poenas potius luerent quotannis quam publice alerentur. cf. Plin. N. H. XXIX, c. 14. ed. Hard. *De anserum honore, quem meruere Gallorum in Capitolium adscensu deprehenso, diximus* (cf. lib. X, c. 26. H.). *Eadem de caussa supplicia annua canes pendunt inter aedem Iuventutis et Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi.* Plut. lib. de Fort. Pop. Rom. *Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη. Κύων γὰρ ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος.* Quae quidem virorum doctorum dubitatio quam sit ridicula, in propatulo est. Namque illud spero fore ut nemini persuadeatur, anse-

ribus, posteaquam Capitolium clangore suo servassent, arcis custodiam esse traditam canibus omnino posthabitis; quod enim honoris caussa factum est, ut anseribus publice cibaria locarentur, (cf. Plin. N. H. X, c. 26. H. — Serv. ad Virg. Aen. VIII, v. 652.) id profecto non ita accipiendum est, eosdem canum loco in Capitolio vigilasse. Neque huc facit Aeliani testimonium Hist. Anim. l. XII, c. 33. *φυλάττειν δὲ ἄρα χηνῶν κύνες ἀχρειότεροι, καὶ τοῦτο κατεφώρασαν οἱ Ῥωμαῖοι*, quippe quod nonnisi de anserum natura sit intelligendum. Deinde Gellius canibus Capitolii fuisse creditam custodiam dilucide declarat libr. VII, c. 1. *aedituosque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem* (Scipionem) *canes semper in alios saevientes neque latrarent eum neque incurrerent.* Vid. Aur. Vict. de V. Ill. 49. §. 2. — Orator igitur, quum et canes in Capitolio essent et anseres ibidem pascerentur, [cf. Alex. ab Alexandr. Gen. D. lib. VI, c. 4. Vol. II, p. 466. ed. Lugd. B, 1673.) utrosque commemoravit propter lepidam eorum cum accusatoribus comparationem; quem si quovis pacto volueris hoc loco reprehendere, profecto id tantum in eum poteris increpare, quod omnino anserum, utpote qui una cum canibus arcem custodirent, mentionem fecerit, quum tamen nonnisi honoris caussa, ut diximus, iidem publice alerentur.

§. 56. *tametsi bestiae sunt*] Trium codd. Oxonn. scriptura *sint* pro vulg. *sunt* digna est, quae accuratius consideretur; certe sententiae optime convenit, quum eam oratione liceat sic fere exprimere: *mögen es auch unvernünftige Thiere sein.* cf. Terent. Eun. II, 1, 10. *Memini, tametsi nullus moneas.* Plaut. Trin. III, 2, 53. *Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.* cf. Taubm. ad Plaut. Mil. IV, 5, 10. Ruddim. II, p. 352. ed. Stallb. —

§. 56. *opinor, iis crura suffringantur*] Puteanus maculam his verbis antiquitus esse aspersam sibi visus est colligere tum ex Plinii atque Plutarchi testimoniis supra allatis, tum ex iis, quae Aelianus N. A. XII, c. 33 s. f. disserit: *Ταῦτά τοι τίνουσι δίκας οἱ κύνες παρὰ Ῥωμαίοις καὶ νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος, προδοσίας ἀρχαίας μνήμῃ· τιμᾶται δὲ χὴν ταῖς τεταγμέναις ἡμέραις καὶ ἐν φορείῳ πρόεισιν εὖ μάλα πομπικῶς.* Quae quum Aelianus, id quod in

controversiam adduci nequit, ex Plutarcho l. l. descripserit, qui Romanos tradit in crucem egisse canes, Puteanus hanc excogitavit emendationem: *opinor, ii cruci suffigantur.* Neque mirum est, quid sit, quod vel maxime ea Lambino arriserit, quum admodum elegans insit παρονομασία sequentibus haec: §. 57. *cruci quidem vos nemo suffiget* (de Putean. coni.); *sed si ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, — ita vehementer ad caput affigent, ut* etc. Eumdemque confido Lambinum eam tantum non in verborum ordinem recepturum fuisse, ubi hoc Servii cognosset testimonium ad Aen. VIII, 652. *Qua caussa postea eo die, quo hoc factum est, canes, qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur; anseres auro et purpura exornati in lecticis gestabantur.* Addit praeterea vir praestantissimus, non videri sanam esse vulgatam scripturam, propterea quod Latini dixerint non *crura suffringere*, sed potius *frangere.* At vide infra exempla, quae Steinmetzii debemus diligentiae. Reprobandum autem Puteani est inventum, id quod etiam Lambinus perspexit, quum hoc loco non de supplicio agatur, quo canes sint ob arcem male custoditam affecti, sed de eo potius, quid sint passuri, si tum latrent, cum opus non sit. De *crurifragio* igitur, uti recte observat Gruterus, sermo est, quod Romanis aeque ac nostratibus erat in ore *(Jemand die Beine entzwei schlagen)*, ubi malum alicui minarentur. cff. Plaut. Rud. IV, 4. 15. *homini ego isti talos suffringi volo.* Truc. II, 8, 8. *Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest, ut ego hisce suffringam talos.* Mil. Glor. II, 2, 1. —

§. 57. *Cibaria vobis praeberi videmus*] Sicuti canes cum anseribus in Capitolio ali dicit, ita etiam cibaria accusatoribus de publico praeberi designat; quo mihi non obscure delationum praemia sive ordinaria sive extraordinaria indigitare videtur. Quod autem ex aerario sive de publico darentur, apparet, quia post cibariorum mentionem mox quasi pro ratione praebendorum eorum subiicit, *populo* id gratissimum esse, si in eos, qui mererentur, impetum facerent. Itaque haec res publicae curae erat; quod omnino videbatur observandum. *Brencm.* Fuerit hoc iis in iudiciis, quae ad rempubli-

cam pertinebant, ut maiestatis, ambitus etc., quod tamen ipsum non adeo perspicue hinc deducitur, acute vero et probabiliter dicitur. An fuerit autem in privatis maleficiis, magnopere dubito; in hac certe caussa non fuit. Nam c. 19. Erucius dicitur T. Roscii pecunia ad accusandum adductus. *Garaton.* Idem, quod Brencmanno placuit, ex hoc loco collegit Heineccius idque Plinii vidit confirmari testimoniis (cf. Epist. IV, 9. V, 20. VI, 31, quos locos investigavit Hauboldus). Sed tamen propius ad Garatonii accessit sententiam, quippe qui hoc tantum sibi persuaderet, publicos fuisse Romae accusatores, qui *publica delicta* persequerentur. cf. Ant. Rom. L. IV, tit. 18. §. 17. p. 756. ed. Haub. Quam Heineccii opinionem Perellius redarguit (Investigatt. antiq. iuris c. 4. p. 79—90); cuius me doleo afferre non posse argumenta. cf. Haub. Epicr. l. IV, tit. 18. §. 17. p. 957. Illud autem recte vidisse dicendi sunt Brencmannus atque Heineccius, ex accusatorum comparatione cum anseribus canibusque facta nil nisi illud posse consectarium esse, quod ipsi statuerunt. Sed tamen iuvenem Ciceronem, ut derideret Erucium, salse magis quam vere dixisse manifestum est; namque perversum fuisset atque Romanorum gravitati minime consentaneum, ubi mercede voluissent homines conducere, ut nomina deferrent civium, quum sic profecto nonnisi parva facinora anquirendi, contra nefandissima quaeque occulendi viam munissent ipsi. Quod quo minus fieret, praemiis studuerunt impedire propositis atque decretis, quae iis demum impertirentur, quorum diligentia forent maleficia et investigata et vindicata. Quartam igitur bonorum partem concedi accusatoribus voluerunt lege de Maiestate; cf. Tacit. Annall. IV, c. 20. *Quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit.* Neque dubium est, quin de eadem lege sit intelligendum Josephi testimonium, Antiq. l. XIX, c. 1. §. 16. *οἱ δὲ δοῦλοι διὰ τὸ ἐν κατηγορίᾳ τε εἶναι καὶ καταφρονήματι τῶν δεσποτῶν, ἀποστροφῆς τῷ ὑβρίζοντι αὐτοὺς οὔσης τῆς κατ᾽ ἐκεῖνον ἐπικουρίας, ῥᾴδιον γὰρ ψευσαμένοις τε κατὰ τῶν κυρίων πεπιστεῦσθαι καὶ τὰ χρήματα ἐνδείξασιν αὐτῶν, ἅμα ἐλευθέροις τε εἶναι καὶ πλουσίοις, μισθῷ τῶν κατηγοριῶν, διὰ τὸ ἆθλα αὐτοῖς προκεῖσθαι τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν.* Quod si octava

servis pars attributa est, liberis quartam fuisse concessam inde probabiliter debet colligi. cf. Lips. ad Tacit. l. l. Deinde praemium lege de Repetundis fuit decretum, uti docet Lex Servilia c. 23. — De Ambitu cf. Ascon. in Milon. p. 54. ed. Orell. *Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit eius Appius Claudius, et quum ei praemium lege daretur, negavit* etc. Cic. pro Balb. c. 25. §. 57. *Obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit; quod hic assecutus est legis de ambitu praemio.* De Sodaliciis cf. Ascon. in Mil. l. l. *Post paucos dies quoque Milo — de sodaliciis damnatus est, accusante P. Fulvio Nerato, cui lege praemium datum est.* Quarta autem bonorum pars quum plerumque addiceretur accusatoribus, iidem quadruplatores sunt appellati; cf. Ps. Ascon. in Divin. p. 110. ed. Orell. *Quadruplatores delatores erant criminum publicorum, in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, consequebantur.* Quod testimonium item documento est, nonnisi publicorum maleficiorum delatores praemiis esse ornatos. Quae quum ita sint, nostro loco verbis *cibaria vobis praeberi videmus* plane nihil aliud Ciceronem, quam haec delationum praemia significare voluisse, quibus quasi inescarentur accusatores, nobis persuasum est; unde comparationem, quod verbo supra declaravimus, non accurate quadrare consectarium est. Neque Plinii contra nos facit auctoritas; namque ut mittamus, quae l. V, 20. et VI, 39. disserit, ex quibus omnino nihil deduci potest, verba quae l. IV, 9. leguntur *Accusatus est — a privatis duobus* longe aliter sunt explicanda; etenim sermo est de hominibus privatis, neque de privatis accusatoribus. Garatonius autem tametsi illud recte perspexit, in iudiciis privatis non videri praemia fuisse decreta, tamen in eo ab vero aberravit, quod Hotomannum sequutus verbis (§. 55.), quibus hoc suum iudicium confirmaret, Titum Roscium Magnum dici existimavit; namque *huiusce*, uti cuique facile perspicuum est, ad Sextum Roscium reum est referendum.

§. 57. *Cum verisimile erit aliquem commisisse*]

Sic omnes libri; quorum tamen in aliquo si *aliquid aliquem commisisse* reperissem, lubenter eam scripturam cum hac vulgata commutarem. *Hotom.* In vulgata cur offenderit vir doctissimus, non assequor, quum *committere* Latini pro *peccare* saepenumero dixerint. cf. Cic. Philipp. VIII, c. 5. §. 15. *Ego nolo quemquam civem committere, ut morte multandus sit; tu, etiamsi commiserit, conservandum putas* pro Cluent. c. 34. §. 92. *Sed ille iccirco his legibus condemnatus est, quod contra aliam legem commiserat.* cf. Varro d. R. R. II, 1. §. 116. —

§. 57. *Sed si ego hos bene novi, litteram illam*] Litteram *C.* significari putat Hotomannus, quae esset calumniae nota, seu quae significaret, accusatorem esse calumniatum. Inurebatur autem frons calumniatorum certa aliqua nota ignominiae caussa, ut docet Adrian. Turnebus lib. Advers. VIII, cap. 22. Sed verius est, non litteram *C* sed *K* fuisse calumniae notam. Et vero *calumniae* nomen et quae sunt eiusdem originis, ut *calumniari* et *calumniator*, scribebantur a veteribus Rom. per *K*, non per *C. Lamb.* Bene Lambinus; *K* enim fuisse calumniae notam, quia veteres *kalumnia* scripserint, eamque inustam fuisse frontibus Kalumniatorum, iisque praeterea hanc poenam imponi solitam fuisse, ut amplius accusare non possent, ostendit ex Paullo IC ex libro XLVIII. Dig. ad SC Turpilianum Vossius in Aristarcho lib. I, c. 17. Hinc et Papinianus *hominem integrae frontis* opponit *Kalumniae damnato. Graev.* Satis hoc mihi de *K* demonstratum videtur; quamquam Ernesto, viro summo, non videatur; haud tamen hercules a Vossio, sed iam pridem ab immortalium in litteras meritorum viro P. Pithoeo ad Collat. LL. Mos. tit. IV. §. 4. ex quo probavit, et in commentarium suum plura transtulit Brencmannus. Nos uno Velii Longi loco insigni, quem ex MSo Puteani restituit Pithoeus, contenti erimus, imo paucis eius, quae rem conficiunt verbis; cetera apud ipsum legantur. Ita Velius: *Qui K expellunt, notam dicunt esse* magis, quam litteram, qua significamus *Kalumniam. Kaput. Kalendas.* Superest imo in antiquissimis tabulis Heracleensibus littera *K* calumniam designans p. 423. Quo loco inter notatos

infamia ex edicto Praetorio is recensetur. *Quem . . K. Praevaricationis. caussa. accusasse. fecisseque. quod. iudicatum. est. erit.* Locum egregie, ut solet, p. 437. Mazochius illustrat; addidissetque, opinor, solemnem ad calumniam significandam huius notae usum hinc potissimum firmari, nisi certam rem putasset nullo amplius praesidio indigere. Haec ego, ut dixi, rem conficere arbitror; cum enim non modo veterem vocis scriptionem, sed etiam ipsam notam *K* teneamus, quaenam, obsecro, alia potius littera calumniae damnatis inuri potuit? Tamenne aliquem scriptorem veterem, qui ipsam nominet litteram, desiderabimus? Quid porro, si ex Juliani, quem Pithoeus laudat, loco *δίπλουν* etiam *Κάππα* inuri consuevisse dicamus? Valeret id *calumniae caussa*, ita, ut iam Pithoeus et Vossius annotarunt, notam KK explicante Isidoro. Unum dico, si lectionem, de qua mox, *Kalendas omnes*, qua nullam ego quidem hactenus probabiliorem video, suo non indignam calculo iudex optimus Ernestus existimabit, tum ipsum de *K* perspicue Tullium esse loquutum. De hac tota inustionis ratione fuse docteque agit Brencmannus l. c. cap. 5. *Garaton.*

§. 57. *Ut etiam eas omnes oderitis*] Omnes ad unum libri veteres *ut etiam calumniis.* Ego: *ut etiam alias omnes.* Quum enim litterae illi, quae calumniae nota atque significatio est, ob eam caussam inimicos esse dicat istos accusatores improbos, quod vehementer, ne ab iudicibus in urnam constituatur, metuant, eandem quoque aliarum odii caussam esse intelligendum est; ut sensus hic sit: usque eo metuunt, ne litteram illam constituant, ut, quoties litteras ferri atque constitui vident, conscientiae calumniae cohorreant ac reformident. *Hotom. Ut etiam alias omnes*] Sic edendum curavi, quorumdam doctorum coniecturam sequutus. Significat autem, eos esse a litteris alienos et illitteratos. Alii lectionem vulgatam retinent: *ut etiam illas* (scr. *eas) omnes* oderitis, eadem loci sententia probata. *Lambin. Ut etiam eas omnes*] Ita diserte Pal. pr. Nam alii *ut etiam calumniis*, quod et de suis annotavit Hotomannus, qui malebat *ut etiam alias omnes*, quod statim arripuit Lambinus Aldusque Nepos, atque si esset e libris; malo exemplo. Pighius noster quum invenisset in editionibus

primis *ut etiam calumnias oderitis*, coniiciebat: ut etiam *cal. omnes*, tanquam respexerit Cicero ad eorum aes alienum ac debita, quae singulis Kalendis exigi solebant a debitoribus. *Gruter.* Ego retineo librorum veterum scripturam *ut eas omnes oderitis* sc. litteras. Est iocus ex ambiguo in hostes humanitatis et doctrinae, qui clamatores sunt, non oratores, canes, non homines, qui oderunt doctos et litteratos oratores, qui calumnias detegunt et istis canibus os obstruunt. *Graev. Kal. omnes* iam non est Pighii coniectura, sed ipsa codicum scriptura certissima, quam non intelligentes librarii in monstrum illud *calumniis* convertebant, ut etiam editum est an. 1480. Deinde, ut constructio saltem servaretur, pessime *calumnias* est factum. Sed praeclarum est, quod ex multis Parisiensibus MSis attulit Lallemandus *calomnis.* Viden' hic *Cal.* h. e. Calendas, et veterem accusativum *omnis*, qui etiam ita perpetuo scribebatur in eo veteri codice, quem saepe in margine Lambinus allegat? Hinc *calumniis;* cur enim non statim fecere *calumnias?* Porro ex Velio intelleximus, calendas per *K* scribi et indicari consuevisse. Quid quaerimus? Ne ad obaerationem quidem Kalendarumque moerorem, si longius id petitum videbitur, confugere necesse est. Potuit enim Tullius id significare, accusatores litteram *K*, eius nempe litterae inustionem tantopere pertimescere ut etiam Kalendas omnes oderint, quod ea littera scribantur aut notentur. An tandem hisce omnibus unum Palatinum codicem anteponemus? Ita sane, si tanto ceterorum consensu nihil tamen commodum efficeretur. Qui porro factum dicemus, ut in tam claris vocibus alii omnes erraverint? Denique cur litterarum omnium imperitiam hoc loco Tullius obiecerit, quo loco ipsum, adversus quem ista dicuntur, excipere oportebat Erucium? Huic enim iam cap. 16. dixerat: *Eo accessit studium doctrinae, ut ne a litteris quidem alienus esses.* Qua in re tantum inest momenti, ut Brencmannus l. c. cap. 2. de veriori lectione atque adeo de ipsius Erucii doctrina ne cogitans quidem, haec ad quoddam vilius retulerit accusatorum genus; nobiles enim erant accusatores permulti, quos litteras plane nescisse inducere in animum ille non potuit. *Garaton.* Vide, quanto-

pareat torserit hic locus doctorum hominum ingenia. Quem tametsi ex codicibus optime restitutum esse fatendum est, praesertim quum scripturam *Kal. omnes* etiam veteri Scholiastae ob oculos versatam esse ex eiusdem ceteroqui manca atque adeo perversa annotatione verissime colligatur, tamen neminemdum video dilucide exposuisse, quid tandem sit illud, quod significare voluerit orator verbis *ut etiam Kal. omnes oderitis.* Namque ridicula Pighii est interpretatio, cui post Vossium (cf. Aristarch. I, 7.) accessit Matthiaeus, Ciceronem cavillari voluisse Erucium tamquam obaeratum, quum Calendis satisfaciendum esset debitoribus. Quod quum intelligeret Beckius, optimam repudiare scripturam atque de accusatorum genere utpote ab litteris alienissimo cogitare maluit, quam Pighio adstipulari. Ernestus autem tantum afuit, ut eidem obsequeretur, ut totum locum corruptela esse affectum censeret; neque illud recte non perspexit, languere vel maxime particulam *etiam*, ubi retinueris *eas* vel Hotomanni coniecturam *alias*; sed tamen haec vocula documento debet esse, verissimam esse, quam recepimus scripturam. Quid igitur est? num anxie quaerendum, quo rem expediamus? En! hanc habeto explicationem: „litterae *K* usque eo inimici estis, ut etiam Kalendas omnes, quippe quae eadem littera *K* notentur, oderitis; etenim quotiescumque Kalendarum notam (*K* cf. Valer. Prob. de N. R. p. 1462. in Goth. Auct. L. L.) conspicitis, in animum ignominiae vestrae, cui propter improbissimum accusandi studium obnoxii quotidie estis, recurrit recordatio; quapropter illud est quod maxime vobis cordi foret, si Kalendae, quamquam ne minimum quidem vos laeserint, omnino non exstarent amplius.“ Accurate autem animus ad verborum collocationem *etiam Kal. omnes* attendendus est, quae hanc fere efficit sententiam orator: *dass ihr sogar die Kalenden und zwar alle* etc.; quam certe pessum dedisset, si verba sic legeremus exarata *etiam omnes Kal.* — Vulg. scripturam *ut eas omnes* defendere nuper conatus est Wernsdorfius, vir summe reverendus, sic: *ut eas* sc. litteras K *omnes oderitis.* cf. Quaestt. Critt. p. 26. Non probo.

§. 57. *ita vehementer ad caput affligent*] Veram

notae *K* inustionem his verbis contineri negarunt Manutius atque Hotomanus, quippe qui similem inesse translationem existimarint, veluti in illis *notam* vel *ignominiam alicui inurere*. Quam ut excogitarent interpretationem, vitiosa vocularum *litteram illam* coacti sunt explicatione; namque de iudicum tabellis his litteris, A (absolvo), C (condemno), N. L. (Non liquet), insignitis somniavit Manutius; contra Hotomanus litteras A (accusator) vel P (praevaricator) vel denique C (calumniator) intelligendas esse sibi persuasit, easque antiquitus in tabellis perscriptas fuisse opinatus est. Neque Ernestius de fronte revera signanda videtur cogitasse, id quod dilucide ex eiusdem vacivo apparet emendandi periculo *affligent*. Recte autem contradixit Garatonius, qui disserit hunc in modum: „Haec verba Manutium aperte refellunt; cui etiam prolixius contradicit Ferratius lib. I. ep. 6. Sed Manutii explicationi [*Poena vos afficient gravissima* Man.] hac aetate nemo adstipulatur. Ei quidem et Hottomanno de tabellis assentiri videbitur Brencmannus l. c. cap. 5. Sed ea non est huius loci quaestio; quicquid enim de illis tabellis fuerit, satis constat, non de iis hic agi, verum de inustione, quae poena calumniatorum fuit, illi canum crurifragio per similitudinem apte respondens. Neque profecto in tabella perscriptam ad caput affigi Cicero dixisset, ut mittam cetera. Insolens et exemplorum, quae afferuntur, modum excedens illa translatio est, quam Hottomannus, ut sibi constaret, hoc loco confinxit. Cui sane Brencmannus tam benignus non fuisset, si eum non, ut putavit, suis illis tabellis contentum, verum inustionem, quam ipse cum pluribus diligentissime tuetur, hinc excludere conantem animadvertisset." Haec ille. De notae inustione consulatur Plinius Panegyr. c. 35. p. 174. ed. Bip. *Expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur, neque, ut antea, exsanguem et ferream frontem nequidquam convulnerandam praebeant punctis et notas suas videant* (delatores). — Senec. Controv. L. IV, cont. 27. p. 299. ed. Bip. *At mehercules, inquit, timebam, ne uno Romanum Kappa plus haberemus.* Vid. Steinm. ad h. l. —

Cap. XXI. §. 59. *Credo, quum vidisset, — quae-*

sisse] sc. *eum;* cf. Matth. ad §. 61. *confitere hac ea spe venisse.* — vid. Ruhnk. ad Rutil. L. p. 41 sqq. Huschk. ad Tibull. I, 3, v. 27. Goerenz ad Cic. de Legg. III, c. 19. §. 43. Ramsh. L. Gr. §. 168. Not. 10. p. 635. ed. 2.

§. 59. *credo, cui coenam imperaret*] Quo modo servo coenam imperare potuit? nam *coenam imperare* est iubere aliquem sibi coenam praebere. An excidit *ut? ut cui* etc. scilicet per servum missum. *Ernest.* Recte sane, si tantummodo numerum exemplorum volueris considerare, quibus *imperare* verbum cum accusativo coniunctum reperitur, ita ut, cui res imperata est, is eamdem ipse subministret imperanti, rem perspexisse videri debet Ernestius. Sed tamen propriam verbi vim ponderaturo minime potest obscurum esse, ex hac exemplorum copia, nisi si ad unum omnia addixerint, tam certe illud non posse colligi, ut de praecepti veritate dubitari non queat. Etenim duplex fere huius verbi est significatio; aut enim absolute ponitur, uti his locis: Cic. Tuscull. II, c. 20. §. 47. *reliquum est, ut tute tibi imperes. Quamquam hoc nescio, quomodo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat.* — de Legg. III, c. 2. §. 5. Horat. Epist. I, 2. v. 63. Ibid. 10. v. 47. — Aut praeter dativum personae verbum cum accusativo consociant Latini, quo rem describant, quam vel faciat vel praebeat imperanti is, qui iussus est; eamque item dupliciter exprimunt vel nomine substantivo vel plurium verborum comprehensione. cf. Cornel. Nep. Vit. Con. c. 4. *Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis et Phoenicibus ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret.* Caes. Bell. Civ. I, c. 6. III, c. 32. Bell. Gall. VI, c. 4. Cic. pro Leg. Man. c. 12. §. 35. Terent. Heaut. IV, 3, 26. At vid. Liv. VII, c. 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent*, i. e. imperare decemviris librorum Sibyll. inspectionem. Cic. ad Attic. II, 4. §. 1. *Pro eo tibi praesentem pecuniam solvi imperavi* i. e. praesentis pecuniae solutionem. cf. Zumpt. L. Gr. § 602. p. 473. Eadem ratione apud Caes. de Bell. Civ. III, c. 89. *exercitui imperavit, ne iniussu*

suo concurreret, extrema verba item pro accusativo sunt accipienda in hunc fere modum: imp. *τὸ* non concurrere iniussu s. vid. Cic. ad Attic. l. l. §. 7. Quae quum ita sint, nostro loco sic potuisset Cicero orationem continuare: credo, cui imperaret, ut coenam administraret. cf. §. 77. *unus puer*, *victus quotidiani administer*, — *relictus non est.* Quod cur repudiarit, non est quod addam. Perspicuum autem est, Ernestium illud, quod proposuit, non facturum fuisse iudicium, si voluisset verborum structuram *imperata facere* pensare accuratius.

Cap. XXII. §. 60. *Usque eo animadverti*] Uncis *eo* inclusit Ernestius, quum, quae sequi debuerit particula *dum*, non sequatur; *usque* accipit pro *perpetuo*, *assidue*, uti est apud Cic. ad Divers XII, 19. §. 3. *Mihi quidem usque curae erit*, *quid agas.* Defendit Beckius, cui *antequam* unice cum verbis *alias res agere* videtur cohaerere. Male. Nos quamquam iis assentiri maluimus, qui verbis anacoluthon inesse volunt, tamen, si quid mutandum esset, locum sic refingeremus: *Usque eum animadverti*, *iudices*, *tum iocari atque alias res agere*, *anteq.* et q. s. i. e. posteaquam vidit, me caussam suscepisse, tum usque iocatus est atque alias res egit, ante quam Chrysogonum appellassem; quem simul et q. s. —

§. 60. *homines cursare ultro et citro non destiterunt*] Copulam *et* exterminandam censuit Beierus ad Cic. de Offic. I, c. 17. §. 56. Vol. I, p. 135. eique obsequutus Orellius uncis eam inclusit. Quam quum omnes praebeant libri praeter Priscianum ap. Putsch. p. 1011, qui *ultro citroque* exhibet, eam retinuimus, praesertim quum multis locis dixerint Latini *huc et* vel *atque illuc*, *ultro et citro.* cf. Heusing. ad h. l. — cf. Cic. Verr. V, c. 66. §. 170. *Monumentum sceleris audaciaeque suae voluit esse in conspectu Italiae*, *vestibulo Siciliae*, *praetervectione omnium*, *qui ultro citroque navigarent*; ubi copulam omnes servant libri.

§. 61. *quem dedi putabas*, *defendi intelligis*; *quos* — *vides iudicare*] Ernestium sequuti verba *defendis*, *vides* uncis inclusimus, quum ab glossatore sint profecta, turbant enim totam verborum circumscriptio-

nem. De verbis, quae sequuntur, *confitere* etc. vid. §. 59. —

§. 62. *Quod in minimis — non putat oportere*] Sensum ex his commodum si velis elicere, oratorem ironia usum in insolentem perversi oratoris insulsitatem invehi dicendum est. At iam vide, quam ieiune quadrent sequentia: *in quo scelere* et q. s. Illud certe exploratissimum nobis est, totam sententiam, ubi Tullium indignabundum potius ac vehementem, quam leniter deridentem hoc loco atque perstringentem Erucii audaciam deprehenderemus, lecturis multo graviorem visum iri atque adeo digniorem. Memorabilis autem codd. sex Oxonn. scriptura *id maxime et primum quaeritur*, quam librariorum inscitiae imputandam esse vix ac ne vix quidem mihi persuaderi patiar. Statuo igitur, litteris *qu* in antiquo exemplari exstinctis eam ex pronomine *quod* habere originem, etenim qui codd. Oxonn. exararunt, illud *od* in *id* videntur commutasse, quo factum, ut aetatem tulerit; reliqui autem ad unum omnes librarii, quum *od* corruptum esset atque ne tum quidem sententiae aliquatenus prospiceretur, si in *id* foret conversum, sine ulla exstirparunt haesitatione. Locum igitur sic iudico in integrum esse restituendum: *Quid? in minimis noxiis et in his levioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope quotidiana sunt, quod maxime et primum quaeritur, quae caussa maleficii fuerit, id Erucius in parricidio quaeri non putat oportere?* cf. Cic. Tuscul. I, c. 8. §. 17. *Quid? si te rogavero aliquid, non respondebis?* Ibid. V, c. 32. §. 91. *Quid? vos hesterna, inquit, coenula non intellexistis, me pecunia non egere!* De Legg. III, c. 20. §. 47. *Quid? si nos tacemus, locus ipse non admonet, quid tibi sit deinde dicendum!* Ibid. §. 48. Orat. c. 47. §. 157. Brut. c. 65. §. 231. Quae quidem exempla quamquam primo adspectu non videntur satis accurate quadrare, tamen ea, qui sapit, esse vel simillima facile concedet. Eadem ratione infra §. 77. verba sunt reconcinnanda, ubi ex eorumdem Codd. Oxonn. vestigiis his: *quod in tali crimine quod innocenti* etc. sententiam restituimus sic: *Quid? in tali crimine quod innocenti saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceatur, id Sex. Roscio facere non*

licet? Vid. Goerenz. ad Cic. de Legg. II, II. — Ceterum *noxiis*, quae in multis exstat scriptura codd., dedimus pro *noxis*; audi Garatonium: „Noxis editum est a Naugerio et Lambino, quem sine caussa sequuti sunt Facciolatus et Olivetus, contra fidem MSorum et editionum plurimarum. Nota omnibus sunt antiquae *noxiae* huius exempla et Menardus multa congessit. Disputatum est quidem de noxae noxiaeque differentia non mediocriter. Vide Vallam, Alciatum, Floridum de Latin. ICtor. ed. Duker. p. 8. et Sanctii Minervam IV, 4. Sed utraque voce delictum significari, iam constat, quod et in rem nostram satis est et MSorum numero rem hanc monet iudicari debere." — De vocularum diversitate sic loquitur Nonius Marc. p. 438. ed. Lips. *Noxa et noxia hanc habent diversitatem, quod est noxa peccatum leve.* Nostro igitur loco quum de minimis sermo sit peccatis, viri docti *noxis* cur maluerint, facile potest intelligi. At vid. Serv. ad Virg. Aen. I, v. 45. *Noxam pro noxiam; et hoc interest inter noxam et noxiam, quod noxia culpa est, id est peccatum; noxa vero poena. Quidam noxa, quae nocuit; noxia, id quod nocitum, accipiunt.* Unde perspicuum est, veteres in constituendo discrimine minime sibi constitisse. cf. Fest. s. v. *noxia.* Caius in fragm. 238. D. 50, 16. — Donat. ad Terent. Phorm. I, 4, 48. cf. Plaut. Merc. IV, 3, 30. *Manifesto teneo, in noxia es. Ly. qua noxia?* Ibid. V, 4, 23. *Vacuum esse istac ted aetate iis docebat noxiis.* Ex rec. Gron. Cic. de Legg. III, c. 4. §. 11.

§. 62. *Cum multa antea commissa maleficia, cum vita hominis*] Verissimam codd. Oxonn., quae diu iacuit abiecta, revocavimus scripturam *cum vita* pro *tum.* Quid enim? Vita Sex. Roscii anteacta qualis fuerit, nonne rebus potissimum ab eo perpatratis ostenditur? Quod quum ita sit, verba *vita hom. perd.* arctius cum antecedentibus sunt coniungenda, ita ut haec fere dicat orator: Cum hominis vita perditissima multisque antea commissis maleficiis inquinata, tum maxime singularis eius audacia atque adeo furor et amentia ostendatur necesse est. Quod si orator scripsisset *vitaque hom. perd.*, profecto nemo *tum* verbis inseruisset.

Cap. XXIII. §. 64. *Cum duobus adolescentibus filiis isset*] Frequentissimae apud Ciceronem formae *isse*, *issem* etc. cf. Cic. in Catil. I, c. 9. §. 23. *ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris.* Ni me fallit coniectura, etiam *isse* restituendum est in Orat. pro Milon. c. 4. §. 11. *quae non modo hominem occidi, sed isse cum telo hominis occidendi caussa vetat*, pro vulg. *esse cum telo.* Quamquam enim minime nos fugit, Latinos saepenumero *esse cum telo* dicere solitos esse, (cf. Cic. pro Rabir. c. 6. §. 19. *qui cum telo hominis occidendi caussa fuit.* Parad. IV, c. 2. §. 31. *Exsul non appelletur is, qui cum telo fuerit?* in Verr. V, c. 3. §. 7. *ut ne quis cum telo servus esset*) tamen Cicero l. l. certam respicit legem, cuius verba fuisse haec accepimus: *Lege Cornelia de sicariis et veneficis tenetur, qui hominem occiderit cuiusque dolo malum* (l. malo) *incendium factum fuerit, quive hominis occidendi caussa cum telo ambulaverit.* cf. l. XLVIII. D. t. 8. l. 1. — Cic. pro Tull. §. 51. *etiam si cum telo venerit.* — Eadem ratione apud Cic. de Rep. I, c. 15. §. 23. verba sic statuo reconcinnanda: *quum pater in Macedoniam consul isset* pro vulg. *in Macedonia consul esset.*

§. 64. *cum neque servus quisquam reperiebatur*] Sic dedimus ex codd. verissimum Steinmetzii iudicium amplexi; cf. §. 81. *qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret.* Eamdem cogitandi variationem observabis pro Cluent. c. 30. §. 83. *Cur eum, cum in consilium iretur, Cluentius et Cannutius abesse patiebantur? cur, quum in consilium mittebant, Staienum iudicem — non requirebant?* cf. in Rull. II, c. 24. §. 64. in Verr. IV, c. 3. §. 6. Sed tamen quod attulit exemplum ex Cic. in Verr. III, c. 62. §. 146. *qui se ipse scurram improbissimum existimari vult; qui a scurris potius semper gladiator, quam scurra appellatus sit*, id potius sic videtur interpretandum esse: quum tamen a scurris potius gladiator quam scurra sit appellatus. —

§. 64. *Quid poterat sa****] *Quid postea? erat sane suspiciosum. Neutrum sensisse? ausum autem esse quemquam se* etc. Ita Aldina. Verum Victorii: *quid poterat sane esse suspiciosum. Neutrum sensisse? au-*

sum etc. Mire variant Palatini; sed videtur fuisse: *Quid poterat tam esse suspiciosum, neutrum aut non sensisse, aut ausum esse quemquam se* etc. quomodo fere etiam MSS. Ursini. *Grut.* Ed. Ven. *Quid poterat satis iam esse suspiciosum, aut neutrum ne sensisse, ausum autem* etc. Victorii, imo Naugerii lectio haud sane absurdum habet sensum. Sic etiam legi posset: *Quid poterat sane tam esse suspiciosum? Neutrumne sensisse? ausum autem* etc. Sed in tanta varietate multa probabilia inveniri possunt, neque tamen, quae Ciceronis verba ipsa fuerint, edocebimur. *Garat.* Speciosa est Garatonii coniectura, sed quae minime, quum scateat mendo, possit consensu comprobari nostro; etenim *sane* vocula, quum sit affirmantis, neque apud Ciceronem, neque apud alios, quod sciam scriptores invenitur in interrogatione posita ita, ut omnino respondeat nostratium consuetudini sic fere loquentium: *was konnte allerdings den Argwohn* etc. Neque reliquorum editorum emendationes, neque quam nos olim excogitavimus ipsi hunc in modum: *Quid poterat magis esse suspiciosum? Neutrumne sensisse? Ausum autem* etc. hodie admittendas esse iudicamus, quum ab codd. vestigiis, quae premenda hoc loco ut quae maxime sunt, nimium quantum ad unam omnes recedant. Idem cadit cumprimis in P. Manutii coniecturam, quae in plerisque hodie reperitur exemplaribus, ita ut pro vulgata eam fere habeant viri docti. Namque Schellerus (Observatt. p. 43), Schuetzius, Orellius eam comprobarunt, sed tamen ita, ut signa interrogationis post *sensisse* et *possent* delerent. Animus autem vel maxime ad illud videtur attendendus esse, in plurimis codd. post *suspiciosum* particulam *autem* et post *neutrum* voculam *ne* esse insertam. Quod quidem ut recte expendatur, vel illud flagitat potissimum, quod pro *autem* in reliquis, quos novimus, libris praeter cod. Par. 7. *aut* legitur; quod documento debet esse, particulam *autem* hoc loco minime esse respuendam. Neque Codd. Palatini utramque particulam et *autem* et *ne* videntur ignorare, id quod ex Gruteri luculenter apparet emendatione. Totius autem loci sententiam ubi accuratius volueris considerare, ex verbis infra §. 65 obviis: *Tamen quum planum iudicibus esset factum* et q. s. il-

illud pro explorato debet haberi, in antecedentibus nihil exponi aliud, nisi, rem fuisse tam suspiciosam atque adeo manifestam, a filiis parentem esse occisum, ut iudices, cur eos nollent condemnare, vix quidquam invenire possent. Quod quum ita sit, inde a verbis *neutrumne sensisse* argumentatio incipit, qua filiorum crimen evincatur, et fiat tantum non manifestum. In prioribus igitur, ubi post *suspiciosum* retinueris *autem* particulam, quam quovis piguore retinendam esse contendo, quum omnibus confirmetur libris, sententiam pronuntiari in propatulo est, quae suspicioni quasi adversetur, id quod ex adversativa particula *autem* necessario est consectarium. Quid igitur est? ab oratore quamnam dicemus profectam esse sententiam? Illud concedatur oportet, labem vel maximam huic loco aspersam nonnisi in his esse conspicuam: *satis esse;* quod si litterarum vestigia premimus ita, ut omnium librorum scripturas accurate conferamus, vix aliud quidquam proficimus, quam quod praebent codd. Pariss. 1. et 4. Lacunam igitur in vetustissimo fuisse libro statuendum est, quam librarii posthac conati sint suis explere commentis. Quid? librariis quod licuit, id nobis omnino non licere dicamus? Refingo locum hunc in modum: *Quid? poterat sane ita esse, suspiciosum autem. Neutrumne sensisse? ausum autem esse quemquam — possent?* Sententia igitur haec est: Poterat sane verum id esse, quod dicebant filii, nihil omnino sese sensisse, ita ut vel criminis etiam deberent expertes esse; sed tamen suspiciosum erat. Vides autem, in sequentibus iam explicari, quibus in rebus vel maxima conspicua fuerit suspicio. Quae coniectura nostra quum Ciceronis mentem verissime videatur attingere, in verborum ordinem eam recipere non dubitavimus.

§. 65. *Sed ne spirare quidem*] Ed. MCCCCLXXX *Sed ne respirare quidem metu possit.* Illud *respirare* perperam Lambino tribuit Olivetus; Lambinus enim edidit *spirare*, illudque alterum pro varietate margini adlevit. Placet mihi, ut verum fatear, *sed ne respirare quidem metu possunt* vel *possint;* sic enim rem video mirifice augeri; quod illud *non modo* (pro *non modo non*, ut saepe, positum) postulare omnes intelligunt. Atque id minus a vulgata *spirare sine metu* praestari

mihi videtur. Sed non ita uni editioni, quae ita mihi confido, ut audeam hoc praeferre. Quin autem utrumque rectum sit spirare ac respirare non dubito, sed remoto sine tum fit aptius respirare. Ennius p. 108. ed. Hesselii nec respirandi fit copia, cui simile notissimum illud Virgilii ne respirare potestas. Garat. Variant libri MSS., quorum pars possunt, pars exhibet possint. Illud priores praetulerunt editores, homines admodum subtili dictionis latinae sensu, Lambinus, Graevius, Ernestius, quibus adstipulatum esse video Steinmetzium, id quod mirifice laetor. Namque arcte coniungenda sunt nemo enim putabat cum sequentibus propterea quod et q. s., quum his ipsis caussa exponatur, qua commoti iudices adolescentes illos filios omni criminis tam nefandi suspicione liberarint. Verbis igitur propterea quod ubi iudicum cogitationem volueris contineri et ratiocinationem, id quod iidem omnes statuunt fere, qui possint defendunt, profecto possent oportebat scriptum esse ab oratore. Contra qui possunt tuentur, oratorem suum ipsius proponere contendunt iudicium. A quibus dissentire noluimus iccirco, quod fere eadem, quae nostris verbis exprimitur, sententia iam in antecedentibus est pronuntiata qui — somnum statim et q. s., et quidem ita, ut nonnisi ad iudicum mentem possit referri. Quod quum ita sit, tota verborum comprehensio longe est venustior, si orator ipse eam concludit ita, ut iudicum repetat iudicium, quod item ad Sexti Roscii caussam optime possit transferri. Quod si quis est, qui velit possint defendere ita, ut iudicum contendat inesse cogitationem, sed quam Cicero ut suam fere venditet, is videat, quibus rem suam exemplis confirmet. Accedit, quod, si revera mens iudicum exprimeretur, procul dubio commisissent pro commiserunt scriptum reperiremus; cf. §. 67. eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus; quamquam commiserunt optime potest defendi; cf. quae ad §. 6 annotavimus. — Ernestii commentum, qui posset pro potuisset in antecedentibus reposuit, iam dudum viri docti refutarunt; namque esse, qui — potuisset pro potuisse accipienda.

Cap. XXIV. §. 66. non modo lini non potest] Quae

in exemplaribus hodie omnibus legitur scriptura *elui non potest*, Victorio debetur; eamdemque Steinmetzius una littera transposita ex codd. Pariss. 1 et 4. *leui* exhibentibus in verborum ordinem fatetur recepisse. Neque unum tantummodo haud sane spernendae auctoritatis codicem ubi Victorio assentientem deprehendissemus, minime ea nobis foret repudiata. cf. Cic. ad Fam. VIII, 14. §. 4. *Nam dum sordes eluere vult, venas sibi omnes et viscera aperit.* de Legg. II, c. 10. §. 24. *Animi labes nec diuturnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest.* in Verr. V, c. 46. §. 121. Sed tamen omnes libri MSS. quum ignorent eam, ita ut vel *leniri* vel *leni* vel *levi* vel *lavi* praebeant, res videtur denuo esse pertractanda. Ac primum quidem scriptura *lavi*, quae et Beckio sese probavit et Orellio, videtur ita comparata esse, ut haud procul a vero absit. Namque illud contra eam vix poterit a quoquam proferri, hanc formam apud Ciceronem alibi non inveniri, propterea quod multa in hac oratione leguntur, quae sunt ἅπαξ λεγόμενα. cf. Cato R. R. c. 65, 1. *Si inquinata erit, lavito.* Horat. Carm. IV, 6, v. 26. *Crines lavis amne Xantho.* cf. Ruddim. I, p. 211. Plurimi autem libri quum *leniri* et *leni* vel *leui*, quae levissima nata est unius litterae commutatione, exhibeant scripturam, aliud quidpiam videtur latere, praesertim quum codd. Oxonn. quibus in hac oratione magna est auctoritas fere consentiant, *leniri* praebentes. Quam scripturam ita in rem suam convertit Schellerus, ut *eliniri* crederet esse reponendum; quod sane quam ridicule sic fulcire studuit: *Cum edd vett. habeant leniri pro elui, forsan legendum eliniri i. e. abstergi. Usitatius est τὸ elui. Eliniri nusquam alibi, quod sciam, occurrit. Sed talia sunt plura verba. Ac si quod verbum nunquam in textum recipitur, nusquam occurrere potest.* Haec ille. Cf. Observatt. p. 43. Nobis in eo videtur esse consistendum, ut aut *liniri* aut *lini* ab oratore profectum esse nobis persuadeamus. At qua tandem significatione haec censes esse accipienda? Est certe ea paullo tectior atque occultior, sed tamen inest. cf. Ovid. Epp. ex Pont. I, 5. v. 15. 16.

Cum relego, scripsisse pudet; quia plurima cerno
Me quoque, qui feci, iudice digna lini.

i. e. *deleri*, *exstingui*. Optime deinde in rem facit nostram vox illa pervulgatissima *litura*, quae a verbo *linere* traxit originem, namque hac litteras nonnullas maculasque in scriptis esse erasas Latini indicabant. cf. Cic. pro Arch. P. c. 5. §. 9. *His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.* pro Cluent. c. 14. §. 41. *Oppianicus, — qui digito legata deleverat — ne lituris coargui posset, testamentum* et q. s. in Verr. I, c. 36. §. 92. Quam verbi *linere* significationem quid est, cur huic loco negemus esse consentaneam? An quod poetam, ac non solutae orationis scriptorem ita loquutum esse videmus? Quid? num vox *litura* ne huius quidem facienda? Verborum coniunctio *maculam linere* quum rationi minime repugnet, quumque librorum vestigia eam suadeant manifesto, non modo repudiare eam, se ne abesse quidem ab oratoris verbis voluimus. Petita autem imago est a pictoribus, qui maculas tabulis adspersas linunt coloribus supra offusis. Maculae igitur vel tabularum vitia quum hac ratione exstinguantur, translata deinde imago ita est, ut in scriptis litterae, quae eradebantur, *lini* dicerentur; unde *litura*. Restat autem, ut investigemus, utrum *liniri* an *lini* Ciceronem scripsisse sit probabile. Prius illud postulat, id quod extra omnem videtur positum esse dubitationem, librorum Oxonn. aliorumque auctoritas. Sed tamen audiendus est doctus ille Petrus Burmannus, qui ad Quintil. Declam. XIII, c. 5. p. 277. ita disseruit de verbis *linere* et *linire*, ut post eum, quod sciam, nemo dum ausus sit rem denuo in iudicium vocare. Etenim *linio* verbum inferioris esse aevi atque indoctis librariorum calamis deberi existimat, quum ortum sit procul dubio post obfuscatum linguae Latinae nitorem et confusum cum *lenire*; unde etiam *delinire* pro *delenire*. Locos igitur, quibus *linio* invenitur, emendare studet. Verum enim vero hodie quum sit explanatum, quantum codices habeant ponderis ac momenti, modo ut recte eorum pensitata sit auctoritas, hoc viri doctissimi iudicium haud facile quisquam sequetur ita, ut de rei veritate non dubitet amplius. Etenim apud Quintilianum l. l. codices *lenivit* praebent; unde consectarium debet esse, non *livit*, id quod Burmannus restituit, sed potius *linivit*

esse legendum. Neque apud Columellam, qui sub Claudio floruit imperatore, cf. Bernh. H. L. p. 322., libro de R. R. VI, c. 16. *circumlinenda*, neque ibid. c. 17. *circumlinendus* praeferendum, sed utroque loco codd. plurimorum subsidio *circumliniendа* et — *liniendus* restituenda sunt, id quod Schneiderum fecisse impense laetamur. Adde Livium, ubi l. XXI, c. 10. hodie verba sic leguntur: *id, sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant linebantque pice.* At libri plurimi iique optimi Pall. prim. et tert. Flor. Voss. Cant. Lov. 2. 3. 4. 5. Harl. Gaertn. Hav. Brancal. Latinii et ed. Aldina praebent *liniebantque.* Quid igitur? horum omnium auctoritate misere repudiata num *linebantque* defendimus amplius? Minime; habeat suum Livius *liniebant* atque teneat. Quod quum ita sit, etiam apud Plaut. Mil. Glor. II, 1, v. 75. vett. edd. scripturam *sublinitur* censemus esse retinendam; hodie enim *sublinetur* ibidem videmus exaratum. Optimis igitur scriptoribus *linire* verbum nonnumquam esse usurpatum statuimus, veluti *sallere* et *sallire; fodere* et *fodire; arcessere* et *arcessire* cff. Ruddim. I, p. 278. Ramsh. L. Gr. p. 211. ed. 2. Quid igitur nostro faciemus loco? Omnibus calculis bene subductis ex vestigiis codd. Pariss. 1. 4., quos plurimi facit Steinmetzius, et ex cod. Oxon. X, qui *leui* praebent, deinde ex cod. Oxon. S, ubi *leni* legitur, videtur *lini* reponendum esse. Quam formam ut infinitivo *liniri* sedulo a nobis defenso praeferamus, imprimis hoc facit, quod ex corruptis scripturis *leni* vel *leui* librarii *leniri* videntur effinxisse, ut probabilem aliquam extricarent sententiam. Namque *lenire* verbo pro *deminuere* vel *pedetentim exstinguere* usi sunt hic illic scriptores. cf. Cic. ad Quint. Fr. I, 1. c. 10. §. 30. *perfice, ut laetitia provinciae desiderium nostrum leniatur.* ad Fam. V, 3. §. 1. *Hominis importunissimi contumeliae — tuis erga me officiis leniuntur et — a me despiciuntur.* ibid. 13, §. 5. Quod verbum, quum nostro loco de malis cogitationibus ex parricidio natis sermo sit, haud sane ab loci sententia alienum videretur, si metaphorae, qua usus est Cicero, esset consentaneum. —

§. 67. *sua quemque fraus et suus terror*] Sic de

Heusingeri coniectura edidimus pro vulg. *et suus terror*, licet omnes hanc tueantur scripturam libri MSS. Heusingero autem Matthiaeus ita repugnavit, ut *terrorem* hoc loco eum significari existimaret, qui terrori ab aliis, ut hoc loco a Furiis iniecto, esset oppositus. Beckius vocem *terrorem* aptius respondere praecedenti *perterreri* opinatus est; sed tamen iidem huius loci sententiam minus recte dicendi sunt perspexisse. Etenim hoc oratorem dicere perspicuum est, homines sceleratos non Furiarum taedis ardentibus, sed potius sua ipsorum fraude et terrore et scelere et malis cogitationibus perterreri ac vexari. Quid? fraude, scelere, terrore num eos concedimus terreri? cf. Cic. Tusc. IV, c. 8. §. 19. *terrorem metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur.* Ex quibus quum, quid sit terror, luculenter appareat, profecto hoc loco *terror* cum fraude ac scelere consociari nequit, propterea quod sceleris admissi conscientia, neque terror incredibilem exsuscitat animi terrorem. Recte locum explicasset Matthiaeus, ubi eum vel sic legeremus: *Suus quemque metus et suus terror vexat*, i. e. metus atque terror, quem fraus et scelus, ac non Furiae iniecerunt, quemque perturbant. Neque Beckii ratiocinatio aptis fulta est argumentis, quum verbo *perterreri* non *terror* respondeat, sed simplex verbum *vexare*. Quod quidem magis foret perspicuum, ubi sic loqui voluisset orator: *et suus error terrore vexat.* In Edit. Venet. 1472 et Ju. verba collocantur sic: *et terror suus*; quod si probari posset, certe illud optime intelligeretur, vocis corruptelam nonnisi ex litterae *t* geminatione esse ortam. Verum enimvero pronomen *suus* in principio positum iccirco est, ut impios homines sua ipsorum fraude ac non Furiarum taedis perterreri exponeretur accuratius; vide modo priora *sua quemque fraus* et, quae sequuntur *suum q. scel.* et *suae malae* etc. etenim elegans illa Latinorum collocatio *sua quemque* etc. egregie sensum hoc loco adiuvit.

§. 67. *quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant*] Schuetzii commentum, qui *repetunt* reponi iubet, non commemorarem, nisi assentientem fere viderem Orellium. At quid est, cur

indicativum hoc loco praeferamus? Manifestum enim, verbis *quae dies noctesque — repetant* accuratius explicari epitheta *assiduae domesticaeque.* cf. pro Quint. c. 3. §. 11. *una in re minus consideratus*, *qui societatem cum Sex. Naevio fecerit.*

§. 69. *Si tantum facinus*, *tam immane*, *tam acerbum credituri sunt*] Librorum Oxonn. et vett. edd. scripturam, quae a recentioribus interpretibus mutata ita est, ut reliquorum codd. scripturam *credituri sint* reciperent, hodie revocavit Orellius eumque Steinmetzius est sequutus. A quibus dissentire noluimus, propterea quod Codd. Oxonn. auctoritas minime videbatur posthabenda esse. Sed tamen totius loci sententiam ubi volueris accuratius ponderare, multa prae se ferre veritatis documenta reliquorum codd. scripturam *cred. sint* erit fatendum. Et enim *credituri sunt* ubi comprobaris, locum interpretabere sic: Si iudices revera ii sunt, qui re diligenter pensitata facinus nefandum credent, inter argumenta, quibus commoti suum faciant iudicium, etiam illud sit oportet, quod manus quasi videant paterno sanguine adspersas. Contra *credituri sint* ubi praetuleris, sententiam hanc esse concedendum: iudices ut credant facinus tam immane, tot ac tantis oportet adducantur argumentis, ut fere videant manus pat. sang. adspersas; *(cred. sint*, *wenn sie glauben sollen.)* —

Cap. XXV. §. 70. *Quos natura ipsa retinere in officio non potuisset — — — summoverentur.*] Hic rursus legendum puto *posset.* Nam cum iam peccavere, non possunt poena a maleficio summoveri. Viri docti haesere in *maleficio summov.* Frustra. Int. *a* aut adde, si mavis. *Ernest.* At non poena, sed poenae cogitatio eos, quos natura prohibere non potuisset, retinere debebat. *Beck.*

§. 70. *ii magnitudine poenae maleficio summoverentur*] Mire dixit, *summovere maleficio* pro arcere et deterrere. *Hotom. Mal. summov.* Sic habent omnes libri et manuscr. et vulg. Sed Erasmus legi volebat *maleficio summo arcerentur.* Non placet. *Lambin.* Codd. Oxonn. *ii* omittunt. Non repugnarem, ubi totum locum vel sic viderem esse exaratum: *ut*, *quos — potuisset*, *magnitudo poenae maleficio summoveret.* cf. Plaut. Capt.

II, 2, 63. *Est profecto deus, qui, quae nos gerimus, auditque et videt.* Etenim verba *quos — potuisset* tum forent accipienda pro : *ut naturae legibus non obtemperaturos magnit. et q. s.* Acquiescendum autem in vulg. est. cf. Cic. pro Quint. c. 31. §. 99. de Offic. II, c. 6. §. 22. In verbis *maleficio summoverentur* quoniam interpretes videmus haesitare, res paullo accuratius videtur esse investiganda. Ernestio visi sunt viri docti offendisse in eo, quod omissa sit *a* praepositio. At saepe numero verba *movere, removere* aliaque inveniuntur ita usurpata, ut neglectis praepositionibus cum simplice sint iuncta ablativo. Cf. Cic. Divin. I, c. 35. §. 77. *Quo tempore quum signifer primi hastati signum non posset movere loco, — Flaminius re nuntiata more suo neglexit.* de Orat. II, c. 67. §. 272. *Censor tribu movebat eum centurionem.* Orat. c. 2. §. 5. *Sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt.* Pro Rosc. Am. c. 3. §. 8. *ut spoliis Sexti Roscii hoc iudicio ornati auctique discedant*, ubi Ernestius *ex hoc iudicio* edidit. Vide supra scripturae vulg. interpretationem a nobis propositam. Quam ubi nolueris amplecti, coniunge *discedant* cum *iud.* ita, ut item omissam esse statuas praepositionem. Quae quum ita sint, illud potius Hotomanno aliisque offensioni fuisse nobis est persuasum, quod verbo *summovere* plane inusitatam hoc loco imposuerit significationem orator. Namque hoc verbum proprie sic tantum usurpatur a scriptoribus, ut in concionibus atque comitiis populum significet a viatoribus removendum. Cf. Liv. II, c. 56. *Summo veri Laetorius iubet, praeterquam qui suffragium ineant. Adolescentes nobiles stabant, nihil cedentes viatori. Tum ex his prehendi quosdam Laetorius iubet. Consul Appius negare, ius esse tribuno in quemquam, nisi in plebeium; — nec illum ipsum summovere pro imperio posse more maiorum.* Ibid. III, c. 48. *I, inquit, lictor, summove turbam.* Ibid. VIII, c. 33. Neque Cicero hanc verbi vim aliis locis posthabuit; cf. pro Quint. c. 6. §. 31. *Aut satisdare aut sponsionem iubet facere; et interea recusantes nostros advocatos acerrime summoveri.* de Legg. I, c. 13. §. 39 *Quam quidem ego placare cupio, summovere non audeo.* Unde consecta-

rium videtur esse, iure in hoc nostro loco haesitasse viros doctos. Verumtamen mutandum nihil est, quum et libri consentiant ad unum omnes et structura ipsa rationi omnino non repugnet. Fatendum igitur, oratorem hoc loco, uti alibi, iuveniliter magis quam vere esse loquutum. —

§. 70. *insui voluerunt*] Modestinus in l. 9. D. de Parricid. ait, insui consuevisse cum cane, galla gallinaceo, vipera et simia. Sed non fortasse tempore Ciceronis; non enim omisisset, quae vim argumenti augere poterant. De hoc supplicii genere mentio est in lib. I. ad Herennium cap. 13. et de inventione II, 10., ubi verba legis recitantur. *Facciol.* Idem antea visum fuerat Colero parerg. cap. 3. Neque sane ante Senecam quisquam exstat, qui culleo ullam adiiciat bestiam. Quod autem is canem et gallum Lege Pompeia putat adiectos, ceteras vero bestias ab imperatoribus denique, nullum est eius rei certum argumentum. Nam Modestinus l. c., quem allegat, omnes illas, quas commemorat bestias, omnes (f. delend. B.) tribuit non legi Pompeiae, sed mori maiorum. Illi demum legi omnia Justinianus adscripsit Instit. IV, 18. §. 6. quo ex loco, ut in his tenebris, clariora exstant Legis Pompeiae vestigia; quamquam libro satis copioso Treboniani eo loco errores acriter confutarit Joh. Fr. Ramos *del Manzano.* Hinc igitur totam parricidii poenam legi Pompeiae tribuere deberemus, nisi probe sciremus, cullei quam sit usus antiquior. *Morem* illum *maiorum* hoc Ciceroniano modo, quo etiam hic *maiores nostri* dicuntur, arbitror intelligendum, ut summam vetustatem atque ipsas XII. Tabulas respiciamus. Hoc demonstravit egregie V. C. Ever. Otto in praef. tomi IV. Thes. iur. Iis usus verbis videtur ipse Pompeius, qui *morem maiorum* nova sanctione firmabat. Iam vero quis internoscat, culleusne solum, an bestiae quoque poena illa vetere continerentur? Multa utramque in partem disputari possent, sed mitto certamina. Menardus in argumento praeter culleum omnia d. l. 9. commemorata legi Pompeiae adscribit. Vide, quae Manutii argumento addidimus. *Garat.*

Cap. XXVI. §. 71. *Cui repente coelum, solem, aquam terramque ademerunt?*] Ed. Ven. *ademerint* et

vere fortasse; nam in contrariam partem peccare solet. Infra eadem *immanioribus uterentur. Garat.* In Ed. Oxon. quum unius tantum cod. χ. sit annotata varietas, ipsa autem quum praebeat *ademerunt*, iure videtur illud inde colligi posse, in quinque codd. Oxonn. exstare *ademerunt* scripturam. Quae quum longe sit praestantior, repudiare eam noluimus. Namque arctissime sunt iungenda inter se verba *hunc hominem, cui — ademerunt*, ita ut tota sententia fere haec sit: nonne hominem repente coelo, sole, aqua terraque spoliatum ex rerum natura sustulisse videntur? Ubi subiunctivum reposueris, pronomen *cui* pro *utpote* vel *quippe cui* est accipiendum. At quam ieiune dicta iam illa *hunc hominem?* Subiunctivus tum demum commode posset explicari, si priora forent immutata aut sic: *insui in culeum voluerunt parricidam vivum atque et q. s.* aut ad hunc modum: *nonne videntur hos homines — eripuisse, quibus — ademerint?* —

§. 71. *Cuius partem ullam eis reliquerint*] Sic ex cod. Oxon. χ. edidit Olivetus. Recte. Omisso enim pronomine sententia inest verbis plane alia; duplex autem potest esse, aut vilissima quaeque et maxime vulgaria omnino pessum data esse, quum *partem nullam relinquere* certe idem sit atque *omnia delere et perdere.* Aut, ubi *relinquere* acceperis pro *praetermittere* (cf. Cic. Brut. c. 19. §. 76.), verba sic interpretabere: ne vilissimam quidem rem quasi intactam dimiserunt. Utrumque autem quantum abhorreat ab oratoris mente, manifestum est. Recepimus igitur *eis*, id quod ad sententiam recte constituendam necessarium vel maxime est. Cf. supra c. 5. §. 13. *cui praeter calamitatem nihil reliquerunt.* Ibid. c. 6. §. 15. Itaque ex *omnibus suis commodis hoc solum filio reliquit.* Ibid. c. 9. §. 24. *cui — ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* Ibid. c. 17. §. 49. *qui huic nullum praedium reliquit.* Ibid. c. 28. §. 77. ad Fam. XV, 21. §. 1. Neque illud a quoquam poterit proferri, animo pronomen esse supplendum, quum eo omisso, ut diximus, sententia insit verbis omnino alia eaque minime consentanea. —

§. 72. *Ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat*] Repetiit hunc totum locum Cicero Orat. c. 30.

§. 107., ubi in multis codd. haec verba sic leguntur: *terram non tangant.* Quae scriptura tametsi multo est probabilior, tamen recipere noluimus, quum ex codd. nostris nulla sit commemorata scripturae discrepantia. Quid enim? Cicero quum orationem fecerit ita, ut et in prioribus et in seqq. ipsi parricidae pro subiecto, quod dicunt, sint accipiendi *(ut — ducere non queant; ut numquam abluantur; ut — conquiescant.)* profecto sanequam dura est structurae immutatio tam subita, qualem nostro loco factam esse perspicuum est. Quod quum orator provectior factus persentisceret ipse, de industria videtur in libro, quem laudavimus, orationem emendasse; etenim verbis *eorum ossa* iam circumscribitur *ipsi* pronomen. Servanda igitur nostro loco scriptura *terra non tangat;* illic autem praeferenda *terram non tangant.*

§. 72. *ita iactantur fluctibus, ut numquam abluantur*] *Alluantur* in eodem libro (Orat. c. 30. §. 76.) et sic emenda. *Hotom.* Male. Non abluuntur parricidae marinis aquis, quae omnia polluta purgant, quia culleis sunt insuti. *Graev.* Ego cum Hotomanno retineo *alluantur.* Non enim mirum est, ut putat Graevius, parricidas in mare delatos marinis aquis non purgari, sed marinis aquis non allui. *Facciol.* Alluantur etiam ad marginem ed. suae Lambinus coniecerat. Sic tum edidit Lallemandus, non ex MSis, sed ex Oratoris cap. 30, ubi tamen tres Gruteri codices retinent *abluantur*, quod omnes hic cum edd. vetustis eodem Grutero teste iam retinuerant. Verum de scriptura nihil disputo; affinitas enim verborum *abluere* et, quemadmodum in MSis plerumque scribitur, *adluere*, ut haec saepe permutarentur, effecit. Vide copiosam Oudendorpii hac de re disputationem, quam notis ad Melam I, 4. suis inseruit Abr. Gronovius p. 982. Ibi recte is *adluere* restituit idemque alibi, aliique viri docti, quocumque scilicet loco de urbibus agrisque agitur, quos mare fluviique alluunt profecto, non abluunt. Sed non eadem huius loci ratio fortasse fuerit. De superstitiosa illa criminum ablutione cogitare certe Tullius non potuit; tantum enim illa aberat a parricidis, ut veritos dixerit homines, ne ab his mare pollueretur.

Alia tamen erat naturalis ablutio, quam vis aquae insita corporibus denegare non poterat. Ne hanc quidem Tullius intelligit? Sed haec efficere profecto potest, ut recte hic effectui causam substituamus, quod a loquendi consuetudine non abhorret, et ut *numquam abluantur* interpretemur, ut numquam aqua undique madefiant eaque penitus perfundantur; quod, nisi culleus ex corio confectus prohiberet, fieri omnino erat necesse. Certe *hominem allui* novum mihi videtur, quum praesertim huius locutionis gratia levis, at quaedam tamen sit codicibus vis inferenda; quaeque immersa sunt fluctibusque iactata *ablui* lubentius quam *allui* dicerem. Haec mirificum illud, quod a sententia postulatur, explicatio servabit; quid enim admirabilius, quam in medio mari non madefieri? Sed unusquisque sensu hac in re utatur suo. *Garat.* Hoc quoque loco idem facere ausim iudicium, quod de prioribus *terra non tangat* proposui supra. Nam veluti urbes agrique, id quod Garatonius optime observavit, plerumque *allui* dicuntur, propterea quod pars tantum agrorum nec totus ager fluviorum madefit undis, quum ripa tantum alluatur fluctibus, ita hoc loco orator, ut maiorem supplicii vim ostendat, parricidarum cadavera, tametsi in mediis iactentur undis, tamen ne allui quidem umquam contendit. Recte igitur, quod hoc loco non satis significanter dictum est, posthac in melius videtur ipse convertisse. —

§. 72. *cui maleficio — est constitutum*] Videtur *maleficio* librarii esse additamentum cod. vetustissimi margini adscriptum ideo, ne qui pronomen *cui* referret ad *crimen*; unde posthac in verba ipsa irrepsit. —

Cap. XXVII. §. 74. *quaero, servosne, an liberos? Liberos?*] Addidi alterum *liberos* e coniectura. Nam sequentia ad liberos spectant; quae §. 77. sequuntur, ad servos. Sic §. 54. *Matth.* Quae coniectura qui factum sit, ut Orellii fugeret diligentiam, ignoro; illud certe perspicio, silentio eam non debuisse plane praetermitti. Quam ut fulciret Matthiaeus, verba laudavit ex §. 54. haec: *Quis prohibuit?* „*Cogitabat.*“ *Cogitabat?* Verumtamen eorum longe alia est ratio; etenim orator, cuius ad interrogationem sanequam inepte atque adeo ridicule respondebat Erucius, praesertim quam de re age-

retur atrocissima, de industria hoc repetivit responsum, ut et iudices et auditores accusatorem perversissime rem gerentem suam cognoscerent. Quod quantum absit ab nostri loci sententia, in propatulo est. Matthiaeus autem in eo paullum ab vero videtur aberrasse, quod, quam inesse voluit verbis sententiam, ea tum demum iis contineretur, ubi reposuisset *liberosne?* Cf. §. 79. *aut per aliquos servos aut liberos. Liberosne? quos neque* etc. Accedit, quod emendatio impedimento fere est verbis *quos homines?* quippe quae vi iam destituantur ita, ut omnino supervacanea esse videantur; etenim recepta emendatione non potest cuiquam dubium esse, quin de sicariis sit cogitandum. Acquievimus igitur in codd. omnium scriptura, quum arctissime *quos homines?* cum prioribus sint coniungenda ita, ut Ciceronem exaggerata oratione idem, quod iam quaesierit tantum non iisdem verbis, repetere contendamus. Sequentia autem *indidemne — sicarios?* documento sunt, iam de *liberis agi.* —

§. 74. *Indidemne Ameria,*] Citat Priscianus ed. Putsch. p. 1013. Insolens adverbium vocat Menardus. At praeter Plautum et Gellium, quos ipse laudat, eo usus est Cornelius Nepos, ad quem vide Bosii indicem, qui alios etiam dabit auctorum locos. Sed amavit illud Livius imprimis et quam saepe usurparit, docebit te Drakenborchius ad XXV, 15. XXXIX, 8. Hic explica *ex eademne Ameria?* ut apud Nepotem *indidem Thebis,* ex iisdem Thebis; apud Livium *indidem ex Achaia,* ex eadem Achaia. Neque enim explanationis causa Tullius addidit Ameriam, ut vult Manutius, sed quia sic Latini loquuntur. Hoc verbum Ernestus omisit. *Garat.*

§. 74. „*Pretium dedit.*" *Cui dedit?*] Sic verba interpunximus pro vulg. *pretium dedit?* id quod vel inde videbatur necessarium esse, quod omissa est interrogandi particula. Quid? eam omitti posse non concedimus? Verumtamen quum neque a prioribus absit neque a sequentibus, consectarium est, hoc loco minime eam potuisse nigligi. Quod si ulla in libris exstarent lacunae vestigia, reponerem „*Pretium dedit.*" *Pretium dedit?* et conferrem eadem, quae supra laudavit Matthiaeus ex §. 54.

Cap. XXVIII. §. 76. *Arcessivit aliquem*] Nulla hic lectionis varietas adnotatur. Tamen Priscianus ed. cit. p. 902. legit: *Arcessivit aliquem? Quem? aut quando?* Sic statim: *nuntium misit. Quem?* etc. Et sic porro legendum, qui locum attente perpenderit, certe fatebitur. Facile quoque intelligitur, postremum *quem* a priori absorptum fuisse tam pervulgato MSorum errore, ut amplius probari non debeat. Vide ad Act. IIII. in Verr. c. 3. Tum illud *aut* sensum perturbasset, ablato *quem*, nisi in *at* abiisset, quod illi erat affine. Notam vero interrogationis post *aliquem* Priscianus habet. Quid est enim, quod ex tribus orationis membris, quae similiter conformari prorsus debent, duo priora nota illa careant, tertium non item? Tertium enim est hoc: *pretio* etc. *induxit aliquem?* Profecto aut cuncta interrogare debent, aut, quemadmodum in ed. 1480, omnino nulla. *Garat.* Quam Prisciani scripturam etiam Wernsdorfius l. l. recipiendam esse iudicavit. Recte. Neque in eo a vero aberrasse censendus est Garatonius, quod post verba *induxit aliquem* deleri voluit signum interrogationis. Namque haec verba, veluti priora *arcessivit aliquem* et *nuntium misit*, ita pronuntiavit orator, proinde ac si ab ipso adversario essent obiecta. —

§. 77. *Quid? in tali crimine quod — relictus non est?*] Vulg. *quod in tali crimine innocenti — relictus non est*, omissis interrogationum signis. Libri autem plurimi quum ante *innocenti* repetant *quod*, Beckius hoc pronomen in verborum ordinem recepit. Nos de coniectura dedimus: *quid? in tali crimine quod — non licet?* cf. Not. ad §. 62. Unde consectarium erat, etiam post verba — *habetis?* et post *relictus non est?* addi debuisse interrogationis signa.

§. 77. *Meministine te, T. Rosci, recusare?*] Est a Victorina editione, cui proxime accedunt primae memoriae impressi, item MSS. nostri; in quibus, *Meministine T. Rosci, recus.* Vulgata, Meministisne T. Roscium recusare? pro nostra facit locus similis infra cap. 41. pr. *Gruter.* Naugeriana editio emendantis hic redolet manum. MSus Jannoctii *meministine.* Nomen T. Roscii exaratum haud raro per compendium fuit, ut, quo casu positum sit, plane ignores. Sic in ed. 1480.

codicum varietas locum corruptum arguit; hique Naugerio certe plus, quam vulgatae, favent. *Garat.* Nos Lambinum sequi maluimus, qui ex codd. ut videtur, edidit *meministisne, T. Roscium recusare?* Sed tamen omnium interpretum consensu hodie quum sit comprobata edit. Naugerianae scriptura, verendum est, ne viris doctis offensioni sit maximo opere haec veteris scripturae revocatio. Dicet fortasse quispiam, minime illud pro explorato posse haberi, ex codd. locum restituisse Lambinum; atque adeo veri videri simillimum, eumdem emendatrice locum tractasse manu. At cuiusnam codicis auctoritate fulta est scriptura Naugeriana? Quod si utraque pro coniectura est habenda neque ullius codicis vestigia ita sunt comparata, ut probabilem aliquam praebeant sententiam, neque illud pro certo potest affirmari, quis fuerit omnium codicum, quotquot volvimus, vetustissimus, ita ut ex eodem verba possint quamvis corruptissima Ciceroni restitui, acquiescendum in eo videtur esse, ut ex oratore ipso atque ex tota verborum comprehensione illud eruamus, quod ad veritatem proxime videatur accedere. Mirum autem, doctos homines non vidisse, praecedentium verborum vim hoc loco nimium quantum debilitari recepta scriptura Nauger. Quid enim? illudne P. Scipionem, illudne Metellum orator vult testificari, Sextum Roscium aliquoties duos servos paternos in quaestionem ab adversariis postulasse? Minime. Namque orator quod supra gravissime est conquestus, ne unum quidem de tanto patrimonio puerum Sexto Roscio esse relictum, id in sequentibus studet argumentis oratorie prolatis comprobare. At quo tandem argumento? An quod Sextus Roscius servos in quaestionem postularit? Perspicuum igitur est, verba *meminist.* etc. arctissime cum antecedentibus esse coniungenda, ita ut ingens illa Sexti calamitas vel maxime inde appareat, quod Titus Roscius servos ab reo postulatos omnino recusarit. Hoc igitur adversarius ne negaret neve calamitosae infelicis Roscii conditionis imaginem ab oratore adumbratam tantum non aboleret negando, testes citavit orator Scipionem et Metellum. Quod quum ita sit, verba *meminist.* etc. minime ad Titum R., sed ad testes potius sunt referenda. At pone, oratorem advocatos ante-

stari, ut Sextum servos postulasse confirment, et refer, sis, verba seqq. ad Titum Roscium; quid, quaeso, cogitari potest ieiunius, quam haec tam grandis oratio atque magnifica, praesertim quum res, quae testimonio confirmanda est, minime sit primaria? Etenim haec vel maxime in servorum recusatione cernitur. Denique illud velim consideretur, quam sit insulsum hanc Titi Roscii confessionem, sese reo morem noluisse gerere, verbo *meminisse* velle extorquere. Multo enim aptius dixisset orator: *nonne tu*, *S. R. recusasti?* Documento autem idem verbum debet esse, nostro loco nonnisi de testibus posse cogitari; etenim ii apte dici possunt recusationis memores, ac non Titus Roscius. Quae quum ita sint, Lambinum sequuti vulgatam sine ulla repudiavimus haesitatione. Quod si unus tantummodo codex *meministis* exhiberet, coniectura crederem non amplius opus esse scripturamque hanc iudicarem maxime fore sanam: *Te nunc apello — postulavit*; *meministis*, *T. Roscium recusare. Quid?* etc. cf. §. 119. *Tu semper*, *T. Rosci*, *recusasti* sc. *eos*. — Restat, ut, scriptura Lambiniana utrum ad codd. vestigia propius accedat, an Naugeriana, animum advertamus. Vides autem, quum in plurimis libris legatur *meministine*, Lambinum unam tantum addidisse litteram S, contra Naugerium *te* voculam verbis inseruisse. —

§. 78. *mortis paternae — filio non licet.*] Editores plerique post verbum *potest*, quod statim antecedit, plene interpunxerunt; moleste fero. Pronomen enim *hoc*, quod in prioribus legimus, ad sequentia referendum est *mortis — licet.* Totum igitur locum sic scriptum fuisse coniicio: *Omnia*, *iudices*, *in hac caussa sunt misera atque indigna; tamen hoc nihil neque acerbius neque iniquius proferri potest*, *mortis paternae de servis paternis quaestionem habere filio non licere. Ne tamdiu quidem dominus erit in suos*, *dum ex iis de patris morte quaeratur?* Locus simillimus est pro Quint. c. 2. §. 8, ubi particula *quam* delenda est. Cf. Annot. ad Cap. 12. §. 33. —

Cap. XXIX. §. 80. *Quid est ergo? quo tandem — confugerit?*] Sic locum optime interpunxit Orellius; vulg. *quid est ergo*, *quo.* Vides autem, corruptelae originem

haud dubie sitam esse in verbo *confugerit*, utpote quod non intellexerint editores pro *confugiet* esse positum. Cf. Ramsh. L. G. §. 164, 7; p. 602 ed. II.

§. 80. *Una mercede*] Translate dictum pro *una eademque opera*, quam quasi *mercedis* loco persolvis, ac si diceret: unius accusationis labore. Neque enim adduci possum, ut putem eam *mercedem* significari, quam illi a Chrysogono persolutam esse scribit; quum et sensus foret ineptissimus et laudi potius quam vitio duci oporteret, si pro una mercede, quam acciperet, duplicem laborem sumeret. *Hotom.* Hic merces operae sumitur pro opera ipsa, ut putat Hotomannus. Quod ut credam, valde me movet verbum *assequi*, non ratio ipsa, quae ab Hotom. affertur. Non male tamen interpretabitur, opinor, qui dicat, τὸ *mercede* referri ad verba illa, *a quibus mercedem accepisti;* itaque eadem significatione usurpari. Pulcritudo enim figurae in eo est, quod mercede Chrysogoni Chrysogonum accuset. *Facciol.* Mercede hoc loco quid sit, cur pecuniam significari ab Chrysogono acceptam negemus, non assequor. Namque pecunia illa cumprimis effecit, ut Erucius quasi duplicem impenderet laborem.

§. 80. *nos iudicio perfundere*] *Perfundere* non est iudicii metu afficere, (id quod voluit Hotomannus. B.) nec, ut Manutius vult, leviter adspergere et aliqua iudicii molestia afficere, nec, ut alii volunt, perdere, sed iudicio obscuro, in quo nihil clare liquidoque probetur, obruere. Videtur proprium in iudiciis verbum fuisse *perfundere*, quo utebantur, cum non clare et diserte aliquid ostenderent, sed obscure et ambigue, ut quum hic Erucius diceret sine ullo argumento, Roscium occidisse Romae per servos patrem. Hinc *perfusorie dicere* apud Jurisconsultos, Ulpian. l. 5. §. 1. D. quod vi aut clam. *Debebit, et ita Labeo, et diem et horam denuntiatione complecti, et ubi et quot opus futurum sit, neque perfusorie et obscure dicere aut denuntiare, neque tam arctare adversarium, ut intra diem occurrere ad prohibendum non possit.* — *Perfusorie dicere* est denuntiare tantum, te aliquid facturum esse, sed non plane et clare, ubi et quid facturus sis. Scaevola in l. 69. §. 5. de evictionibus: *Si quis in venditione statu*

liberum perfusorie dixerit, *conditionem autem libertatis celaverit*, *emti iudicio tenebitur*, *si nescierit emtor*; et paullo post: *Sicuti qui fundum tradit*, *et quum sciat certam servitutem deberi*, *perfusorie dixerit*, *itinera*, *actus*, *quibus sunt*, *utique sunt*, *recte recipitur*, *evictionis quidem nomine se liberat*, *sed quia decepit emtorem*, *emti iudicio tenetur*. Hinc *assertiones perfusoriae*. Sueton. in Domitiano cap. 8: *recuperatores ne se perfusoriis assertionibus accommodarent*, *identidem monuit*. Sic enim ibi restitui ex Memmiano codice hanc vocem, quam et in Turonensi Casaubonus et in duobus aliis se reperisse tradit Cuiacius. *Assertiones perfusoriae* sunt obscurae, non clarae et liquidae, uti patet ex legibus allatis. Nec aliud hic puto esse *perfundere iudicio*, quam argumentis perfusoriis uti in probando parricidio Sexti Roscii. A *perfundo* sane est *perfusorius*. Haec perfusoria argumenta in praecedentibus capitibus 27 et 28. exagitavit egregie Cicero. — Sic de hoc loco cogitabam. Sed quum accuratius eum post pependi, nihil aliud videtur velle significare Cicero, quam nos in iudicium sive in ius vocare, accusare vero Roscios et Chrysogonum. Nam ut *laetitia perfundere* est afficere laetitia, sic perfundere iudicio est, si ita loqui liceat, iudicio afficere, quod est, in ius vocare, accusare. *Graev.* *Nos iudicio perfundere* h. e. speciem quamdam iudicii nobis offundere, revera autem eos accusare etc. Est enim hoc in loco *perfundere* quasi leviter adspergere; qua significatione usurpatur *perfusorius* a Seneca Epistola XXIII: *Haec*, *quibus delectatur vulgus*, *tenuem habent ac perfusoriam voluptatem*. Species igitur exterior iudicii huius offundebatur Sexto Roscio, ratio et vis interior tota videbatur in adversarios conversa. *Facciol.* Jure accessit viro docto, Matthiacus, qui praeter illud ex Senecae epist. laudatum exemplum hoc affert ex Cic. Brut. c. 9. §. 38. *Suavis*, *sicut fuit*, *videri maluit*, *quam gravis*, *sed suavitate ea*, *qua perfunderet animos*, *non qua perfringeret*.

§. 80. *Nonne cogitas* etc.] Scribendum est sine dubio: *Non cogitas*. Nempe, quomodo tu istud dicere potes sine timore periculi, nec tibi venit in mentem, te a sectoribus accusatorem delectum esse ad hoc iudicium?

Vult ergo timorem iniicere: *Nonne cogitas?* esset, *tu sane cogitas*, quod est ab h. l. alienum. *Ern.*

§. 80. *Quid postea? Nescis*] Jannoctii codex *quid postea? nescis* etc. Sic etiam legit interpres vetus anonymus. Lectio sane probanda, ut Erucium interrogare pergat oratio: *nonne cogitas* etc.? *Quid postea? Nescis* etc. Nonne concinnum hoc erit? Argumentatio enim ea est, qua saepe utitur in familiari sermone Terentius, ut omnes norunt; cuius quidem vim illo suo *praeterea* (sic enim explicavit *postea* Hotom.) Hotomannus infringit. *Quid postea?* enim hoc loco valet *quid inde?* Quasi Erucius responderit: *cogito* vel *si cogitem*, *quid inde?* Concessio enim alterius supponitur, ut in Adelphis V, 8, 6. ait Demea: *primum huius uxoris est mater;* et Micio respondet: *quid postea?* In iisdem IV, 1, 13. Syrus: *cliens*, *amicus*, *hospes nemo est vobis.* Ctesiph. *sunt; quid postea?* Quo loco exprimitur ipsa concessio. In Eunucho II, 3, 78. Parmeno: *capias tu illius vestem.* Chaerea: *vestem? quid tum postea?* Ubi etiam *tum* abest a MSis Lips. teste Westerhovio. Jam satis est; quid enim clarius? Eodem sensu infra cap. 33. ex T. Roscii persona *quid postea*, *si Romae assiduus fui?* Terentianum hoc esse notavit etiam Verburgius. Sed quod ait de imitatione Terentii Tulliana, quis credat, quum haec ex quotidiano sermone cuique paterent? Aliis locis verba et sententias Terentio magis proprias a Tullio usurpatas, nemo negabit; et vero comicorum poetarum dicta erant in ore omnium, qui non essent omnino rudes. *Garat.* Quam cod. Jannoct. et veteris Scholiastae scripturam Garatonius ita probavit Wernsdorfio l. l., ut, in auctoris verba quae reciperetur, eam esse dignissimam iudicaret. Neque nos quidquam habemus, quod commode obiiciamus, quum vulgatae interpretatio admodum sit ieiuna. Steinmetzii explicatio, qui *quid postea?* urgentis atque attentionem moventis esse formulam contendit, hoc loco non quadrat. Si volueris apte sententiam exponere, ironia usum esse oratorem, quum diceret *nescimus* etc., fatebere. Sed tamen hanc improbant interpretationem sequentia: *ii denique — putabunt fore?* Nolo igitur vulgatae hoc loco esse tenacior, praesertim quum Veteris Anonymi auctoritas haud

sane parvi sit facienda. Vide praeter locos ex Terentio allatos Cic. in Verr. III, c. 85. §. 197. *Quaternos HS — in cistam transferam ex fisco. — Quid postea? — Quid? Pro singulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos HS dato. — Qua ratione? — Quid? quaeris rationem?* — Pro Muren. c. 12. §. 26. *Fundus, inquit, est in agro, qui Sabinus vocatur. Satis verbose; cedo, quid postea? Eum ego ex iure Quiritium meum esse aio.* —

§. 81. *qui tum armati dies noctesque concursabant*] Memorabilis ed. Venet. et cod. Oxon. H scriptura *circumcursabant.* At vide Cic. ad Fam. VII, 1, 5. *ut nostras villas obire et mecum simul lecticula concursare possis* in Verr. V, c. 12. §. 29. *Quum vero aetas summa esse iam coeperat, quod tempus omnes Siciliae semper praetores in itineribus consumere consueverunt — tum, inquam, quum concursant ceteri praetores, iste — stativa sibi castra faciebat.* Ibid. c. 31. §. 8. *Nam aestate summa, quo tempore ceteri praetores obire provinciam et concursare consueverunt* etc. — Quibus locis quum libri plurimi iique optime praebeant *concursant*, et quum in Verr. V, c. 12. §. 29. ad unum omnes codd. consentiant, perspicuum est, *circumcursare* nonnisi librariorum esse interpretamentum. Memoratu autem dignum est, hoc interpretamentum in cod. Oxon. H inveniri; unde consectarium debet esse, etiam §. 84 eiusdem cod. scripturam *praedicabat* pro *putabat* et infra §. 106 *tradiderunt* pro *contulerunt* deberi librario. —

Cap. XXX. §. 83. *Quaeramus ibi, maleficium ubi et est et inveniri potest*] Sic dedimus ex plurimorum codd. vestigiis; exhibent enim *quaeramus ubi maleficium ubi et est* etc. Quam coniecturam licet impense gaudeam Steinmetzium quoque excogitasse, nisi quod aliam interpungendi rationem sit amplexus (*quaer. ibi maleficium, ubi*), tamen dolendum est, quod scripturam *quaeram. maleficium, ubi*, quam in codd. Oxonn. frustra quaesiveris, sine ulla receperit haesitatione; namque sequentibus repugnat vel maxime. Perspicuum enim est, illis rebus inanibus accurate iam respondere vocem *maleficium*, ita ut sententia haec sit: desinamus aliquando

res scrutari inanes; maleficium quaeramus etc. Vis igitur summa inest voci *malef.*, unde sequitur, sequentibus oportere scribi *sit* et *possit.* Verum tamen quum *est* et *potest* scripserit orator, primariam apparet vim contineri verbis *ubi et est et inv. potest.* Quo fit, ut, quum tota haec verborum comprehensio respondeat rebus inanibus, Ciceronem nonnisi haec dicere voluisse statuendum sit: „desinamus res scrutari, quae ad inveniendum crimen nihil valent; sedem maleficii ipsam quaeramus, i. e. quaeramus ibi, ubi revera et est maleficium et inveniri potest.“ Res quum ita se habeat, indicativorum quae sit ratio, non est, quod addam.

§. 83. *certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur*] Legendum fortasse *incertum. Lambin.* Lambinus putat legi posse *incertum;* omnino si contrarium volumus inducere eius, quod auctor tractat. *Gruter.* Lambinum, virum longe sagacissimum, certissimis adductum esse argumentis, ut hanc suam excogitaret emendationem, pro explorato est habendum. Quocirca eam viri docti minime debebant repudiare ita, ut paucis eam esse refutatam verbis arbitrarentur. Ac vide modo, res quam sit ad diiudicandum difficilis atque dubitationi, ut quae maxime, obnoxia. Certum scribit orator crimen multis coargui suspicionibus. At *certum crimen* quale tandem esse putabimus? Num facinus decribi dicemus, quod certum vocetur propterea, quod revera factum sit et ante omnium versetur oculos? Quod sane foret perversissimum, si crimen admissum vellemus certum appellare, quum, quod admissum non est, omnino crimen dici non queat. Sed vid. Interpr. ad §. 86. — Quare nonnisi ita intelligi haec verba possunt, ut, ab quonam sit admissum, iam in propatulo esse statuamus. Eamque postulat interpretationem vis vocabuli genuina atque propria, quum nonnisi id fere significet, quod extra omnem sit et dubitationem et suspicionem. cf. Cic. in Verr. III, c. 75. §. 175. *Omnia, quae dicimus, rationibus populorum non interpositis neque perturbatis neque repentinis, sed certis, institutis ordine relata et confecta sunt;* ubi *certae rationes* dicuntur, quae ne minimum quidem erroris prae se ferant indicium. — Cornel. Nep. Vit. Paus. c. 2. §. 3. *Certum hominem ad*

eum mittas, cui fides habenda ita est, ut sincerae eius erga nos voluntatis nulla sit reliqua suspicio. Cic. ad Fam. I, 7. §. 1. — Unde consectarium est, tum demum, ubi is, qui admiserit, maleficium sit confessus, et crimen posse vocari certum et suspicionibus locum non amplius ullum esse relictum. Quae vide, qua ratione cum nostris concilies verbis *quam multis suspicionibus coarguatur.* Optime igitur Lambinus videtur locum perspexisse, quum *incertum* reponi iusserit; etenim incertum crimen suspicionum demum probabilitate coargui ita potest, ut, qui patrarit facinus, is maleficium confiteatur. Tota igitur verborum sententia haec erit: „Quae tu, Eruci, protulisti argumenta, ut Sextum Roscium patrem occidisse comprobares, ea refutavimus omnia, ita ut iam nullum amplius restare videatur; plurima autem nos demum excitavimus, quae tu plane non attigisti, sed quae, quum ad tam immane facinus probandum essent vel maxime necessaria, minime debebas praetermittere. Iam te intellecturum esse arbitror, Eruci, quam multis opus sit suspicionibus, ut crimen, quod concessum non est, plene coarguatur. Sed tamen non omnia, quae ad probandum crimen exponantur oportet argumenta, uberius iam refutabo, sed leviter unumquodque tangam.“ — Omnes autem quum repugnent emendationi Lambinianae libri MSS., circumspiciendum est, vulgata num apte possit defendi. Maleficii igitur suscepti suspicio ubi ita est comparata, ut in certum quemdam videatur certissime convenire hominem, in iudicium is vocabitur; incertum autem est, crimen utrum admiserit, annon. Quod si revera suscepit, id quod iudices adhuc ignorant, crimen ita sane poterit certum appellari, ut pro *re vera admisso* accipiamus; idque suspicionibus necesse est gravissimis comprobetur atque locupletissimis. Quam quidem significationem quamvis inusitatissimam quum hoc loco oratorem voci *certus* imposuisse nobis sit persuasum, nihil mutare voluimus. Sententiam autem iam habeto hanc: „Quum tua, Eruci, sine ullo negotio refutarim argumenta, quippe quae sint sanequam inania atque adeo nugatoria, quumque plurima a te praetermissa, quibus probetur parricidii crimen, excitarim (cf. §. 62), profecto intelliges, quam

multis suspicionibus crimen revera susceptum coarguatur; etenim talia si proferuntur argumenta, qualia a te vidimus prolata, profecto maleficium, etiamsi admissum sit, non coarguetur umquam. Itaque plurima ego iam supra attigi, quae dicerentur oportet; sed quae deinceps exponenda sunt, non omnia dicam, h. e. ampla describam oratione, sed leviter unumquodque tangam.“ Quae quum ita sint, velim *coarguatur* sic interpretere: *durch wie viele Verdachtgründe es bewiesen werden muss.* Verba si quis est, qui velit sic coniungere: *crimen quam mult. susp. certum coarguatur* i. e. eo quasi deducatur, ut certum neque ulli amplius obnoxium sit dubitationi, is non videtur audiendus esse. —

§. 83. *et id erit signi, me invitum facere*] Pro *signi* scriptum fuisse *signo* coniecit Weiskius, cuius me doleo afferre non posse argumentationem. Coniecturam Orellius, id quod impense gaudemus, iure dignam habuit, quae denuo diligentius consideraretur. Nostro autem iudicio licet emendatio tot obtineat ac tanta veritatis vestigia, ut fere restituenda esse oratori videatur, tamen illud certissime nobis videmur investigasse, ab ipso Tullio hanc omnium librorum scripturam *signi* esse profectam. Etenim Latinos quod sexcenties videmus facere, ut pronomina *id*, *istud*, *illud*, *quid*, *hoc* etc. cum substantivorum coniungant genitivis, id vel sic demum locum habet, ut ipsa substantiva pronominibus accuratius definiantur. cf. Terent. Eun. III, 4, 6. *Mihi hoc negotii ceteri dedere* i. e. hoc certum negotium. — Andr. III, 2, 38. *Id consilii cape.* Cic. in Verr. III, c. 84. §. 195. *Sumsisses id nummorum, quod tibi senatus cellae nomine concesserat.* Ibid. V, c. 47. §. 125. *Ne id quidem iuris obtinuit, ut — civis mortem et sanguinem deprecaretur.* pro Cael. c. 29. §. 63. *Scire velim, quid habeat argumenti ista manumissio.* de Offic. II, c. 23. §. 83. — Ex quibus locis perspicuum esse arbitror, pronomen ubique arctissime cum substantivo coniungendum esse. Quod quantum abhorreat ab nostris verbis, luculenter apparet. Namque pronomen *id* hoc loco spectat ad sequentia: *quod non prosequar* et q. s.; quibus quasi signum exprimitur, oratorem invitum facere. Quod quo clarius pateat, rem velim informes ita,

ut verbis *quod non pros.* subiectum, quod dicunt, contineri existimes; unde consectarium, verbum circumscribi his *signi est* et *me invitum facere* pro obiecto esse accipienda. Nos fere sic diceremus: *und das Nichtweiterverfolgenwerden, als* etc. *wird meinen Widerwillen bestätigen.* Quod quum ita sit, pronomen minime cum sequente *signi* debebat coniungi, sed ex certissima loquendi consuetudine dicendum potius erat *signo*, uti *hic* vel *hoc* vel *haec res est argumento, est documento, est indicio.* Cf. §. 75. *Qua in re praetereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse.* Cic. de Div. I, c. 52. §. 119. *Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod nuper contigit* etc. Confr. Rull. I, c. 9. §. 27. *Deinde habeat me ipsum sibi documento.* Sed tamen Latini quum hasce structuras sine ullo negotio solerent nonnumquam invertere sic, ut dicerent *hoc* vel *id est argumentum*, cf. Zumpt. L. Gr. p. 356 not., secundum exemplorum, quae supra attulimus, analogiam haec nostra verba orator, quae procul dubio sic voluit pronuntiare *et id est signum*, videtur immutasse sic, ut pronomini adderet genitivum. — Cf. in Verr. III, c. 46. §. 109. *Hoc caussae est, iudices, quod in agro Leontino praeter unam Mnasistrati familiam glebam Leontinorum possidet nemo.* — Pro Rosc. Am. §. 91.

§. 83. *quod non prosequar longius*] Cod. Ursin. *persequar.* Vulgatam recte tuetur Orellius: „*Prosequi*, quasi comitari, melius convenit verbis §. 91. *leviter transire ac tantummodo perstringere.*“

§. 85. *quam implicatus ad severitatem videbatur*] *Implicatum* dixit, quasi severitate praepeditum, quo minus libere ac facile misericordia uteretur. Nonnulli autem *inclinatus* reposuerunt, quod mei libri manuscripti repudiant videturque a Ciceronis consuetudine paullo alienius. *Hotom.* Nihil mutandum et recta lectio est; opponitur enim hoc *implicatus ad severitatem*, id est, quasi per vim inflexus, illi superiori *propensus ad misericordiam. Lambin.* Nihil variant MSS. nostri. Manutii legunt *inclinatus.* Gulielmius coniiciebat *impacatus. Gruter.* Mallem ego, si quis coniecturae locus,

implacatus ad severitatem legi; ut *implacatus* sit, qui non potest placari, implacabilis. Virgil. Aen. III, v. 420.

Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet.

Implicatus ad severitatem quid sit, nullus Quiritium, si cui detur redire in dias luminis auras, intellexerit. *Graev.* Itane vero? Quis porro Quiritium illud concoqueret natura *implicatus ad severitatem?* Iam vero si scriptum esset *implicatus severitate*, nemo vituperaret, opinor; ferri etiam posset *severitati.* De vi loquutionis vide interpretes ad Virgil. Aen. I, 660 et Drakenborch. ad Liv. VII, 23. Dicimus implicari morbo, qui arcte nos habet interiusque pervadit. Quidni natura Cassium ita severitati prope admiscuerit? Eritne invenusta translatio? Dicitur amicus benevolentia implicatus, qui eam non facile abiecerit. Cic. ad Div. VI, 12. Similiter Cassius severitatem non videbatur excutere posse. Quod etiam de morbo, dum urget, dicas profecto licet. At Livius XXXIII, 30. *Q. Mucium non tam in periculosum quam longum morbum implicitum* dixit, cui praeiverat Cornelius Nepos in Agesilao cap. 8 et in Cimone cap. 3. Rectum ergo illo sensu hic esset *implicatus in severitatem.* Cur non igitur etiam *ad severitatem!* Cur omnibus MSis obloquemur? Reponi facile posset *in* atque *ad* vitio repetitum ex superiori atque huic opposita locatione dici posset. Sed quid eo est opus? Si quidem Latini sermonis analogia praepositionem *ad* ferre videtur. Nonne dicimus *palo* et *ad palum alligare!* Sic alia sexcenta, si dativus hic non displiceat; qui a Virgilio l. c. videtur adhibitus, dum ait: *ossibus implicat ignem.* Plura dici possent, verum nimius esse nolo. *Garaton.* Librorum omnium scripturam *implicatus ad severitatem* haud mirere plurimis tentatam esse virorum doctorum coniecturis, quippe quae non solum sit inusitata atque adeo insolens, verum etiam sensu idoneo prorsus destituta. Accedit, quod exemplis eam aliunde petitis confirmare frustra laborabis. Verumtamen ex eo minime illud consectarium esse debet, eam esse depravatam; etenim sententiam ubi potueris elicere commodam, sanam eam esse omnes fatebuntur. Garatonius igitur interpretum impugnationi reluctatus est acerrime;

at qua tandem ratione? — Si scriptum esset *implicatus severitate*, nemo vituperaret, opinor. — Quid? qui ab librariis corruptus esse non videtur locus, eum iam depravari concedimus ab Tullii interprete clarissimo? Recte dicunt Latini *implicari aliqua re* et *alicui rei;* sed tamen inter utramque structuram quid sit discriminis, Garatonius noluit observare. Cf. Cic. in Verr. V, c. 58. §. 150. *num ego tibi ullam salutem, ullum perfugium putem, quum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia populi Romani esse videam?* Quid igitur? num verba *implicatus severitate iud.* accipienda esse pro *inclinatus ad iud. severitatem* arbitrabere? Manifestum est, ablativo nonnisi rem describi, qua quis vel constringitur vel allicitur vel perturbatur. Vides igitur, verbis, quae l. l. optimum habent explicatum, nostram omnino corruptum iri sententiam. Cf. praeterea Cic. in Verr. II, c. 18. §. 44. *ipse te impedies, ipse tu tua defensione implicabere.* Ad Fam. VI, 12. §. 2. *Etenim omnes Caesaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et benevolentia sic, ut — me habeant proximum.* — Dativum verbo *implicari* addunt Latini, ubi quis in rem aliquam quasi immittitur, ita ut in ea fere haereat atque teneatur. Cf. Virgil. Aen. I, v. 660:

Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.

i. e. ossibus ignis implicetur ita, ut in iis quasi haereat et reginam penitus pervadat. Cic. Tusc. IV, c. 27. §. 58. *Itaque bene adhibita ratio cernit, quid optimum sit; neglecta multis implicatur erroribus.* Quae quum ita sint, profecto Garatonium non oppugnassemus, ubi hoc solum proposuisset *implicatus severitati;* quamquam non probandum videtur. Quid est enim *natura admisceri et consecrari severitati?* Recte dicunt Latini *fingi a natura* vel *comparari ad severitatem; implicari severitati* non item. Sed tamen suum cuique sit iudicium. — Quid igitur est? num coniectura locum vexabimus? Minime. En! aures, bone lector, praebe patientes. Videtur animus ad vim verbi *implicare* genuinam esse attendendus. Etenim *explicare* quum significet *rugas removere*, certe *implicare* rem describit contrariam h. e. *rugas contrahere* et *excitare;* nos dicimus *ausfalten* et *ein-*

falten i. e. *in Falten legen.* Cf. Nonius p. 123. ed. Lips. s. v. *Implicare positum pro ornare. Afranius Brundisio: In parte inferiore hic implicabatur caput;* h. e. passi capilli implicabantur ita, ut iam cincinni exorirentur. Quo factum ut explicare frontem dicerent Latini pro *rugas in fronte contractas remittere.* Cf. Horat. Carm. III, 29. v. 16.

Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

Cf. Donat. ad Terent. Adelph. V, 3, 53. — Unde consequatur necesse est, etiam *implicare frontem* sanae minime repugnare rationi. Neque *explicare aliquem* pro *alicuius frontem* foret insulsum neque *implicare aliquem* pro *severum reddere et morosum.* Sed tamen translatam tantum significationem iis verbis indiderunt scriptores. id quod inter omnes satis constat. Cf. Cic. in Verr. V, c. 58. §. 151. Si *mehercule — ex his laqueis te exueris ac te aliqua via ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est* etc. — Liv. Epit. 49. — Liv. XXVII. c. 43. *Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coëgit, edocuerunt, litteras se ab Hasdrubale ad Hannibalem ferre.* Quid? quod translate dixerunt Romani ita, ut *implicare aliquem* accipi voluerint pro *rugas* i. e. *officia, labores, difficultates alicui movere*, id vi propria atque genuina hoc loco iuvenem Ciceronem usurpare potuisse negabimus? Non equidem nego. *Implicatus* igitur hoc loco vocatur, in cuius fronte rugae sunt contractae; eaedem autem non solum senectutem indicant, verum etiam severitatem. Cf. Plin. Epp. II, 5. *Ego tamen, qui a te hanc severitatem exigo, cogor id, quod diversum est, postulare, ut in plerisque frontem remittas.* Cic. ad Fam. IX, 10. §. 2. Quid ergo? *tu adeo mihi excussam veterem severitatem putas, ut nec in foro* (cf. Annot. ad §. 130.) *reliquiae frontis pristinae appareant*, h. e. rugae. Quod quum ita sit, hanc participis interpretationem satis esse probabilem existimamus, praesertim quum sequantur verba *ad severitatem* h. e. quod attinet ad severitatem. Cf. Ammian. Marc. XXVI, c. 6. *Pro-*

copius —. *per artus tremore diffuso implicatior ad loquendum diu tacitus stetit*; i. e. ita perturbatus tremore, ut loqui non posset. Eadem autem verba *ad sev.* faciunt, ut oratorem hac insolita vocis significatione de industria hoc loco uti voluisse coniiciamus. —

§. 85. *Et ab innocentia clementissimus*] Id est, in caussa innocentium vel ex ea parte, qua innocentiam perspicit. Similis locus lib. de Orat. I, c. 13. §. 55. *Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit a me.* Et Tuscul. II, c. 3. §. 7. *Quid enim dicant et quid sentiant hi, qui sunt ab ea disciplina, nemo ignorat.* Sic in Bruto c. 79. §. 273. *Stare a senatu et a bonorum caussa*, quod Graeci dicerent πρὸς συγκλήτου. *Hotom. Ab innocentia clementissimus* est propter vitae sanctitatem et integritatem clementissimus. Exempla quae affert Hotomanus, non faciunt ad hoc loquendi genus. Sed *ab innocentia clemens* dicitur, ut *imparatus a militibus et pecunia* in lib. VII. ad Attic. ep. 15. Et in V ad Attic. ep. 18. *exercitus copiosus a frumento.* Et apud Liv. V, c. 45. *a secundis rebus incauti. Graev.* Ego sto ab Hotomano, primum quia nemo est clemens in alios, quia ipse integer; deinde quia membrum hoc debet opponi alteri *contra audaciam fortissimus*, igitur *ergo innocentiam clementissimus. Facciol.* Vellem hanc loquendi formam exemplis Facciolatus probasset, quod nec Hottomannus potuit. Graevius contra elegantem Livio Tullioque dignam loquutionem sequutus est. Praeterea partem integritatis clementiam esse posse, quis negaverit? Nimirum Fannii huius probitati non ea, quae olim Cassio defuit, clementiae laus deerat. Eo, quem Hott. amat, sensu videtur Cicero fuisse dicturus *in innocentia*, ut Epist. ad Div. III, 8. *quod in te bene merito grati essent.* Nisi forte aurium caussa pro *in* posuit *ab.* Videntur enim boni auctores aliquando *in* et *ad*, *in* et *ab* promiscue adhibuisse. *Garaton.* Hotomani interpretationem comprobarunt praeter Facciolatum Ernestius, Matthiaeus, Steinmetzius, quibus nos quoque accedimus. Hariolari videtur Garatonius, qui Hotomanum rem suam exemplis non confirmasse dixerit. Neque hoc suum, opinor, fecisset iudicium, si voluisset eius sententiam exami-

nare accuratius. Etenim hoc facile largiamur viro docto, Latinos non dixisse *clemens ab aliquo* pro *erga aliq.* vel *in aliquo* cf. Heusing. et Beier. ad Cic. de Offic. II, c. 18. §. 62. Drakenb. ad Liv. XXVIII, c. 43, 8. Wagner. ad Virgil. Aen. II, v. 541. Sed tamen nostro loco verba *ab innocentia clement.* tam arcte non sunt coniungenda, quam fecit Garatonius. Nam sibi opponuntur nonnisi *contra aud.* et *ab innoc.* ita, ut hoc fere dicat orator: Cum facinorosum hominem in iudicium vocatum esse videret, fortissimus erat; contra ubi innocentem esse aliquem intelligebat, ab eius partibus ita stetit, ut esset sane clementissimus.

Cap. XXXI. §. 86. *Sed eo perspicuum crimen et suspicionem*] Hoc quid sit, non intelligo. Mihi corrigendum videtur *sed et perspicuum;* et sensus est planissimus. Potius crimen adiungerent ad praedam, quam egestatem. *Hotom.* *Sed eo perspicuo crimen*] Assentior Cl. Puteano, qui ita legendum censet. Nam vulgati habebant *sed eo perspicuum crimen et suspicionem.* Passeratius mavult legi *sed adeo perspicuum crimen* etc. quod non probo. Hotomanus autem, quem olim sequutus eram: *sed et perspicuum crimen et suspicionem* etc., quae lectio ob eam caussam maxime nunc a me reiicitur, quod, ut recte iudicat Cl. Puteanus, oratio crescere debet, non contra. At in hac lectione, quam probat Hotomanus, oratio decrescit. Plus est enim crimen perspicuum, quod priore loco ponitur, quam suspicio, quae vox posterius sequitur. *Lambin.* Cum tam editi quam scripti libri hic nulla varietatis vestigia prae se ferant, non recedendum a vulgata scriptura, cuius haec est sententia: Quoniam viderent illos Roscios amplissima bona possidere, hunc in summa paupertate vivere, ideo perspicuum crimen caedis Sextianae et suspicionem, qui illam caedem commiserit, adiungerent potius ad praedam, quam ad egestatem, hoc est, illos potius huius caedis suspectos haberent, qui huius bona invaserunt et rapuerunt, quam qui amissis bonis est pauperrimus. *Eo* hic est ideo, ut apud Plautum in Bacchidibus II, 3, v. 64:

Non me fefellit, sensi; eo exanimatus fui.

Paullo post: (v. 84 sqq. — *nec mihi credere*

Nec cuiquam in navi voluit; eo ego nescio
Quantulum attulerit.

Cic. in ep. *eo non pluribus ad te scripsi.* Et sic saepe. *Graev.* Hotomani coniecturam optime refutavit vir sagacissimus, Ernestius, qui *perspicuum crimen* cum suspicione minime consentire docuit. Etenim crimen quum primum perspicuum est, quod in aliquem intenditur, suspicio tollitur nec est amplius suspicio, sed res certa. Haec ille. Cf. Annot. ad §. 83, ubi Lambinum eadem adductum esse docuimus argumentatione, ut pro *certum crimen* reponi vellet *incertum.* Quae quidem cogitandi perversitas, quae minime Ciceroni est imputanda, non removetur durissima illa Graevii explicatione *eo* pro *ideo* accipientis. Sed tamen hodie inventi sunt, qui oratorem mallent perverse loqui, quam verba corrupta esse concedere. Namque Wernsdorfius, Steinmetzius difficultatis ab Ernestio excitatae plane immemores comprobarunt Graevii sententiam atque voculae *eo* significationem his illustrarunt exemplis: Cic. de Divin. II, c. 20. §. 46. *Frater es; eo vereor.* ad Fam. VI, 20. §. 1. *Dedi triduo ante — litteras ad te; eo nunc ero brevior.* pro Quint. c. 2. §. 5. *Non eo dico, C. Aquilli.* Liv. XXIII, c. 9. *eo custodias hostium tollebant.* — Quibus adde Cic. in Verr. III, c. 23. §. 63. *Re quidem vera nemo in Sicilia dubitat quin eo sit occisus, quod habere clausa non potuerit sua consilia de Verre.* Tuscul. I, c. 7. §. 13. *Immo, quia non sunt, quam fuerint, eo miseros esse.* Beckius contra et Schellerus (Observatt. p. 44.) Hotomano adstipulantur verba *persp. crim.* sic defendentes, ut perspicuum crimen tum dici contendant, quando factum revera esse negari nequeat; crimen enim posse perspicuum esse, nec tamen certum, quis facti auctor sit. Eodem igitur errore ducuntur, quo item lapsum esse videmus Graevium, quum *persp. crim.* de caede Sextiana, utpote quae revera facta sit, intelligi voluerit. Falsa pro veris, ut saepe, venditant interpretes; crimen enim unumquodque, sive perspicuum est, sive latet, certe factum debet esse. Pone autem, factum hoc crimen, h. e. caedem Sexti Roscii, iudices Cassianos adiungere ad praedam; quid tandem est, cur

item eiusdem caedis suspicionem eo referant? Multa sunt falsa; sed tamen hoc perversius vix cogitari quidquam potest. Cf. Annot. ad §. 83. Beckius praeterea emendationem excogitavit hanc: *sed perspicuum crimen potius ad pr.* etc. Nil moror. Restat, ut de egregia Puteani coniectura *eo perspicuo* disputemus, quae Matthiaeo ita placuit, ut eam in verborum ordinem reciperet. Quam dicendi rationem tametsi Wernsdorfius monet ex loquendi usu minime posse defendi, tamen, quum dixerint Latini *eo duce*, *eo auctore*, (cf. supra §. 6. *hoc incolumi* Ovid. Met. VI, 72. Bis sex coelestes, medio Jove, sedibus altis Augusta gravitate sedent.), cur non item *eo perspicuo* dicere potuerint, non assequor. Verumtamen illud impedit, quo minus probem eam, quod sententiae repetitio, quum iam supra legantur haec: *in hac enim caussa quum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse* non satis apta videatur esse atque consentanea. Quid igitur est? Rem iudicamus sic esse expediendam. Cicero posteaquam iudicum Cassianorum depinxit consuetudinem in iudiciis factitandis conspicuam, argumentationem sic fere concludit, ut eosdem asseveret, ubi huic iudicio praeessent, extemplo esse iudicaturos, Roscios, utpote qui bona possiderent, maleficium admisisse. Quod eosdem iudices sic demum facere potuisse manifestum est, ut ex suspicione satis firma crimen ipsum colligerent et hanc suspicionem veluti perspicuum crimen, in Roscios transferrent. Quod quum ita sit, locum emendo sic: *sed, reor, ut perspicuum crimen, suspicionem* etc. Cf. Cic. Tuscul. I, c. 39. §. 94. *Eorum autem, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur; cur? nam, reor, non ullis, si vita longior daretur, posset esse iucundior.* Etenim in libris MSS. quum scripturae diversitas conspicua haec sit, ut pro *eo* Cod. Oxon. T. *ei* exhibeat, et cod. Guelph. *ego*, in hac voce quaerenda esse videtur corruptela. Nos ex *reor* ortam esse suspicamur. Temporis enim iniquitate quum nonnullae litterae exstinctae essent in cod. vetustissimo, ita ut nonnisi haec apparerent vestigia *eo t persp.*, librarii, posteaquam ex *t* voculam *et* consarcinarunt, asyndeton *perspicuum crimen suspicionem* optime sibi visi sunt removisse particula *et* illata. —

§. 86. *num quaerenda, quae — adduxerint?*] Sic ex codd. dedimus. Vulg. *num quaerenda caussa, quae — adduxerit?* Pessime autem a librario inculcata est vox *caussa*, id quod sequentia *quid ergo h o r u m* optime testificantur. Sequitur, ut de altera dicamus corruptela, quam hucusque his verbis inesse passi sunt interpretes; dico enim *adduxerint* subiunctivum, quem librarii propter subditiciam vocem *caussa* in *adduxerit* commutarunt. Nos ex codd. Oxonn. C. S. ψ. restituimus genuinam formam *adduxerunt;* cod. Ox. T. praebet *adduxerint*, unde verissime potest colligi, quam loci corrumpendi viam librarii sint ingressi. Manifestum autem est, pronomen *quae* non esse interrogativum, sed relativum, unde optime intelligitur, indicativi quae sit ratio. Quae quo luculentius perspiciatur, de pronomine relativo dicendum est paullo uberius. Vim vero relativi ac proprietatem docti homines hodie investigarunt sane quam sagaciter; namque eo ubique sententiam circumscribi viderunt, quae vel adiectivo vel participio commode possit exprimi. Quod quum ita sit, iidem nolunt amplius relativum commate seiungere ab antecedentibus. Jam vero in propatulo est, qui factum, ut in enuntiationibus, quibus accusativum iunxerunt cum infinitivo, scriptores saepenumero post relativum uterentur indicativo; cf. annot. ad c. 2. §. 7. Eadem pronominis explicatio etiamtum est tenenda, ubi substantivum circumscribi videtur; ubique enim pronomen *id* aut additum est aut certe animo addendum. cf. §. 44. *quod consuetudine patres faciunt, id — reprehendis*, i. e. rem a patribus consuetudine factam reprehendis. A quibus locis minime discrepant alii, quibus substantivum eidem enuntiationi pronomine relativo inchoatae est insertum. cf. pro Milon. c. 1. §. 2. *quem reum sententiis iudicum tradidisset, eumdem telis militum dedere* i. e. reum sententiis iud. traditum telis — dedere. pro Leg. Manil. c. 21. §. 62. Quas enuntiationes tum post interrogandi particulas tum in oratione obliqua poni posse, et ita quidem, ut indicativus usurpetur, ubi relativo res non cogitationi obnoxia, sed quae revera est aut fit aut facta est, significetur, per se intelligitur facillime; itaque recte dices: *tune negligis, qui te amat?* i. e. tui aman-

tem. Eadem ratione nostro loco: *num quaerenda, quae te — adduxerunt?* i. e. res ad tantum facinus te cohortatae? En! vide, nos iam enucleasse omnes verbis hisce: *quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus?* cff. §. 83. *quaeramus ibi, maleficium ubi et est et inveniri potest.* Cic. Agrar. III, c. 4. §. 15. *Et quoniam, qua de caussa et quorum caussa ille hoc promulgavit, ostendi,* i. e. et caussam promulgationis et homines eadem promulgatione petitos. Cic. de Senect. c. 6. §. 18. *At senatui, quae sunt gerenda, praescribo et quomodo;* i. e. et res gerendas et rerum gerendarum rationem. Plaut. Aul. I, 1, 24. *Nimis ego hanc metuo, ne persentiscat, aurum ubi est absconditum,* i. e. auri latebras. Sallust. B. Catil. 20, 5. *Sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea diversi audistis.* Jam adde Cic. Verr. II, c. 53. §. 131. *Jam vero censores quemadmodum — creati sunt, operae praetium est cognoscere,* i. e. cognoscere modum, ad quem creati sunt. Agrar. I, c. 1. §. 3. — de Offic. I, c. 7. §. 23. *tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta.* Quae tametsi posses explicari verba, ut diceres, id ipsum laborasse Stoicos, ut fontem patefacerent; quem si habuissent, non exquisissent amplius; tamen nobiscum intellige locum sic: qui repetunt verba inde, unde revera sunt ducta; repone igitur librorum scripturam *sunt ducta.* Neque ad indicativum exstirpandum alter facit locus apud Cic. de Nat. Deor. II, c. 6. §. 18. *animum denique illum spirabilem si quis quaerat, unde habemus, apparet,* propterea quod animi illius fons non longe est quaerendus; addit enim Tullius: *quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab humore* etc. —

A quibus exemplis separatim sunt tractandi loci, quibus post pronomen interrogativum etiam in oratione obliqua reperitur indicativus; quos ne macula existimes esse aspersos, haec velim nobiscum ponderato. Pone modo, in convivio te et videre et audire hominem aliquem loquentem, cuius neque nomen teneas neque locum, unde oriundus. Quaeret ex te quispiam, loquens ille quis tandem sit et unde natus. Respondebis: *nescio,*

quis loquitur. Quod si responderes: *nescio*, *quis loquatur*, profecto te audire aliquem significares loquentem, sed ita tamen, ut neque conspiceres eum neque scires, ubi esset aut sederet. Quod quum ita sit, quam proposuimus enuntiationem nihil continere apparet, nisi duo membra in unum contracta; exponenda enim verba sunt sic: *nescio*, *quis ille sit*, *qui loquitur.* Jam velim cff. Cic. de Finib. II, c. 5. §. 15. *Et tamen vide*, *ne*, *si ego non intelligam*, *quid Epicurus loquitur*, *quum Graece*, *ut videor*, *luculenter sciam*, *sit aliqua culpa eius*, *qui ita loquatur*, *ut non intelligatur*, i. e. quid et quale sit illud, quod loquitur. Vid. Goer. ad h. l. et Busch. Actt. DD. Scholl. a. 1828, p. 693. Cic. ad Attic. XIV, 13. §. 2. *quid nobis faciendum est*, *ignoro.* pro Milon. c. 18. §. 47. *Videte*, *iudices*, *quantae res his testimoniis sunt confectae.* Vid. Garat. — Plaut. Aul. II, 2. §. 52. *Scio*, *quid dictura es.* Plura attulit Ramsh. Gr. L. §. 174, II, Not. 3, a. pag. 712 sqq. Ed. II. — De locis, qualis est, quem legimus infra pro Rosc. Amer. c. 43. §. 125. *primum hoc videamus: eius bona qua ratione venierunt?* non est, quod plura disseramus. Vid. Ramsh. l. l. Prius autem quam huic disquisitioni finem imponamus, dicendum est de Graecorum dicendi consuetudine, quam vocant attractionem Grammatici. Etenim si certum est, ubique enuntiatione relativo inchoata vel adiectivum vel participium circumscribi, profecto his verbis apud Thucyd. VII, c. 21. *ἄγων ἀπὸ τῶν πόλεων ὧν ἔπεισε στρατιάν* nihil aliud declarari manifestum est nisi *ἄγων ἀπὸ τῶν πόλεων τῶν πεισθεισῶν παρ' αὐτοῦ στρατιάν;* cf. Plat. Gorg. p. 457, *Νῦν ἐμοὶ δοκεῖς σὺ οὐ πάνυ ἀκόλουθα λέγειν οὐδὲ σύμφωνα οἷς τὸ πρῶτον ἔλεγες* i. e. *τοῖς τὸ πρῶτον λεγομένοις.* cf. Matth. Gr. Gr. §. 473. Quod quum ita se habeat, optime potest intelligi, qui factum sit, ut ante relativum in his enuntiationibus admodum raro additum sit demonstrativum. —

§. 86. *atque eo magis eluceat*, *quo magis occultatur*] Pro *eluceat* Heumannus reponi iussit *elucet.* Non probo; manifestum enim, his verbis describi hominis tenuitatem, id quod ex prioribus *eiusmodi* — *ut* luculenter apparet; inde consectarium est, verba nostra neces-

sario dependere a praecedente *ut* particula. Illud mallem vir doctissimus observasset, totam sententiam, ubi *occultetur* legeremus, multo fore aptiorem. Quod si fides habenda codicibus, certe in eo a vero aberrasse censendus est orator, quod, quum haec verba eadem cogitatione atque priora *atque — eluceat*, contineantur, indicativum, quem vocant, praetulerit.

§. 87. *Avaritiam praefers*] *Praefers*, id est, prae te fers; aut legendum *prae te fers. Lambin. Prae te fers* est in manuscripto, et ita videtur melius. *Ursin.* Inusitata est Ciceroni structura *praeferre* pro *prae se ferre*, sed codd. est obtemperandum. cf. ad Fam. X, 8, §. 8. *ut, quum praeferremus sensus aperte etc.* Vid. Wunder. ad Cic. Orat. pro Planc. p. LI et p. 192. —

§. 88. *verum etiam urbem reformidarit*] Vulg. *reformidet.* Quid? Sextum Roscium, quem in subselliis videmus sedentem, num urbem reformidare concedimus? Cf. §. 13. *qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum praesidio venit, ne hic ibidem — trucidetur.* §. 26. *Quod hic simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit.* §. 147. *nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides.* Dicet fortasse quispiam, oratorem scripsisse *reformidet* iccirco, ut summum Sexti timorem animo natura insitum describeret; idque vel ex sequentibus luculenter apparere, ubi etiam Titum Roscium dixerit esse audacissimum. At vide priora: *restat, ut hoc dubitemus, uter — occiderit* etc. Ex quibus manifestum est, hoc oratorem esse pronuntiaturum, Sextum Roscium, qui animo semper fuerit timidissimo, patrem in urbe interfectum non potuisse occidere, propterea quod semper non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidarit. Vide, quae antecedunt, *qui semper ita vixerit. —* Accedit, quod quinque codd. Oxonn. exhibent *reformidat.* Quod si tecum reputaris, librarios plerumque per compendium solitos esse scribere *amāt* pro *amarit*, *ostendētis* pro *ostenderitis* (cf. Ernest. ad §. 12.) etc., concedendum erit, hanc codd. Oxonn. scripturam, quam totius loci sententia non solum comprobat, sed etiam necessario flagitat, pro *reformidarit* esse accipiendam. Etenim *reformidet* vel inde ortum, quod librarii scripturam *refor-*

midăt in codd. Oxonn. religiose servatam corruptam esse opinati sunt pro indicativo eam accipientes. — Eadem ratione apud Vet. Scholiastam ad §. 109 *venerit, induxerit* restituo, id quod vel ex sequente *permiserit* luce clarius est. —

§. 88. *utrum inimicus potius an filius*] Ed. SS. *uter, inimicus*. Sane initio huius periodi legitur *uter potius*, nec ab ea loquendi forma, qua coeptum sit, recedendum aliquis existimabit. Ego nihil puto interesse. *Garat.* Scripturam *uter, inim.* non comprobo. —

Cap. XXXII. §. 89. *in gregem annumerer*] Quattuor MSS. *in gregem annumerer. Grut.* Quod est fortasse amplectendum. MSi enim litteram finalem *m* facilius omittunt, quam addunt. Probe Latinum hoc est, licet insolens et hoc etiam loco gratius auribus meis accidit. Vide ad Orat. pro Quint. c. 30. Sic edebatur Philipp. XI, c. 1. *in beneficii partem numeretur*, quod tamen ex suis MSis Ferratius mutavit. Sed ibi de hoc videbimus. Ut rem accurate cognoscam, plurium sane codicum subsidia desidero. Nunc ita iis, qui habent *in gregem* ego faveo, ut lectionem alteram tamen Latinitate non interdicam, quod fecit Heinsius. Vide Indicem V. C. Ernesti. *Garat.* cf. Heins. ad Ovid. Her. XVI, v. 328. Equidem facio cum Garatonio; recepi igitur *in gregem*, quamquam *in grege* non esse Latinum minime contendam. cf. Ovid. Epist. ex Pont. V, 4. v. 20. *Se quoque in exemplis annumerare solet.* —

§. 89. *Te pugna Cannensis*] Aemilius Paullus, Terentius Varro Coss. victi sunt ab Hannibale memorabili proelio ad Cannas commisso. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti Equites et tanta prope civium sociorumque pars caesi dicuntur. In his consul Aemilius, quaestores duo, XXI tribuni mil., consulares quidam, praetoriique et aedilitii. Haec ex Polybii lib. III, c. 116 seqq. et Liv. lib. XXII, c. 49. Ergo haec ἀλληγορικῶς a Tullio dicuntur et significant maximam eorum caedem esse factam, qui accusare consueverant. Nam ut postea demonstrat, proscriptione Sullana, qui civium bona diripiebant, accusatores etiam sustulerunt, ne ab iis postea in iudicium vocarentur. Et magnum interfectorum numerum fuisse, quum eam caedem cum

clade Cannensi comparat. Sensus est igitur: ego, quia multi patroni appellantur, fortasse ni eorum grege annumerabor; tibi, quia accusatores praeter te nulli sunt, fortasse hoc nomen imponetur et sat bonus accusator esse videbere. Haec quum iampridem scripsissem, postea in Arnobii quinto adversus gentes locum hunc observavi: *Numquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem potest? aut pugna illa Cannensis proscriptio fieri crudelitasque Sullana? potest quidem proscriptio, (quemadmodum Tullius ludit,) pugna dici appellarique Cannensis. Hotom.* Cum caede Cannensi orator comparat caedem Marianorum a Sullanis factam. Cur? Alii putant, quia maxima ea caedes fuerit. Menardus, quod cladis Cannensis commemoratio Cinnani exercitus internecionem audientium animis offerat, quasi ludus quidam sit in verbis *Cannensis* et *Cinnanensis.* Ego quoque mihi videor excogitasse aliquid non abs re. Existimo enim, pugnae Cannensis mentionem fieri non ob ipsam pugnam, sed ob ea, quae pugnam consequuta sunt. Quemadmodum enim post illam pugnam coactus est Romanus etiam praetextatos armare atque adeo servos ipsos inopia liberorum capitum, ut narrat Livius XXII. c. 57, ita etiam post Sullanam stragem vel inepti homines coeperunt accusare, atque inopia bonorum videri boni. Itaque non tu, Eruci, bonus accusator es, inquit Tullius, sed bonum te facit pugna illa Cannensis, quae bonos sustulit. *Facciol.* Hotomani explicationem silentio praetermittere noluimus, propterea quod omnium longe verissima est. Facciolatus autem, licet rem studuerit expedire sagacissime, illud non videtur tetigisse, in quo totius rei quasi cardo vertitur. Maxime autem iis impositum est viris doctis, qui Arnobii ab Hotomano laudati auctoritatem sequuti in eo hodie existiment acquiescendum esse, nonnisi crudelissimam iussu Sullae factam proscriptionem appellari *pugnam Cannensem*, quod utrobique plurimi ceciderint. cf. Matth. ad h. l. — Quid igitur est? cladesne intelligenda et Sullanorum et Marianorum? accusatoremne sat bonum fecit Erucium utrorumque interitus? Quid, quaeso, si non perversius, certe ieiunius excogitari potest, quam hanc utrorumque cladem effecisse illud, ut Erucius iam in bonis haberetur accusa-

toribus? — At in accusatores turbulentis illis tempestatibus vel maxime saevitum ab sectoribus est, ut sectores ipsi ab iis ne posthac in iudicium vocarentur. Quo factum, ut bonis accusatoribus interfectis iam pessimi quique in bonorum numero referrentur. — Audio; nunc demum profertur, quod pondere est ac momento. Quod si concedendum est, id quod lubentissime concedimus (cf. §. 91. *a quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta.*), certe illud manifestum debet esse, oratoris verbis tum demum vim additum iri atque aculeos, ubi non ad omnes illo tempore occisos retuleris verba *pugn. Cann.*, sed ad solos accusatores ad internecionem deletos; id quod Hotomanum fecisse mirifice laetamur. Oratorem autem nonnisi de accusatorum strage cogitasse, certissimis ad liquidum poterit perduci argumentis. Etenim quum hoc supra proposuerit, sese ipsum forsitan esse mediocrem patronum propter patronorum multitudinem, consectarium est, Erucium sat bonum videri accusatorem propter inopiam eorum atque paucitatem. Unde item consequitur, verbis *Cann. pugn.* nonnisi accusatorum significari cladem. Quod quum nimis obscure dictum esse Tullius videret, callide haec addidit: *multos caesos non ad Trasimenum, sed ad Servilium lacum vidimus.* Quibus patefieri voluit, ingentem eorum cladem tum factam esse, quum tota urbs sanguine maderet. cf. Senec. de provid. c. 3. p. 237. ed. Hal. *videant largum in foro sanguinem et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est) senatorum capita et passim vagantes per urbem percussorum greges et multa millia civium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem, trucidata.* — Jul. Firmicus Maternus Mathes. l. 1. *Visne aliquid tibi, quia in Sullanis temporibus versamur, de lacu Servilio referam? in quo multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris sectis cervicibus pependerunt.* Quos locos video Hotomanum attulisse. — Addo praeterea vel maximum argumentum hoc, quod, si velimus Cannens. pugnam de omnium proscriptorum morte intelligi, etiam multos illos ad Servilium lacum occisos proscriptorum numero annumeremus necesse est. At vides, in sequentibus non-

nisi accusatores commemorari, qui mortem occubuerint. Verba praeterea *multos* — *vidimus* documento sunt, in proverbium fere abisse illam pugnam Cannensem; nam si revera accusatorum stragem cum illa pugna hoc loco comparare orator voluisset, inepta profecto esset lacus Trasimeni mentio. Quae sententia egregie confirmatur exemplo, quod legimus apud Cic. in Verr. V, c. 11. §. 28. *ut — plerique fusi sine mente ac sine ullo sensu iacerent, quivis ut, quum adspexisset, non se praetoris convivium sed ut Cannensem pugnam nequitiae videre arbitraretur.* Unde apparet, verba nostra vel sic potuisse Tullium exprimere: *te ingens clades accus.* et q. s. Quae si revera exarata videremus, omnes in oratorem, opinor, propter summam obscuritatem inveherentur; uti nunc leguntur, nemo reprehendit. Verum enimvero ubi *pugna Cann.* proverbii instar est accipienda, etiam illud addatur est necesse, quibusnam sit illata clades. Quod quum ita sit, locum sine ulla restituo haesitatione sic: *te pugna Cannensis accusatorum sat bonum fecit.* Vides autem, hac coniectura nubem etiam illam densissimam, quae hucusque obiecta erat oratoris verbis, esse dissipatam. —

§. 90. *Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?*] Verba haec esse Ennii, nos docuit vetus Scholiastes. Versum ut refingeret, Osannius veteris Scholiastae vestigiis inhaerens hanc proposuit coniecturam: *quis ibi non vulneratu'st ferro Brǔgio?* Rem quibus fulserit argumentis, ignoro. Beckius voculam *ibi* typis ita excudendam curavit, ut manifestum sit, eumdem non ab Ennio, sed ab Cicerone potius ipso eam esse profectam statuisse. Verba *quis non est vulneratus ferro Phrygio* utrum pro versiculo habuerit, necne, incertum relinquimus; nolumus enim in virum optime de litteris meritum vehementius invehi. Matthiaeus sic disserit: „si versus est, legendum certe: — — — *quis ibi non vulneratus est Ferro Phrygio?* ut ante priorem desint ad senarium explendum duo pedes.“ — Nihil equidem mutandum esse censeo, quum versus sit procul dubio tetrameter trochaicus catalecticus vel etiam acatalectus, quem finis deficit:

Quis ibi non est vúlneratus férro Phrygio? _ ⏑ _ (⏑)

Ceterum quid orator illo *ferro Phrygio* voluerit significare, nondum ab interpretibus ita est explanatum, ut omnis diremta videri debeat controversia. Hotomanus de servorum Phrygum gladiis vult intelligi, propterea quod ex Phrygia venales novitii plurimum adducerentur. Contra Facciolatus *ferrum Phrygium* ab oratore commemoratum esse opinatur vel ea de caussa, ut mores Sullae notarentur; Phryges quippe impuri et flagitiosi. Cuius tametsi interpretationem nolumus non ingeniosam esse concedere, tamen admitti minime potest. Etenim orator, ubi Phrygium nomen Romae revera tam famosum erat, ut morum pravitas extemplo inde innotesceret, Phrygum certe mentionem non fecisset, quum Sulla ex Asia minore redux factus adhuc in vivis esset. Contra si nominis illa ignominia non in ore omnium ita erat, ut intelligi statim posset, in quem haec vellet orator convenire, profecto iusto obscurius loquutus esset. Hotomani explicatio aliquanto videtur esse probabilior. Sectores enim quum videamus crudelissime saevisse in accusatores, hos potuit orator indicare ita, ut eorum pravitatis imaginem peteret a servorum Phrygum nequitia. Verum tamen ne eam quidem velim comprobari propter nimiam obscuritatem, quae in eiusmodi rebus oratori evitanda est vel maxime. Equidem nomen Phrygium plane nullius esse momenti censeo. Namque oratori quum in mentem venisset lacus Trasimeni, ubi nefandissima quaeque admissa esse constabat maleficia, sententiam supra propositam *multos caesos vidimus* aliqua ex parte studuit amplificare. Quod potuit vel sic optime efficere: *quem vidimus ibi non esse vulneratum?* i. e. ad Lacum Trasimenum non modo multos vidimus caesos, verum ibidem etiam tot ac tanta edita sunt crudelitatis specimina, ut fere nemo non queat dici vulneratus. Hoc igitur pronuntiaturo Tullio in mentem venit Ennianum illud: *Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?* —

§. 90. *Curtios Marios*] Ignoti accusatores, quod mirum, quum Cic. in Bruto oratores Romanos diligentissime enumeraverit. Sed fortasse pro *Curtios*, *Marios* leg. *Curiones, Varios*, quos Brut. c. 49. (§. 182.) cum Antistio numerat. C. Curio *illustris orator* memoratur

etiam Brut. c. 29. (§. 110.) c. 32. (§. 122.) et c. 63. (§. 227.) Praetor fuit a. u. 632. — Q. Varius *fortis actor et vehemens, et quem plane oratorem dicere auderes.* Brut. c. 62. (§. 221.) — *Homo importunissimus, summo cruciatu supplicioque periit.* de Nat. D. III. c. 33. (§. 81.) *Matth.* Est sane speciosa coniectura, sed tamen oratoris verbis eam inserere non ausus sum, praesertim quum in codd. nulla exstet scripturae varietas. —

§. 90. *denique Memmios*] Veteres libri pro *Mamercos* partim habent *Mammeos* partim vero *Memmeos*, ut dubitandum non sit, quin *Memmios* legi debeat; qua quidem lectione nihil potest huic loco aptius excogitari; fuerunt enim Memmii accusatores illis temporibus clari, de quibus ita scriptum est in Bruto (c. 36. §. 136.) *Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocaverunt; pro reis non saepe dixerunt. F. Ursin.* Sane in Franc. primo legitur quoque *Mameos. Graev.* Sic duo codd. Lallemandi et ed. Ven. 1480, ut Ursini iam paene admittenda coniectura videatur. Sed in nominibus propriis caute agendum. MSus *Mamercos.* Sane Mamercus Aemiliorum cognomen fuit. De hoc et de Memmiis vide indic. histor. Ernesti. *Garaton.* Ursini emendationem sanequam egregiam, quam Steinmetzius repudiavit ita, ut corruptam codd. plurimorum scripturam *Mammeos*, cuius nominis alibi non memini me legere exemplum, reciperet, dignam habuit Matthiaeus, quae Tullio restitueretur. Quum *Mammeos* vel *Mameos* optimi codd. Oxonn. aliique praebeant, persuasissimum nobis illud est, scripturam *Mamercos*, quae in paucissimis invenitur libris, excogitatam esse ab librariis vel iccirco, ut certe nomen Latinum oratori redderent; namque Mammeus nomen Latinum non est. Scripturae *Mammeos* corruptelam et plenissime coarguunt et optime removent ipsius oratoris verba, quae ex Brut. l. l. attulit Ursinus. — Cuius coniecturae veritatem etiam temporum accurata computatio confirmat egregie. Orator enim quum in Brut. haec fecerit verba: *tum etiam C. et L. Memmii etc.*, consequatur necesse est, eadem cum prioribus his: *Nam flamen Albinus etiam in numero*

est habitus disertorum. Q. etiam Caepio, vir acer et fortis, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit; arctissime esse coniungenda. Vides, in his mentionem fieri Q. Servilii Caepionis, quem una cum Cn. Manlio CS. contra Cimbros pugnantem tantam constat accepisse cladem, ut binis exueretur castris et militum millia octoginta perderet, calonum et lixarum quadraginta. cf. Liv. epit. LXVII. Quintil. Decl. III, c. 13. p. 70. Burm. Quam quidem cladem vel ita ei fuisse crimini, ut C. Norbanus, tribunus plebis, ei diem diceret, Tullius ipse testificatur. cf. de Orat. II, c. 47. §. 197 sqq. — Brut. c. 44. §. 162. Valer. Max. IV, c. 7. §. 3. VI, c. 9. §. 13. Calamitosa autem illa clades Caepioni illata est a. u. 647, unde consectarium, etiam tum Memmios floruisse, ita ut Sullanae proscriptionis tempore recte dici possent a proeliis propter aetatem avocati. Quod quum ita se habeat, Ursino quovis pignore contendam esse adstipulandum. Recepi *Memmios.* —

§. 90. *quos iam aetas a proeliis avocabat*] Proelia censet Hotomanus intelligenda esse forensia; ad aetatem igitur, cui leges vacationem a re militari concedebant, Tullium allusisse statuit. Repugnant Manutius et Graevius, ita ut de militaribus tantum cogitari velint proeliis; accusatores enim illi quum propter aetatem contra Sullanos cum Marianis pugnare non possent, eosdem videri occisos esse vel iccirco, ut posthac ne sectores in iudicium vocarent. Garatonii sententia magis ad Hotomani inclinat interpretationem, (cf. eius annot. ad verb. *postremo Priam.*) eamque pro verissima accepit Steinmetzius hoc commotus argumento, quod Cicero cum summo contemtu totum accusatorum genus perstrinxerit. Non moror. Weiskius verba sic interpretatus: *quibus propter senectutem parcendum erat,* tametsi Matthiaeum sibi assentientem habet, rem dicendus est plane incertam reliquisse, quum ipsa haec explicatio possit dupliciter intelligi; aut enim parcendum erat, quod provectiores facti et re militari vacantes certamini non intererant ipsi, aut quod, utpote qui senes essent, non accusabant amplius, ita ut sectoribus nihil ab iis esset timendum. Reprobandam autem esse Hotomani opinionem, certissimis mihi videor confirmare posse ar-

gumentis. Quid enim? Erucium nonne orator asseverat bonis videri annumerandum propter accusatorum solitudinem? Posito igitur et concesso, hos omnes iam avocatos fuisse a proeliis forensibus, cur tandem iidem omnes caederentur necesse erat, ut Erucius bonus evaderet accusator? Accedit, quod, ubi haec proelia de accusandi laboribus intellexeris, item sequentia: *quem non modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant;* eodem referas oportebit. Antistio igitur, quippe homini forsan calumniatori, praevaricatori, ubi interdictum erat, ne accusaret, ridiculum profecto fuisset, si hunc quoque interemissent sicarii, ne ab eodem posthac in iudicium adducerentur. Sententia autem planissima quum haec sit, sectores ita cavere voluisse accusatorum iram atque odium, ut eos omnes, licet proelio non interessent, quasi anxie conquisitos occiderent, Graevio est adstipulandum. —

§. 90. *postremo Priamum ipsum senem, Antistium*] Comparat Antistium Priamo, quia, ut ille summa senectute, in magna Troianorum caede, occisus esset, sic Antistius, multis caesis accusatoribus, senex admodum ideo necatus est, ne quis esset, qui de quotidianis caedibus quemquam accusaret. Priami autem mentionem induxit, quia dixerat *Ferro Phrygio. Manut.* At ceteri quoque senes; nam eos aetas a proeliis avocabat. Aut, igitur decrepitus senesque ipsos aetate antecedens Antistius, aut, quod non est ita vituperandum, accusatorum quodammodo princeps Priamo comparatur. Nec obstat, quod aetas militaris XLVI anno terminetur, unde senes Curtios etc. fuisse necesse non sit. Nam excusari, non cogi, aut simile aliquid de iis diceretur, non *avocari* ab aetate, si senes non fuissent. Quod si de proeliis forensibus cum Hotomano, ut certe possumus, locum intelligamus, tum vero senes illos sine omni dubitatione putabimus. Manutius praeterea Priami mentionem ab illo ferro Phrygio repetit et cum eo Facciolatus. An vero Phrygio ferro Phryx ipse Priamus est vulneratus? Hoc, nisi civilis belli ratione, qua ipsi inter se Phryges allegorice pro Romanis committantur, quo pacto excusem non invenio. Postremo, an (ut Hotomano visum est,) hic ille P. Antistius sit, de quo

Cicero in Bruto c. 63, ita dubito, ut paene alterum censeam; non illa quidem permotus caussa, quam ibi Corradus p. 341 attulit, P. Antistium non quadragenarium periisse. Cum enim Tullius tacuisse illum dicat, contemtum irrisumque ante Tribunatum *multos annos*, Tribunatu functum sero longeque post aetatem legitimam quis vetat credere? Tunc Corradi calculus cadet. Sed mihi Tullianos locos conferenti non ille P. Antistius accusator odiosus legeque irretitus videtur, qualis, quem hic habemus, homo fuit. Imo quum Iulio Consulatum extra ordinem inique petenti restiterit ex eoque inclaruerit, bonus mihi ferme videtur. Ne multa, V. C. Ernestum recte in ind. histor. hos disiunxisse prudenterque Publium ab altero, quum ne pronomine quidem appellat Cicero, diversum abire iussisse arbitror. *Garat.* Hoc quoque loco cum Manutio facit Graevius repudiata sententia Hotomani, qui Priamum appellatum esse opinatus est, quod Rex quidam et princeps exstiterit Antistius. Nobis res ita videtur diiudicanda. Veri ubi per se est simile, oratorem commemorasse priores iccirco, quod nomen aliquod haberent inter accusatores, multo magis id coarguitur verbis, quae infra de reliquis facit tum occisis: *quos iam nemo propter ignobilitatem nominat.* Unde manifestum est, Antistium vocari *Priamum* propter insignem rerum forensium gloriam, qua, veluti rex Priamus inter suos, ita inter accusatores fuerit clarissimus. Quam explicationem num impedimento esse arbitrabere, quo minus item de Antistii senectute cogitemus? quin eum natu maximum fuisse eorum, quos supra appellavit, concedimus? praesertim quum iidem, si non senes, certe annis essent provecti. Namque Antistius tum demum recte Priamo comparatur, ubi et senex fuit et accusatorum hoc loco memoratorum praestantissimus. — Alteram excitavit eamque haud spernendam difficultatem Garatonius. Quid est enim, quod oratorem ad hanc adduxerit comparationem? Nihil certe aliud, quam Phrygium illud ferrum, id quod recte observarunt Manutius et Facciolatus. Etenim Ennianum illud si quidem propter ferrum Phrygium minime in rem suam convertit orator, uti supra ostensum est, tamen mentione eius facta hanc Priami comparationem

non potuit non ab eodem repetere. At qui fit, ut Phryx ipse Priamus vulneratus dicatur Phrygio ferro? Quod si vera sunt, quae nobis vetus tradidit Scholiastes (vid. Schol.), profecto eorum oratorem, quum recitaret verba, haud immemorem fuisse pro certo videtur affirmandum. Unde item colligitur, aut lapsum esse misere Tullium aut falsa nobis retulisse Scholiastam; nisi forte hoc velis coniicere, de industria oratorem rem immutasse, quum Priami Troianorumque interitus commode videretur conferri posse cum calamitosa accusatorum internecione. Sed tamen, nisi nos fallit coniectura, inconcinnus potius culpandus est Scholiastes; vide modo eius testimonium et quae ibidem annotavimus. Suspicamur enim, ex Ennii fabula, quae inscribitur Andromacha, versum esse petitum, ubi infelix vidua filiolo de saxo deiecto Troiae excidium, Priami necem, regiam incensam deplorat. cf. Enn. Fragm. p. 234. ed. Hess. Constat autem inter omnes, Troianos, quum mutatis armis impetum fecissent acerrimum duce Aenea in Graecos Priami arcem expugnaturos, ab ipsis Troianis arcem defendentibus cladem accepisse importunissimam. cf. Virgil. Aen. II, v. 410 sqq.

Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.

Quae si comprobaveris, egregie haec quadrare nobis dabis ad miserrimum inter ipsos Romanos commissum proelium describendum. Namque Scholiastes quae narrat, tametsi reapse vera sunt, cf. Ovid. Metam. XIII. v. 71 sqq., tamen non sine errore huc videntur ab eo esse translata. Restat, ut de Antistio pauca addamus, quem plerique editores non diversum ab eo esse opinati sunt, cuius mentionem facit ipse Tullius in Bruto c. 63. §. 226. *Coniunctus igitur Sulpicii aetati* P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui, multos quum *tacuisset annos neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Julii illam consulatus petitionem extraordinariam, veram caussam agens, est probatus.* Rem addubitavit Corradus, sed tamen argumentum eius facili negotio refutatum ab Garatonio est; quamquam idem rem ita in dubium revocavit, ut in

camdem denuo videatur inquirendum esse. cf. Garat. Annot. — Ac nos quidem in hac re ita versabimur, ut interpretum opinioni tum demum accedendum esse statuamus, ubi omnino nihil, quod repugnet, deprehenderimus. Sed tamen vide, quam multa obstent! Nolumus illud commemorare, nostrum Antistium accusatorum fere principatum tenuisse, illum contra rabulam appellari ab ipso Tullio *sane probabilem*, quum horum verborum explicationem apud eumdem hanc fere liceat animum advertere: *itaque post tribunatum primo multae ad eum caussae, deinde omnes, maximae quaecumque erant, deferebantur.* cf. ibid. §. 226. s. f. — Adde c. 90. §. 308. *magis magisque quotidie probabatur Antistius.* Neque de tempore, quo vixerint ambo, poterit ulla esse controversia, quum haec perspicue retulerit Cicero in Bruto c. 63. §. 227. *Hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem reditumque L. Sullae sine iure fuit et sine ulla dignitate res publica.* Illud velim teneatur, *rabulam* appellari illum, hunc in *accusatorum* referri numero. Cf. Nonius p. 60. ed. Lips. *Rabula a rabie dictus est, quem nunc advocatum vel caussarum patronum dicimus.* Dicet quispiam, in eo ponderis inesse nihil, quod vocula *nunc* manifesto declaret, Ciceronis tempore rabulam dici solitum esse et patronum et accusatorem. Verum enim vero Antistium ipse Cicero nonnisi in patronorum numero refert; etenim praeter ea, quae supra laudavimus, *caussae ad eum — deferebantur*, haec ponderato: *Hoc etiam magis probabatur* (Antistius), *quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat et Curio; vivebat ex reliquis patronis eius aetatis nemo, praeter Carbonem et Pomponium, quorum utrumque facile superabat;* vid. Brut. l. l. §. 227. Nostro igitur loco quum accurate disiungantur patroni ab accusatoribus, profecto hunc patronum Antistium, quem item Cicero c. 90. §. 311. oratorem neque accusatorem appellat, non patiar umquam ad eorum, quos hic memoratos videmus, numerum adscribi. Neque argumentationem infringi nostram concedemus, si qui voluerit, veluti aliquoties Ciceronem ipsum, ita etiam Antistium illum et patronum et accusatorem fuisse, contendere, propterea

quod ratione eorum habita, quae in Bruto leguntur, nostro loco hunc Antistium minime potuit Cicero accusatorum quasi principem vocare. Alterum sat grave argumentum vel in eo cernitur, quod verba *ad servilium lacum* nonnisi ad Sullanam proscriptionem apte possunt referri, id quod loci supra allati manifesto comprobant; unde ad unum omnes id verissime collegerunt interpretes, eodem hoc tumultu accusatores, de quibus hic sermo est, esse occisos; vide praeterea ipsius Tullii verba, quae leguntur §. 91. *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui suis vulneribus mederentur; — a quibus miror, — non subsellia quoque esse combusta; nam et accusatores et iudices sustulerunt.* Antistium autem, patronum et oratorem, multo ante proscriptionem ab Damasippo praetore, qui a Marii partibus stetit, una cum Q. Mucio Scaevola, Pontifice Maximo, et C. Carbone, utpote qui Sullae partibus faverent, esse trucidatos, auctor est Velleius Pat. II, c. 26. cf. Brut. c. 90. §. 311. Addit Appianus B. C. I, c. 88. p. 675. ed. Toll., eosdem ipsius Marii iussu mortem occubuisse. Quae quum ita sint, nostrum Antistium ab rabula illo distinguendum esse, nobis est persuasissimum. —

§. 90. *quem non modo aetas, sed leges pugnare prohibebant*] Fortasse aut ignominia affectum aut turpi iudicio damnatum. Nam ut scribit Ulpianus, removentur a postulando personae turpitudine notabiles; veluti qui calumniae caussa publico iudicio damnatus est. *Hotom.* Si de proeliis forensibus hic agitur, bene Hottomannus; si de proeliis militaribus, notat in Antistio morbum aut vitium aliquod eorum, quae arcebant a militia. Nam ut ostendit Lipsius de Milit. Rom. I, 4. manci debiles et ii, quibus digiti omnes vel etiam soli pollices deessent, exclusi a militia fuerunt. *Facciol.* Hotomanum de proeliis forensibus cogitantem supra refutavimus; quocirca Facciolati amplectenda sententia est. Rem voluit Matthiaeus exponi sic: cui propter leges parcendum erat. Sicut enim *pugna Cannensis* est caedes proscriptorum, sic *pugnare* dicuntur, qui vel ipsi alios obtruncarunt vel a Sullanis trucidati sunt." Non

probo vel iccirco, quod, quibus exemplis tuear *pugnare* pro *occidi*, equidem non habeo.

§. 90. *qui inter sicarios et de veneficiis accusabant*] Quae verba in rem suam ita converterunt Grammatici nostri, cf. Zumpt. §. 446. Not. I, p. 272. Ramsh. L. Gr. §. 110. Not. 2. p. 328. et II, ut sententiam illam comprobarent suam, verbum *accusare* nonnumquam ad crimen significandum adsciscere *inter* vel *de* praepositiones. Res paullo secus videtur esse. Etenim praepositiones minime aptae sunt e verbo *accusare*, sed ex omissa voce *quaestio*. Perpetuis enim quaestionibus institutis cf. Cic. Brut. c. 27. §. 106. peculiares fere apud Romanos usu receptae sunt loquutiones: *quaestio inter sicarios*, *de vi*, *de veneficiis* etc. Quaestio autem *inter sicarios* dicta ea est, qua inquirebatur, utrum is, qui reus factus erat, revera fuisset inter sicarios, annon; item quaestio *de vi*, utrum reus intulisset vim, annon. Unde consequitur, nostro loco ellipsin esse statuendam vel hanc: accusare coram praetore, qui exercet quaestionem *inter sicarios*. Quae quidem sententia optime confirmatur eo, quod Latini etiam *defendere inter sicarios* dicebant; cf. Cic. Philipp. II, c. 4. §. 8. *ego quoque te disertum putabo*, *si ostenderis*, *quomodo sis eos inter sicarios defensurus*. Eadem ratione *de vi condemnari* non est propter vim alicui illatam, sed potius condemnari eo iudicio, quo quaesitum, utrum vis revera illata sit, necne. Exempla ubique inveniuntur. —

Cap. XXXIII. §. 92. *Video igitur*, *caussas esse permultas*] Jam redit orator, unde digressus est; etenim verba inde a §. 89. voluit inserere iccirco, ut derideret Erucium accusatorem, summa argumentorum inopia laborantem. Caussae igitur quae qualesve fuerint, uberrime exposuit §. 88. Paullo infra vocem *Romae* ab antecedentibus nolumus disiungi ita, ut quasi Titum Roscium eam pronuntiantem introducamus, propterea quod in sequentibus demum oratio ad eum plane est directa. —

§. 92. *Quid tu*, *Rosci? ubi tunc eras?*] Sic optime locum interpunxit Matthiaeus pro vulg. *Quid? tu*, *Rosci*, *ubi* etc., quem vide. Refutavit autem Goerenzium ad Cic. de Fin. II, c. 22. §. 74. sic disserentem: Tenenda haec certa interpunctionis regula est, ante voces

particulasque, quibus interrogatio regitur, praemitti, ut nomina (cf. Acadd. II, c. 33. §. 106.) ita pronomina solere. II Acadd. c. 27. §. 86. *Quid? hoc nonne videtur contra vos valere?* I Tuscul. c. 24. §. 56. *Quid? illa tandem, num leviora censes, quae declarant, inesse in animis hominum divina quaedam?* Ita verissime Wolf. ed. priore; vulgo *Quid illa tandem? — censes?* sed pessime."

§. 92. *Verum quid ad rem? et alii multi*] cf. infra §. 94. *verum et alii multi.* Quibus locis, quos nulla turbat codicum diversitas, *et* pro *etiam* esse accipiendum quivis facile perspicit. Sed tamen *et* pro *etiam* Ciceronem non esse usum, Laurentii Vallae observationem sequuti sane quam multi statuerunt interpretes. Cf. Heusing. ad Cic. de Offic. I, c. 40. §. 142; ibid. c. 41. §. 146. — Goerenz. ad Cic. de Legg. I, c. 7. §. 23. II, c. 12. §. 29. Acadd. I, c. 7. §. 26. II, c. 42. §. 129. p. 235. — Matthiaeus in Wolf. Anall. Litt. Tom. II, p. 4. sqq. — Repugnarunt Wolf. Anall. Litt. Tom. I, p. 302. — Beier. ad Cic. de Offic. I, c. 40. §. 142. — Moser. ad Cic. de Nat. Deor. I, c. 5. §. 12. Creuzer. ibid. c. 39. §. 109 — Meiner. L. Part. p. 132. — Zumpt. Lat. Gr. §. 335. p. 292. — Ac primum quidem tenendum est, Laurentium Vallam nonnisi illud contendisse, in media oratione Ciceronem copula *et* pro *etiam* non esse usum usquam. cf. Matth. l. l. Unde eumdem eos ad unum omnes locos, quibus in verborum principio invenitur, excepisse consectarium est. Sed tamen eius observationi ne sic quidem fidem esse habendam existimo. Quod ut confirmemus, illos in rem nostram nolumus convertere locos, de quibus hic sermo est, quum ita sint comparati, ut ad sententiam recte enucleandam alterum animo membrum adiiciatur sit necesse vel sic: et ego Romae fui et praeter me alii multi. Quo omisseo quum rem brevius descripserit orator, verba *et alii multi* haud facile negabis esse accipienda pro *etiam alii multi;* verumtamen remanet, uti vidimus, vis copulae propria ac genuina. Eadem ratione etiam Tullianum illud ex Offic. l. I, c. 40. §. 142., quod sanequam perverse Goerenzius explicavit ad Cic. de Finib. IV, c. 28. §. 77. particulam *autem* alterius *et*

vice positam esse arbitratus, verissime sic scribitur: *nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis; locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt.* Namque antecedentia: *ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore*, documento sunt, verba esse interpretanda sic: nam et collocationem definiunt compositionem r. a. et a. l. et ordinem eodem modo definiunt. cf. Beier. ad h. l. — Heusingerus *et* copulam ab glossatore inculcatam esse censuit et abiiciendam. — Adde Cic. de Nat. D. I, c. 5, 12. ubi verba *ex quo exsistit et illud* sic tueor: unde et multa alia philosophorum placita exsistunt, veluti *nihil esse verum* et illud exsistit *multa esse probabilia.* Nihilque dubito, quin in Orat. pro Planc. c. 35. §. 86. omnium librorum scriptura retinenda sit haec: *secum et illos consules facere acerbissime personabat*, quam Manutius emendare studuit hunc in modum: *et illos et consules.* Nam qui tum fuere consules, quum in exsilium ipse actus est Cicero, eos sane vel ita depinxit in prioribus orator, ut eos nonnisi nomen retinuisse consulum significarit, revera autem consules non fuisse, quippe qui sine exercitu essent emptisque provinciis a senatu, a re publica, a bonis omnibus defecissent. Quae quidem egregie exemplis iis confirmantur, quae ibidem attulit Wunderus ex Cic. ad Fam. I, 9. §. 13: *Postea quum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres neque res publica consules haberet, sed mercatores provinciarum, et seditionum servos ac ministros.* Adde Post red. in Sen. c. 4. §. 10. *non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores vestrae dignitatis.* Quibus infra opponuntur triumviri illi potentissimi, Pompeius, Crassus, Caesar, eosdemque orator non sine summa acerbitate tum potius consules fuisse dicit, utpote qui iis rebus, quae nonnisi consulum essent, tum plurimum valerent, exercitu, armis, opibus. Verbis autem prioribus *a senatu, a re publica, a bonis omnibus defecerant* quum praeterea iam perspicue declaratum sit, Pisonem et Gabinium Coss. fecisse cum adversariis (cf. quae §. 87. leguntur), ex iisdem cogitatio, quae pro membro altero accipiatur, est repetenda, et tota sententia sic reconcinnanda: secum et eos facere, qui nonnisi

nomen tenerent consulum et illos praepotentes, qui consules revera essent. — Neque ab Latinorum abhorret Graecorum dicendi consuetudo; cf. Eurip. Iphig. Taur. v. 38. *θύω γὰρ, ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν-πόλει* etc. cf. Seidl. ibid. v. 577. — Heindorf. ad Plat. Parm. §. 72. ad Phaed. §. 23. Unde intelligi potest, qui factum, ut copula *et* pro *etiam* saepenumero pronominibus inveniatur praeposita. cf. de Nat. Deor. III, c. 11. §. 27. *Et ego quaero, unde orationem, unde numeros, unde cantus (arripuerimus.)*. — Vide exempla, quae Wolf. l. l. attulit. cf. Beier. ad Cic. de Off. III, c. 6. §. 27. — His igitur omnibus argumentationem nostram nolumus confirmari ita, ut iisdem Laurentii Vallae sententiam redarguamus. Verumtamen eam, quam exposuimus dicendi consuetudinem Cicero quum minime respuerit, eadem sibi viam cur noluerit quasi communire, ut copulam *et* usurparet pro *etiam*, etiamsi alterum membrum animo addi non posset, equidem non assequor. Quod quo minus statuamus, nihil est, quod nos deterreat, modo ut codices assentiantur. Cf. Cic. pro Quint. c. 30. §. 94. *spes est, et hunc miserum atque infelicem aliquando tamen* (sic; cf. annot. ad §. 8.) *posse consistere.* — In Verr. IV, c. 61. §. 136. *Simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia* et q. s. Ibid. V, c. 19. §. 48. *quod et ostendam, quum istos produxero.* Vid. Zumpt. L. Gr. p. 292. — Accedit, quod eumdem Tullium *non solum — sed et* pro *sed etiam* scripsisse negari non potest. Cf. in Verr. Act. I, c. 1. §. 1. *quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone increbuit.* At dicet fortasse quispiam, voculas *sed et* non tam pro *sed etiam*, quam pro *sed adeo* esse habendas. cf. Bremi. ad Corn. Nep. vit. Thrasyb. c. 1, s. f. — Quid? voculas *sed etiam* num negabis usquam ita esse usurpatas, ut vim prae se ferant particularum *sed adeo?* Nil moror. —

Cap. XXXIV. §. 95. *cuicuimodi es, T. Rosci*] Priscianus loco c. (l. XIII.) ed. Putsch. p. 959. Roscii praenomen omittit, et fortasse ita perperam, ut v. *voluisse* quoque praeterit. Sed *cuicuimodi* firmat in Prisciano Vossius de analogia I, 47. veteris editionis 1476 suique codicis optimi antiquissimique suffragio. Anti-

quam singularemque locutionem miris modis librarii corrupere. Vid. Var. Lect. et adde Venetae mendum *quin eiusmodi est Rosci*, ex quo tamen praenomen Roscio manet suum. *Garaton.* Vetustum illud *cuicuimodi* pro *cuiuscuiusmodi* communi doctorum virorum iudicio confirmatum ita est, ut, qui voluerit loquutionem impugnare, eidem verendum sit, ne sibi repugnantes habeat ad unum omnes. Et recte quidem. Namque veteres Latini veluti dicebant *alimodi* (cf. Fest. s. v.) vel *alii modi* pro *alius modi* et *illi modi*, sic *cuicuimodi*. Cf. Ruddim. I, p. 120. Annot. 55. ed. St. Recte igitur Gronovius, qui de hac loquutione doctissime egit ad Gell. N. A. II, c. 6. p. 41, Ciceroni restituit *cuicuimodi sunt* de Finib. III, c. 9. §. 30. Neque dubito, quin cum Lambino lib. II. de Invent. c. 45. §. 134. sic legendum sit: *legem, cuicuimodi est, in praesentia conservari ab iudicibus.* —

§. 95. *Ut hoc iudicium non de illorum*] pro *de sua* vel *de ipsorum* praeda. *Matth.* Qua quidem ratione si qui voluerit cum Matthiaeo locum explicare, non refragabimur umquam, dum modo illud teneatur, neque nostrum neque reliquos ab Matthiaeo allatos locos Latinorum dicendi consuetudini repugnare ita, ut pro soloecismis sint habendi. Facillimum enim est ad intelligendum, cogitationem eius, quem cogitantem inducit scriptor, subito inverti posse ita, ut scriptor iam suam ipsius exponat mentem ac sententiam; itaque nostro loco haec de suo addere censendus est orator: *ut hoc iudicium — fieri videretur.* Quae explicandi ratio quam vera sit, optime ex verbis apud Caes. B. G. I, c. 11. obviis potest perspici: *Aedui legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium; ita se omni tempore de Pop. Rom. meritos esse, ut paene in conspectu exercitus n o s t r i agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci — non debuerint;* pronomen enim *nostri* scribentis animum deflectit ita, ut iam sua ipsius cogitatione Aeduorum describat querimoniam deque *eorum* liberis in servitutem abductis loquatur. cff. Liv. I, c. 56. *Delphos postquam ventum est, cupido incessit animos iuvenum sciscitandi, ad quem eorum regnum Romanum esset venturum.* Cic. de Orat. I, c. 54. §. 232. *So-*

crates respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus — praeberetur. Cic. Brut. c. 2. §. 6. *Etenim si viveret Q. Hortensius, — hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret laborem, quum forum P. R., quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, — spoliatum atque orbatum videret;* minime autem Matthiaeo assentiendum est, hic duas loquendi formas confusas esse statuenti, quum pronomen *quod* pro *quippe* vel *utpote quod* sit accipiendum. pro Flacco c. 20. §. 46. *Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet.* pro Sext. c. 24. §. 54. Phil. VI, c. 3. §. 6. Vid. Ramsh. Gr. L. §. 157. pag. 546. Ed. II. Ac videor mihi intelligere, quid sit illud, quod Tullium, ut nostro loco *illorum* pro *ipsorum* vel *sua* mallet scribere, commoverit. Dicendo enim *ipsorum* orator certe significasset, Titi Roscii socios de industria sese occultasse vitaturi, *ut* hoc iudicium *ne* de ipsorum praeda fieri videretur. Quod argumentum quamquam negari nequit leve tantum esse ac minutulum, quum *non* particula, etiam si *ipsorum* scribatur, fulta sit optime sequente *sed*, (cf. Cic. de Nat. Deor. II, c. 1. §. 2. *Est enim philosophi — de diis immortalibus habere non vagam et errantem, sed — stabilem certamque scientiam*], tamen, quicquid est difficultatis, scriptura *illorum* removetur. Locus est simillimus, quem legimus apud Cic. de Orat. I, c. 5. §. 19: *hortemurque potius liberos nostros, ut animo rei magnitudinem complectantur neque iis aut praeceptis aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant;* ubi noli *neve* pro *neque* reponere, quum planissime exponantur verba sic: *ut — complectantur et confidant, se id, quod expetunt, non aut iis —, sed aliis quibusdam consequi posse.* Contra *neve* pro neque repono his locis: Cornel. N. Vit. Paus. c. 5. *ne enuntiaret neu* (vulg. *nec) se meritum de illo optime proderet.* Ovid. Metam. III, v. 117. *ne cape, de populo, quem terra creaverat, unus Exclamat neu* (vulg. *nec) te civilibus insere bellis.* Verum tamen apud eumdem defendenda sunt, quae leguntur Metam. XIII. v. 447. *utque meum non*

sit sine honore sepulchrum, Placet Achilleos mactata Polyxena manes, quum figura *non sine* studiose servanda esse videatur. Quae congessit exempla Ramsh. L. Gr. §. 173. p. 697, ut *non* pro *ne* poni posse comprobaret, ea cum nostris non sunt comparanda.

§. 96. *quid attinuit eum potissimum nuntiare*] Totam hanc clausulam ac sententiam usque ad verbum *pertinebat*, volo membratim et caesim legi, ut post verbum *pertinebat* nota interrogationis collocetur. Boëmoraeus autem vult interrogationis notam post *nuntiare* poni. Deinde legi per enuntiationem et sine interrogatione: *quod si nullum iam* etc. Sensum autem Ciceronis hunc esse puto, hac interpunctione servata: Quid attinuit Glauciam potissimum id nuntiare, quod, si nullum iam ante consilium de morte ac de bonis eius inieras, minime ad te pertinebat? id nuntiare, quod etc. nempe occisum esse Sex. Roscium. *Lambin.* Quam viri doctissimi interpunctionem comprobasse Orellium et Matthiaeum laetamur, propterea quod, ubi post *nuntiare* notam interrogationis posueris, nimis ambigue haec dicta videbuntur hunc in modum: *qui tandem factum, ut is potissimum nuntius exstiterit?* praesertim quum eadem ratione supra dixerit orator *qui primus A. nuntiat?* ni forte volueris haec emendare sic: *Occisum Sex. Roscium qui primus* etc. Sed tamen propter sequentia quum *id* animo addatur sit necesse, item *quod* cum prioribus arctissime oportere coniungi consectarium est. Nil profecto repugnaremus, si post *nuntiare?* haec fere videremus exarata: *et qui factum, ut rem nuntiaret, quae — pertineret?* Omissum *id* pronomen, quod probata Lambini sententia non desideramus amplius, Schuetzius inter voculas *eum* et *potissimum* argumentis sat perspicuis commotus inserere est conatus. Male. Etenim non vidit, ex responso Titi Roscii *sua sponte Manlius nuntiavit.* Manifesto colligi, oratorem id urgere ut quod maxime, quid sit, quod is potissimum, cliens Titi et familiaris, rem nuntiarit Ameriam. Nil moror.

§. 96. *Quid, quaeso, eius intererat?*] Avorum aevo cusi et MSS. nostri *quasi*; Pal. vero primus distinguit: *quid? quasi eius intererat?* de quo diiudicent otiosiores. *Gruter.* En! triste scriptores veteres emen-

dandi studium! Non moror. Scripturam *quasi*, quam Codd. Pall., quatt. Oxonn. et edd. vett. nobis offerunt, non amplius exsulare passi sumus, quippe quae iniuria sit eiecta. Vulgata enim *quid*, *quaeso*, *eius intererat?* quae speciosior est, quam verior, nonnisi hoc significat: dic mihi, amabo te, quid etc., ita ut ipse haec animo suppleat orator: non profecto eius, sed tua, Tite, intererat, ut res tam cito Ameriam nuntiaretur; tuo igitur consilio, tuo scelere interfectus Roscius est. Verumtamen id ipsum de Manlio Glaucia confirmare neque velle neque posse oratorem, apparet ex sequentibus §. 97. *non quaero*, *quis percusserit; nihil est*, *Glaucia*, *quod metuas; non excutio te*, *si quid forte ferri habuisti; non scrutor*, *nihil ad me arbitror pertinere.* Adde §. 98. *Non versatur ante oculos vobis in caede Glauciа?* Ex quibus, opinor, in propatulo est, Ciceroni illud esse persuasissimum, ipsius quidem Glauciae manu, sed tamen consilio Titi Roscii Magni facinus esse patratum. Itaque Glauciae ut hoc imputet, verbis *quid? quasi* etc. sibi viam sternit et communit. Proprie enim dicendum erat: quid? quasi eius interfuerit, ut tam celeriter Amerini socii de caede fierent certiores. Cf. Cic. divin. in Caec. c. 5. §. 17. Terent. Andr. III, 2, 19. Adelph. III, 1, 3. Sed contrarium sic ipse pronuntiaret item orator, revera Glauciae nil interfuisse. Quapropter verba interrogatione attulit, ut indicaret, veri sane videri simile, Glauciam quoque haud sane exiguam caedis habuisse partem. Eadem ratione apud Cic. de re publ. I, c. 39. §. 61. retinenda codicis est scriptura *quid? quasi interest inter unum et plures*, *si iustitia est in pluribus?* ubi Maius item *quaeso* verbis immiscuit. —

Cap. XXXV. §. 99. *Quid erat*, *quod Capitonem primum scire voluerit?*] Ernestius latinitatem clare postulare *vellet* existimavit. At vide Cic. in Verr. I, c. 30. §. 75. *qui in illa re qui facere potuerit*, *non habebat*, ubi item Ernest. aut *posset* aut *faceret* scriptum fuisse coniecit. Cf. Schell. Obs. p. 44.

§. 100. *multas esse infames palmas*] Fortasse legendum est: *multas esse eius infames palmas.* Lambin. Codd. plurimi *infamius*, unde Orellius una cum Garatonio recte effinxit *infames eius p.*, quod in ver-

borum seriem recipere non dubitavimus. Male Beckius sic iam Lambinum emendasse annotavit. —

§. 100. *quae Romae deferatur*] Duriuscula haec mihi videntur, ut olim Lambino videbantur, qui supra *eius infames* coniecit et hic alios ait legere *Roma deferatur.* Sed quum videam, in vett. editt. esse *infamius palmas*, vocem autem *Romae* a pluribus retineri, ego legerem: multas *esse infames eius palmas*, *hanc primam* etc., *quae Roma ei deferatur.* Videant, qui MSis abundant. Non ego sane coniecturis umquam deditus fui, hanc tamen non plane contemno. Detulit profecto hanc insignem palmam Capitoni Glaucia, detulit Roma, quo ad eam adipiscendam Capito non accesserat; detulerunt omnes, qui eius consilio caedem fecerunt, T. Magnus imprimis, qui praesens maleficio praefuit, bona divisit eique praedae denique partem dedit. Legere quoque posses *quae Romae ei deferatur* h. e. tribuatur, ut supra *suspicionem* dixit in eum *conferri*. *Lemniscata* dicitur, quod ingens quaestus, consciorum magna societas et haec nefaria in filium calumnia ad ipsam patris caedem accesserit. Quod verbum in vulgata lectione totam sententiam facit. Neque enim prima haec palma est, quam Romae Capito deferat, id est, gestet, cum statim eius facinus sane magnum referatur, quod Romae perpatratum videri facile potest. Igitur haec prima fuerit lemniscata. Nam hercules *deferri palmam* tamquam *crimen*, hic numquam arbitrer debere intelligi; quod lepidam loci minueret ironiam. Quod etiam a Tullio sine summa sua invidia et sine incredibili levitate dici non poterat, quasi se delatorem nunc ultro profiteretur, qui cap. 32. tantopere cordi sibi esse praedicaverat, ut omnes intelligerent, *se non studio accusare sed officio defendere. Garaton.* Etiam Ernestius in verbis *quae Romae def.* maximopere haesit eaque voluit in integrum restitui scribendo *quae Roma def.* vel *Roma ei def.* — Namque Romae non fuisse in ista caede Capitonem, sed Ameriae; ergo non Romae delatam esse palmam, sed Roma per istum Glauciam, qui caedem factam nuntiaret. Quicquid est, emendationes, uti nunc leguntur verba, non sunt admittendae, id quod infra docebimus. Matthiaeus, qui suam hodie, quod sciam, omnibus editori-

bus probavit sententiam, vulgatam sic tueri studuit: „quam Romae sibi deferri vult, trium illorum fundorum possessione condemnato Sexto firmata.“ Verum enimvero considera oratoris argumentationem. Posteaquam Cicero §. 99. suspicionem movit, etiam Capitonem, utpote qui dederit consilium, caedis Sextianae esse participem, sese praeterea audire addit, minime nunc primum ab semet ipso hanc in eum conferri suspicionem. Quid enim? sic loqui homines, multas eius esse infames palmas. Quid? ex his palmis quum iidem illud colligant, etiam caedis Sextianae Capitonem esse non insontem, certe nonnisi de eius flagitiis eae possunt intelligi, utpote quas caedibus infelicium feliciter factis ille semper solitus sit reportare. Petita autem imago ab gladiatoribus est, quibus ob pugnam pulcherrimam pugnatam palmam donare solebant Romani. cf. Liv. X. c. 47. *Eodem anno coronati primum ob res bello bene gestas ludos Romanos spectaverunt, palmaeque tum primum translato e Graecia more victoribus datae.* Unde palmam dici apparet pro victoria gladiatoris, h. e. caede. Cf. pro Rosc. A. c. 6. §. 17. *plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator.* Cap. 30. §. 84. *alias quoque suas palmas cognoscet.* Philipp. XI, c. 5. §. 11. *Sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis.* — Quae quum ita sint, item haec prima lemniscata nonnisi ad caedem Sexti Roscii potest referri. Unde consectarium, neque cum Garatonio et Ernestio legi posse *quae Roma d.* vel *Roma ei d.*, propterea quod verborum tum sententia flagitaret *delata sit*, id quod Beckius iam vidit, neque Matthiaeum vulgatam satis accurate explicasse, quum sanequam absurdum foret, si velles perstare in his: quam palmam, h. e. quam caedem sibi Romae deferri vult. Sed tamen hoc nostrum respondebit ridiculum esse argumentum, quum oratorem, ut figuram servaret inchoatam, verba *quae — deferatur* scripsisse manifestum sit pro *quae caedis Sextianae palma.* Quid igitur est? viri doctissimi num accedemus opinioni? Minime. Etenim si Capitonis maleficia propter incredibilem hominis occidendi facilitatem palmae dicebantur, ita ut etiam caedes Sexti Roscii hoc nomine iam esset insignita, priusquam in iudicium vocaretur filius, qui

tandem fieri potuit, ut haec palma iudicio illo demum Romae concederetur? Lemniscis palma potuit Romae ornari (cf. Auson. Epp. XX, 5.), deferri ipsa minime. Verum tamen ne de hoc quidem palmae honore, ut rem tueatur suam, cogitare potest Matthiaeus. Palmam enim *lemniscatam* quum de sceleris praemio Capitoni concesso intellexerit, consectarium est necessario, his ipsis fundis palmam illam iam esse conspicuam, h. e. lemniscis iam adornatam. Quos quum Chrysogonus Capitoni iam addiderit, perversum foret, ubi eosdem Romae sibi Capito voluisset deferri, quum concessi palmae lemnisci sane confirmari Romae possent ac rati fieri, sed tamen denuo deferri minime. Nihil igitur repugnaremus, si legeremus: *quae Romae confirmetur* Sexto Roscio Capitonis impulsu condemnato. Verumtamen haec viam muniunt, qua verum possimus indagare. Palmam enim *lemniscatam* de maximis illis emolumentis, quae sibi Capito ex caede Sexti Roscii pepererit, negamus esse intelligendam. Quid enim? num reliqua eum commisisse maleficia credibile est sine spe atque emolumento? cf. §. 84. *Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.* — At nece Sexti praeclarissimam sibi acquisivit possessionem Capito, ita ut admodum significanter haec dicta sit caedes palma lemniscata. — Quid? undenam sciri contendes, reliqua facinora non tanta Capitoni attulisse commoda? Sed haec mittamus. Illud urgebimus, perspicua veterum scriptorum exstare testimonia, quibus lemniscos apud antiquos comprobetur in usu fuisse vel iccirco, ut prope singularis significaretur vel rei vel hominis honor atque dignitas. cf. Serv. ad Virg. Aen. V, v. 269. *et significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis; et, sicut Varro dicit, magni honoris sunt.* Auson. Epp. XX, 5. *Et quae iam dudum tibi palma poetica floret, Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.* Quae quum ita sint, minime illud impetrare ab animo possumus, ut de praediis illis cogitemus Capitoni donatis, praesertim quum, ubi hoc probaris, verba *quae Romae d.* commode exponi non queant. Jam vero attende animum paullo accuratius ad verba *multas infames*, et fatebere, nonnisi sic fere commode

posse continuari orationem, hanc Roscii caedem omnium esse vel maxime infamem, quum iam eo Capito accesserit et audaciae et impudentiae, ut hanc palmam publice lemniscis voluerit ornari. Quae quum ita se habeant, verba opinabere sic explanatum iri optime, ubi his *quae R. def.* praecedentem voculam *lemniscatam* accuratius exponi statueris. Cf. annot. ad §. 67. Virg. Aen. II, v. 248. *Nos delubra deum miseri, quibus ultima esset Ille dies, festa velamus fronde per urbem.* Quid? Iudicibus num illud potuit imputare orator, de Sexto Roscio iam actum, iamque videri eum esse condemnatum? Quocirca nonnisi ardens his Capitonis studium describi potest, quo percitus caedi suae crudelissimae quasi coronam vel lemniscos dari ab iudicibus ipsis voluerit. Quid multa? Lege nobiscum: *multas esse infames eius palmas, hanc primam esse tamen, lemniscata quae Romae deferatur*, i. e. hanc primam, h. e. omnium maxime infamem tamen esse, quippe quam lemniscis ornatam Romae sibi deferri voluerit. Vim voculae *primam* ex his optime apparere exemplis in propatulo est. cf. Cic. in Verr. IV, c. 17. §. 37. *A Lysone vero Lilybaetano, primo homine, Apollinis signum certe non ablatum oportuit.* — Terent. Adelph. V, 4, 4. *Et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.* Vid. Donat. ad h. l. *Prima, ante alia eligenda, quae et primo loco ponenda ac per hoc optima.* — Heaut. V, 2, 9. — Iam vero si Capitonem non in iudicio, sed Ameriae versari consideraris, sane virorum doctorum coniecturam *Roma ei deferatur* possis probare ut quam maxime. Verum tamen quum neque libri addicant neque ea sit plane necessaria, nolumus eam admitti. —

§. 100. *minorem annis LX de ponte in Tiberim deiecerit*] Cf. Fest. s. v. Sexagenarii: *Sunt, qui dicant, post urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines iaci in Tiberim.* — *Sed exploratissimum illud est caussae: quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre, iuniores conclamaverunt, ut de ponte deiicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi deligerent imperatorem.* Varro de Vit. Pop. Rom. l. II. ap. Non. M. p. 523. ed. Lips.

Quum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbio quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte deiici oportere, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. cf. Victor. Varr. Lectt. XVIII, c. 7.

Cap. XXXVI. §. 102. *utrum, is quod dixerit, cred.*] Codd. multi *id quod d.* — Res ad diiudicandum haud sane facilis. Namque testimonium Roscii et maleficium eius ita sibi opponuntur, ut sanequam videatur probabilis esse scriptura *id q. d.*, propterea quod sic vis verborum *quod dix.* magis est conspicua; quam aliqua certe ex parte debilitari concedendum est, ubi *is q. d.* praeferatur. Verum tamen sententia quum haec sit, Roscii testimonium omnino non posse ullius esse momenti vel iccirco, quod, si diceret, ipse de re sua id dicturus esset, scripturam *is quod d.* maluimus comprobare, praesertim quum sequentia *ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent* cum primis faveant verbis receptis.

§. 102. *Itaque more maiorum comparatum est*] Vet. Schol. *ita.* Weiskius ingeniose emendat *ita quidem*, quod, quum sententiae admodum sit consentaneum, Matthiaeus recipere non dubitavit. Sed coniectura minime opus est. Neque illud velim pro vero vendatur, *itaque* ab oratore scriptum esse pro *et ita — comparatum est.* Cf. Cic. Divin. in Caec. c. 1, §. 2. *Quum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut* etc. — Caes. B. G. I, c. 52. — Particulam *itaque* vel sic optime explicatum iri confidimus: quod quum ita sit, (fidem eius testimonio non posse haberi, qui de re sua id sit dicturus) more maiorum iam dudum est receptum, ut ne amplissimi quidem homines in rebus, etiam si minimae essent, testimonium possent de re sua dicere. — In sequentibus offendit Matthiaeus, verba *si sua res ageretur* dicta esse arbitratus pro *si eius* vel *ipsius res ag.*; neque aliud huius usus exemplum usquam inveniri. En! verbis istis nonnisi haec circumscribi *de re sua* in propatulo est. —

§. 104. *Quid tu, vir optime?*] T. Roscium Capitonem intelligit. Vide infra annot. ad verba *isti credere.* —

§. 101. *Multa audaciter, multa improbe*] Sic legit Priscianus lib. 15, non, ut vulgo, *audacter*. *Lambin.* Prisciani locus ed. Putsch. p. 1014 hic est: *Audax, audaci, audaciter; sed per syncopam in usu est frequentiore audacter. Sallustius tamen Historiarum I audaciter protulit secundum analogiam. Et Cicero pro Sex. Roscio: multa scelerate, multa audaciter.* Integrum attuli, ut nemo Grammatico hic parum credat; simul ut quantopere grassata sit menda, planum fiat. Namque, absque Prisciano esset, lectionem veram hic amisissemus. Neque tamen aliis quoque locis idem verbum cum Lambino reponerem, cum raro usurpatum et paene solis iis duobus locis ex Prisciano discamus. Hoc vero loco non debuit id Facciolatus repudiare. *Garaton.*

§. 104. *Nihil opus fuit te isti credere*] Sic omnes libri veteres. Mihi tamen non est dubium, quin ita emendandum sit, ut sic legamus: *Nihil opus fuit, te istic sedere*, ut Erucii subsellia demonstret; quod enim sequitur, sedere eum in oratoris subselliis ostendit; quod etiam his verbis aperte docuit: *Tecum enim mihi res est T. Rosci, quoniam istic sedes ac te palam adversarium esse profiteris.* Et infra: *Solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes.* Qua de re ipse in Orat. pro Flacc. (c. 9. §. 21.) *Quid*, inquit, *si testium studium cum accusatore sociatum est? tamen ne isti testes habebuntur?* Et paullo post (c. 10. §. 22.) *Hoc vero quid est? una sedent, ex accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur; de subselliis queror? una ex domo prodeunt* etc. Quare quod modo dixit: *unum stultissime*, sic accipiendum est: hoc stultissime fecisti et non de Erucii consilio, quod in accusatoris subselliis consedisti. Fidem enim hoc pacto tuo testimonio abrogasti. *Hotom.* *Nihil opus fuit te istic sedere*] Sic est sine dubio legendum. Atque ita emendaram in meo codice annis ante quindecim; idque animadverteram et ex quattuor locis, quos iamiam proferam, et ex hoc ipso loco; qui nisi ita legatur, nulla ex eo sententia probabilis elici potest. Quattuor igitur locis T. Roscio Magno obiicit, quod sedeat in accusatorum subselliis; quorum primus est: (cap. 6. §. 17.)

Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video; alterum tria huiusce praedia possidere audio. Alter locus est (c. 30. §. 84.) *Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes ac te palam adversarium esse profiteris.* Tertius (c. 31. §. 87.) *solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes.* Quartus (cap. 34. § 95.) *Tene, quum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non* (leg. *ne*) *de illorum praeda sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in iudicio versarere et sederes cum accusatore?* Conferantur nunc loci illi cum hoc: *nihil opus fuit te istic sedere, neque enim accusatore muto neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit.* Nihil profecto videat in litteris, qui ita legendum esse neget. Atque eo mihi magis haec coniectura placet, quod idem Hottomanno venit in mentem idemque probatur; et item Renato Marchalo Boëmoraeo. *Lambin.* Quae coniectura quamvis sit vel ingeniosissima, tamen falsissima est, id quod optime perspexit Wernsdorfius l. l., cuius habeto hanc ratiocinationem: Errant, qui putant, superiora (quid tu, vir optime? etc.) esse ad Roscium Magnum praesentem illum quidem referenda; spectant omnia absentem T. Roscium Capitonem, in quem, quod testimonium in Sex. Roscium dicere vellet, a verbis illis: *alter si diis immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est*, vehementer invectus erat. Verbis ab initio capitis: *alter ex ipsa caede volucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum misit* — spectat Roscium praesentem, qui Romae erat et Glauciam miserat Ameriam ad Capitonem. Quae quum ita sint atque orator Capitonis maleficia enumeret proterviamque ei obvertat et impudentiam, quod in Sex. Roscium testari velit, optime ea, quae sequuntur, *quid tu vir optime?* cum superioribus concinere videntur, quoniam hic ei impudentiam obvertit, quod, quum ipse testari voluerit, alteri Magno id crediderit (Magnum enim spectat verbis e vulgato textu *isti credere*). Addit continuo caussam, cur impudenter egerit: quod Roscius Magnus accusator taceat et testis ineptissime consederit in accusatorum

subselliis" Haec ille verissime. Mirari autem licet, tamdiu neglectam iacuisse verissimam librorum scripturam, quum, res etiam si non clamaret ipsa, certe ex his *profecto tua sponte*, *non de Erucii sententia* illud certissimo colligi oporteret, ad absentem Capitonem haec omnia esse referenda. Ponderatis enim, quae supra §. 101 disputavit orator: *Veniat modo; explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse, quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse ac minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum*, profecto dubium esse nequit, quin his nostris verbis non sine summa acerbitate orator incredibilem Capitonis stultitiam etiam atque etiam exagitet. Ac ne mirere, quid sit, quod haec *quid tu*, *vir optime?* ad absentem spectent Capitonem, consideres velim, quae §. 97 sunt obvia: *Non quaero, quis percusserit; nihil est, Glaucia, quod metuas; non excutio te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor.* Namque in iudicio Glaucia non versabatur. —

§. 104. *paullo tamen occultior*] Particulam *tamen* inserendam iudico, quam video a multis abesse. Fortasse sublata est, quod vacare videretur; sed ita adhiberi solet elegantissime tum a Cicerone, ut pro Quint. c. 26, tum ab aliis. *Facciol.* Hic quoque Gruterum incaute sequitur Graevius, incautius ipsum Verburgius et Olivetus et Lallemandus. Gronovius quoque hic nihil contra Gruterum exclamavit. Varietatem lectionis saltem annotassent. Id solus praestitit Olivetus, Manutio et Lambino illud tamen attribuens; sed pro Lambino Victorium dicere fortasse voluit. Verum ne credas, Manutianum istoc esse; legitur diserte praeter alias in ed. 1480 et in Naugeriana *paullo tamen occultior*, et sic in MSo Iannoctii. *Garat.* Vid. Varr. Lectt.

§. 104. *A nobis contra vosmet ipsos*] Sic legendum, non ut vulgo *a vobis contra vosmetipsos* etc. — *A nobis* autem, id est, *pro nobis*. *Lambin.* *A nobis contra vosmetipsos*] Sic exemplar S. Victoris. Nam Pall. *a vobis*, quomodo et cusi omnes ante Lambinum. Gulielmius libenter removisset litteram *a*, ut fieret *vobis videamini*. *Gruter.* Ego retineo vulgatam lectionem. Est enim *a vobis* quasi ex vobis, sponte vestra, quem-

admodum Graeci dicunt *ἀφ' ὑμῶν;* ut in Ioannis Evangelio XVIII, 34. *ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις; a temetipso hoc dicis.* Simile videtur illud Ciceronis de Orat. I, 24. *Videor non ipse aliquid a me promsisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Adde Plaut. Rud. II, 5, 21. *Ab se cantat, cuia sit. Facciol.* De locutione huic assentior, quamquam in Plauti MSo a Gronovio in margine citato non male legatur *eapse.* Verum illa mihi scrupulum iniicit *ταυτολογία dedita opera, a vobis,* quam lectio vulgata relinquit. Hanc cum considero, facilemque praeterea litterarum *u* et *n* permutationem, qua nihil in MSis certe frequentius, cum denique his accedere locutionis *a nobis* hoc loco elegantem aptumque usum intelligo, unico S. Victoris MSo paene subscribo. Vide Hotom. ad cap. 30. Quae ibi affert exempla, huc facile convolabunt, illinc aufugient. Itaque laetor, Ernesto, quem plurimi omnes merito virum faciunt, idem videri (Ind. Lat. v. *ab*). Nam et cap. 30 illud *ab innocentia* explicat Graevianis exemplis, dum similibus immiscet, et hunc locum, ut est unico in codice, legere non dubitat. *Garaton.* Cod. S. Victor. scripturam *a nobis*, quam interpretes ad unum omnes huic loco unice consentaneam esse iudicarunt, ita ut certe in hac re codex ille instar omnium videatur habendus, tametsi loco movere in animo non est, tamen, quid sentiam, ingenue profitendum est. Comprobata illius codicis auctoritate sententiam verbis inesse negari nequit sat elegantem, tum quod praepositiones *a* et *contra* sibi invicem saepenumero opponuntur optime (cf. §. 85. *et contra audaciam fortissimus et ab innocentia clem.*) tum quod verba *nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret* fere flagitant scripturam *a nobis*, quum nonnisi sic videantur esse explicanda: quis tandem testimonium vestrum, quod *in nos* dicturi estis, quum facta vestra *a nobis* contra vosmetipsos faciant? Verum tamen recte dicunt Latini *stare, esse, facere ab aliquo; facere aliquid ab aliquo* non item. cf. Cic. de Invent. I, c. 48. §. 90. *Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam ab nobis facit.* Vid. Hotom. Annot. ad §. 85. Equidem unum tantum modo excitare potui exemplum apud Cicer. ad Herenn. II, c. 27. §. 43. *Item*

considerandum est, ne aliud accusatoris criminatio contineat, aliud defensoris ratio purget; quod saepe consulto multi ab reo faciunt, angustiis caussae coacti. Neque tamen, ut huius loci auctoritatem amplectamur, ab animo possumus impetrare, quum libri ad Herennium scripti non ab Cicerone, sed ab rhetore potius aevi serioris sint profecti, id quod alio tempore perspicue docebitur. Quae quum ita sint, servare librorum omnium malim verba *a vobis;* quae quidem vel ita possent explicari, ut arcte cum verbis *dedita opera* coniungerentur; sed tamen oratio nimis foret dura. Quare anacoluthon verbis contineri statuimus; etenim orator quum sic esset scripturus: *ut ea dedita opera a vobis contra vosmetipsos fieri videantur*, structuram deinde sic immutavit, uti legimus in codd. fere omnibus, quum antea *vos* scripsisse sibi videretur. Quod si coniecturae locus esset, haec sane pro genuinis possent haberi *ut ea dedita opera vos* et q. s. Namque ultima vocis *opera* syllaba librarii errore geminata quum mendum *a vos* esset natum, librarii rem sibi visi sunt in integrum restituisse *a vobis* emendando.

Cap. XXXVII. §. 105. *qui non norat hominem aut rem*] Saepenumero Latini, id quod nostro loco fecit Cicero, post negationem singula verba particula *aut* solent disiungere; quo efficitur, ut negandi particula in membrum quodque vim habeat suam. cf. pro Leg. Manil. c. 14. §. 40. *Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita gubernandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt.* de Orat. I, c. 5. §. 19. *neque aut praeceptis aut magistris aut exercitationibus — se id — consequi posse confidant.* Tuscull. I, c. 26. §. 65. pro Quinct. c. 4. §. 15. pro Arch. P. c. 6. §. 13. Caes. B. G. IV, c. 29. B. Civ. III, c. 61. Vid. Grys. Theor. L. St. p. 507. Not. 2. Ruhnk. ad Vell. II, c. 45. Cum his non sunt contendendi loci, quibus post negationem inverti solet oratio ita, ut particula *aut* sequatur cum verbo coniuncta peculiari. cf. Virg. Aen. II, v. 778. *Nec te comitem portare Creusam Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.* Ibid. v. 785. *Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbus Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo.* Ibid. IV, v. 336 sqq.

Neque hanc abscondere furto speravi, ne finge, fugam nec coniugis umquam Praetendi taedas aut haec in foedera veni. cf. Aen. III, v. 42. Quibus exemplis quamquam eadem subest ratio atque prioribus, tamen ab solutae orationis scriptoribus non minus sunt aliena quam Ovidianum illud Metam. VI, v. 152 sqq. *Sed enim nec coniugis artes Nec genus amborum magnique potentia regni Sic placuere illi* etc. aut illi versus apud Horatium Serm. I, 9. v. 31. *Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra.* Quae quidem omnia opinor poetae quoque evitassent, nisi numerorum eos coëgisset ad hasce inversiones necessitas. Restat, ut de altera nostri loci dicamus difficultate. Quae quidem in eo cernitur potissimum, quod Cicero verbis *curat Chrysogonus, ut bona veneant statim* id, quod ex iis colligere demum debuit, Chrysogonum antea neque hominem neque rem eius nosse, statim addiderit. Itaque Lambinus post *rem* interrogationis signo voluit interpungi; contra Matthiaeus verba pro *at is non norat hominem aut rem* posita esse arbitratus est et interpretationem suam his fulcire studuit exemplis: de Finib. II, c. 33. §. 108. *quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi, quam corporis — — qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid* (*gaudet*), *plus, quam ego ipse, gaudeat?* pro Rosc. Am. §. 126. Quae quantum ab nostro loco abhorreant, non est, quod addam; neque eiusdem interpretationi, Ciceronem id, quod contra rem aliquam afferat, ei ipsi sententiae adiungere solere, quam velit refellere, est adstipulandum, propterea quod de refellendo sermo non est. Quod quum ita sit, relativum *qui* pro *quamquam is* accipiendum videtur. cf. Cic. Acad. II, c. 2. §. 4. *maiore enim studio Lucullus quum omni litterarum generi tum philosophiae deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur; nec vero ineunte aetate solum, sed — in ipso bello; in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum — otii relinquatur.* de Finib. II, c. 16. §. 52. Quod si nobis dederis, sequentia *praedia concupiscere hominis ignoti* verbis nostris optime respondere facile concedes.

§. 106. *quod suspicionem hanc putetis*] Suspicione hac utamini; sed translate dixit, ut illud insequens ostendit: *non ego ita disputabo;* nam a calculis disputandi verbum sumptum est. *Hotom.* Non opus hac subtilitate. Simpliciter dixit: nihil est, ut putetis esse suspicionem, quod dixi de proditis a Rosciis bonis Sex. Roscii. Est ipsa veritas, non suspicio. *Graev.* Ed. Ven. 1480 sensum hunc satis patentem apertiorem quoque facit, quum habeat: *quod suspicionem hoc putetis.* Qui MSis et editionibus antiquis divites sunt, lectionem hanc examini subiicient, quoque sit habenda loco docebunt. Infra eadem ed. *fidem ac clientelum*, deinde *veru dicere. Garat.* Quam Codd. quinque Oxonn. atque Ed. Venet. scripturam posteaquam comprobavi ita, ut verborum ordini eam inserere statuerem, eamdem vidi ab Steinmetzio, qui etiam in quattuor codd. Pariss. eam investigavit, iam esse receptam; idque laetatus sum mirifice. Multo enim significantius dictum est *hoc putetis*, propterea quod vulgata sensum admittit sanequam ambiguum. Quid enim? nonne vel sic potest exponi? *in hac caussa nihil est, quod suspicionem hanc putetis, — quum profecto alia locum habeat suspicio?* Quod quum ita sit, tot codd. auctoritate firmatam scripturam repudiare noluimus.

§. 106. *Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse*] Memorabilis est codd. sex Oxonn. scriptura *Roscium.* Utramque accurate consideranti certe fatendum est, veri sane videri simillimum, ortam esse *Roscios* scripturam manu librariorum emendatrice, quum *Roscium* cum sequentibus consociari non posse videretur. Quod si posueris, profecto *Roscium* fatebere commode explicari his ipsis oratoris verbis: *nonne perspicuum est, eumdem, qui Ameriam?* vid. §. 105. Ex quibus manifesto colligitur, non Roscios rem detulisse ad Chrysogonum, sed solus ille T. Roscius Magnus, qui caedem Sextianam nuntiavit Ameriam. Neque tam subita illa numeri immutatio plane nova est existimanda atque inaudita, quum eadem fere iam supra sit obvia; cf. §. 104. *nihil opus fuit, te isti credere; neque enim accusatore muto neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paullo tamen*

occultior atque tectior v e s t r a ista cupiditas esset. Qui coniecturis nimis studet, hanc posset comprobata *Roscium* scriptura excogitare emendationem: *Roscium istum*, i. e. Magnum, qui sedet in subselliis. Quid igitur est? Codd. Oxonn. auctoritas num tanti facienda, ut *Roscium* verbis oratoris inseramus? Sed tamen vide, qualis res ista fuerit, quam detulerit iste Roscius ad Chrysogonum in castra L. Sullae. Quod si ad priora attenderis, verbis *nonne perspic.* et q. s. quaestio de caedis Sextianae nuntio ad Chrysogonum misso absoluta videri debet; itaque verba, quae sequuntur *aut rem* sunt intelligenda de amplis occisi Roscii opibus ac divitiis, id quod et sequentia *At qui venit ei in mentem praedia concupiscere hominis ignoti* etc., et quae infra leguntur §. 107. *ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo*, luculenter comprobant. Quae quum ita sint, etiam nostra, de quibus agitur, verba nonnisi de praediis Sex. Roscii possunt intelligi. Quorum cognitio quum Chrysogono facta sit non ab solo Roscio Magno, sed ab utroque, et Magno et Capitone, consectarium profecto debet esse, scripturam *Roscios* unice esse veram atque loco suo minime deturbandam. Restat igitur, ut exponamus, qui factum, ut *Roscium* ex certissima illa scriptura oriri potuerit. Grave sane argumentum iam in eo est conspicuum, quod *rem istam* librarii ad caedem ab unico Roscio Magno in castra delatam soliti sunt referre. Quod argumentum praeterea vel eo confirmari optime existimarunt, quod *rem* de divitiis intelligi non posse opinati sunt vel propterea, quod *opes* vel *divitias ad aliquem deferre* pro *de opibus aliquem certiorem facere* omnino alienum esset ab Latinorum dicendi consuetudine atque latinitati repugnaret. Neque negabimus, non sane usitatam esse hanc loquutionem propter ambiguitatem verborum; sed tamen apud Ciceronem hoc vide exemplum in Orat. pro Planc. c. 41. §. 100. *Qui, quum ad me L. Tubero, meus necessarius, — decedens ex Asia venisset easque insidias — animo amicissimo detulisset, in Asiam me ire — non est passus.* Quae quum ita sint, verba *istam rem — detulisse* minime fuisse tentanda contendimus.

§. 107. *qui indicii partem acceperit*] *Indicium*

pro indicii praemio posuit. Et amare hoc dixit, quoniam indices sunt conscii et participes sceleris. *Hotom.* Huic magnus accedit adstipulator Ernestus. *(Vid. Indic.)* Ego vero a talibus viris aegre dissentio. Tamen indicium pro *indicii praemio* non possum concoquere. Cur non *partem* potius *praemium* exposuere? Sed bene Facciolatus *indicii partem* bonorum indicatorum partem intelligit. Explicat enim mea quidem sententia se ipsum Tullius, dicens continuo *partem in istis bonis.* Sic autem figurate videtur locutus, ut sibi ea invicem responderent *qui indicii partem acceperit*, *qui indicarit;* ut paullo post in eamdem sententiam: *ii obtulerint hanc praedam*, *qui partem praedae tulerunt.* Quod opponitur eleganti illi locutioni *in partem praedae vocare*, de qua Taubmannus ad Virgil. III. Aen. v. 222. aliique plurimi. *Garaton.* Hotomanum et Ernestium sequitur Matthiaeus; nobis una cum Steinmetzio ab Facciolato standum videtur.

§. 108. *ex ipsius Chrysogoni iudicio*] de praemio cape, cuius post mentio. Vid. Clav. in *indicium. Ernest.* Ernestum vide v. *indicium.* Sed hic mihi videtur locus explicari posse simplicius. Rosciorum factum consideremus ex iudicio, quod eo de facto Chrysogonus ipse tulit. Iudicium hoc ex praemiis cognosci dicerem, sed praemia ipsa voce *iudicio* statim significari non dixerim. *Garaton.* Matthiaeo assentior, qui post Ernestium rem dilucide exposuit sic: Chrysogoni iudicium non est, quod verbis explicuit, sed factum aliquod, quo, quid de tota re sentiret, indicavit; igitur hoc loco praemia, quae Rosciis tribuit. Haec ille. Cf. in Catil. IV, c. 3. §. 5. *Haec omnia — vos multis iudiciis iudicastis; primum* et q. s. *postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum Titoque Vulturcio dedistis amplissima.* —

Cap. XXXVIII. §. 109. *quod non eius scelus atque perfidia*] Ita probo, quum in omnibus aliis *eiusce vis* corrupte legatur. *Hotom.* Libri MSS., quod sciam, omnes scripturam *eiusce vis* exhibent, quamquam Hotomanum in paucissimis suis *eius scelus* reperisse coniici possit. Librorum autem vestigia cur tandem ab eodem pro corruptis existimantur? An quod ubique Cicero de

Rosciorum scelere disputarit, de vi non item? Cff. c. 9. §. 25. c. 11. §. 30. c. 40. §. 117. c. 42. §. 122. Ex quibus non patiar umquam loci nostri repeti corruptionem, modo ne verbis ipsis insit quidquam, quod eorum coarguat errorem. At quid est, in quo offendas? An quod vetusta illa usus sit forma orator *eiusce* pro *eius?* Cf. Cic. pro Caecin. c. 34. §. 99. *Quod si maxime iisce rebus adimi libertas aut civitas potest* et q. s., ubi *iisce* in omnibus reperitur libris MSS. cf. Ruddim. Gr. I, p. 203. — Accedit, quod multo significantius dici posse videtur *vis violat sanctum ius* quam *scelus.* Quicquid id est, codicum praeferrem auctoritatem, nisi viderem, eorumdem infringi atque debilitari scripturam vel eo, quod vi soliti sint Latini nonnisi ipsam iniuriam alicui illatam significare; audaciam autem hominis animo insitam et quasi innatam hac vocula esse descriptam umquam, non equidem ausim affirmare; certe exempla non suppeditant. Quod si abesset *perfidia*, posses *eiusce vim* explicare *vim ab eo illatam*, et difficultas illa non foret amplius obvia. Quae vocula quum tentanda non sit, in vulgata videtur esse acquiescendum.

§. 110. *hisce aliqua fretum hora*] *Fretum aura* omnes libri veteres; quorum alterum contextus reiicit orationis, alterum sententia postulat. Nam ut aliqua hora fretus esset Capito, tempus tamen observare aliud legati et occupare potuissent. Nunc *auram aliquam*, dicit aliquem Capitonis fautorem, amicum ac benevolum, de L. Sullae intimis ac familiaribus. *Hotom. Hisce aliqua fretus aura*] Sic reperi scriptum in libris manuscr. et ita legendum puto potius, quam ut vulgo *aliqua fretus hora*, Quamquam Ren. Boëmoraeus lectionem vulgatam tuetur. Vult enim probare Cicero, inquit ille, Capitonem aliqua semper occasione fretum, socios legationis elusisse et eis aditum ad Sullam interclusisse. Semper enim *πρόφασιν* aliquam habebat, ne illi Sullam convenire possent, verbi caussa, Sullam aut dormire aut valetudini operam dare aut in aliquo negotio serio occupatum esse. Ego maneo in sententia et per *auram* significari arbitror caussam sive *πρόφασιν* aliquam speciosam, inanem ac fallacem, instar venti; vel aliquam rem inanem et ventosam; vel,

ut quidam malunt, hominem aliquem gratiosum et potentem et fortunatum, qualis erat Chrysogonus. *Hora* tamen non damno, si quis forte malit; ut per *horam* tempus intelligamus potius et partem temporis, quam καιρόν. *Lambin.* *Hisce aliqua fretum hora semper omnes aditus ad Sullam intercludere*] Ita legit hunc locum Victorius. At Manutius habet *fretus*, nihilo meliore sententia. Pantagathus pro *fretus* reponebat *fretis*, optima, ut ei videbatur, sententia. *Ursin.* S. Victor. *fretum ora;* inde lego *remoram*, *procrastinationem*, aut simile quid. *Gruter.* Locus procul dubio mendosus, qui sine meliorum librorum ope restitui non potest. In ed. 1472: *Hisce aliqua fraetum hora.* Pal. prim. *hisce aliqua fretum ora.* Non dubito, quin *mora* Cicero scripserit, quod et Paullus animadvertit; sed praecedentia verba ut constitui possint, non video. Forte: *hisce aliqua ficta mora*, quam fingebat, ut illos moraretur, ne admitterentur ad Sullam. *Graev.* Commoda sententia non elicitur; reponi posset usitato genere loquendi *Aliqua facta mora. Manut.* Semper Capito aliquod Sullae impedimentum comminiscebatur, quo fretus in singulas horas legatis aditum impediret. Duo verba moverunt difficultatem interpretibus *fretus* et *hora*. Quod ad primum, Ursinus, *fretum*, ait, legit Victorius; at Manutius habet *fretus*, nihilo meliore sententia; meliore tamen, inquam ego, constructione. Quoties enim infinitus modus ita effertur, persona agens primum casum tenet; cuius rei infinita sunt exempla, praesertim apud historicos, quibus familiarissima est haec loquendi figura; casus autem ille primus regit verbum, quod tacetur per ellipsim, v. 9. hoc in loco *pergebat.* Miror proinde, praestantissimos viros fere omnes secutos esse Victorium et ea exemplaria, quibus Victorius deceptus est. Quod vero ad alterum attinet, ego ab iis libentissime sto, qui nihil mutant. Non enim video, cur horae nequeant usurpari pro negotiis ipsis, quae qualibet hora fiunt, quemadmodum a Quintiliano VI, 4. Asinius Pollio dictus est *omnium horarum homo*, quod idem semper esset omnibusque negotiis tum seriis tum ludicris accommodatus. *Facciol.* *Aliqua fretus hora*, nempe opportuna aliqua occasione adeundi Sullam, quum diceret, *se ten-*

taturum aditus et mollia fandi tempora, ut ait Virgilius. Hunc locum viri quidam docti frustra sollicitant. *Lallemand.* Ut nunc quidem sese habet haec res, eo nos ratio codicesque ducunt, ut legamus: *aliqua fretus hora* aut *aliqua fretus mora;* utrumvis legas, eadem erit sententia, modo *fretus* cum Facciolato retineatur, licet plurimi codices editionesque repugnent; in quibus cum *fretum* sit, non obscure inest *fretus mora*, ita ut una exciderit litterula *s*. Hoc ut explicetur, verba illa cap. 9. *nam statim Chrysogonus* etc. considerentur. Patet ex iis, Chrysogonum et Capitonem magnopere timuisse, ne legati ad Sullam adirent fraudemque detegerent, nec se putasse ita posse hos ad illum aditus intercludere, ut, si vellent, denique legati Sullam non convenirent. Itaque et Chrysogonus ibi, ut hic Capito iis verbis *isto hortatore* etc. summo studio magnisque promissis egisse dicuntur, ut legati Sullam nollent adire. Quid igitur eos aditus intercludendo actum est? Nihil sane, nisi in summo metu aditionem illam semper differre, horam aliquam auferre et carpere, moram lucrari, periculum interim avertere. *Fretus* porro illa hora illave mora Capito tum Chrysogoni potentia tum promissis vanaque oratione atque insidiosa a Sullae conspectu legatos arcebat; confidebat enim, fore id, quod evenit, ut ii denique mendaciis eius perfidiaque decepti Sullae adeundi consilium deponerent, *pro re certa spem falsam referrent*, *Ameriam re inorata reverterent. Garaton.* — *Aliqua fretus hora*] Sic edd. pro MS. Gu. Paul. Manutius edidit *fretum*, sed nec illa lectio bona, quae nullum sensum commodum dat. Et variant libri etiam in *hora* verbo. Graevius coniecit: *aliqua ficta mora*; eleganter; certe sensum commodum habet. Forte et *caussa* verum sit, qui libri quidam, ut Junt, habent *aura*. *Ficta caussa* est, quae impedire Sullam diceretur, quare legatos admittere et audire non posset. *Hora* defendit Facciolatus, ut dictum pro re, quae hora quaque fit. Quod est sane durum. *Ernest.* Pantagathi coniecturam Schellero comprobatam (cf. Observatt. p. 45.) recepit Matthiaeus; interpretes recentissimi in scriptura *aliqua fretus mora* acquieverunt. Sed tamen ad unum illud non videntur attendisse, quod sane, ut diligentius

expendatur, dignissimum est. Etenim prae ceteris quaerendum, qua tandem ratione Capito omnes aditus intercludere potuerit legatis. Quod si Chrysogonum spectaret oratio vel si Capito ianitor Lucii Sullae esset aut pedissequus, illud profecto non quaereretur, quum, qua ratione tum factum hoc esset, per se posset cogitari facillime. Verum tamen ne minima quidem quum exstet usquam suspicio, L. Sullam habuisse ullam Roscii Capitonis notitiam, consectarium est, eumdem minime potuisse hoc illudve L. Sullae negotium comminisci, quo legatos ab aditu impediret. Namque si commentus esset, profecto ei verendum fuisset, ne propter hanc ignorationem mendacii eum legati arguerent. Dicent fortasse, qui repugnabunt, ab Chrysogono eumdem omnia Sullae negotia potuisse edoceri facillime, ita ut, quae mentiretur, pro veris accipere legatos oporteret, utpote quae ab Chrysogoni, Sullae liberti, amico proferrentur. Quae quominus comprobentur, vel illud est impedimento, quod oratoris verba sic nobis describunt Capitonem, veluti qui sua ipsius ductus perfidia et Chrysogonum ad scelus impulerit et legatos deceperit. Huc vel maius illud accedit, quod, ubi legati essent suspicati, Capitonem conspirare cum Chrysogono, occisi Roscii inimico, atque sibimetipsis hac rei dilatione misere imponi, eiusdem verbis fidem certe non habuissent. Quod argumentum ut refutes, cave, ne proferas, quae leguntur §. 26. *quumque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis erat, appromitteret.* Quae quum ita sint, illud cumprimis studendum Capitoni fuit, ut legati perfidiam suam ne perspicerent atque adeo ne opinarentur, se decipi ullo modo ab socio; quin potius in eo elaborandum fuit Capitoni, ut pro accerrimo rei petendae haberetur defensore. Unde consequitur, quum Ciceronis verba neque ad Chrysogonum spectent neque Capito Sullae sit ianitor, id vel maxime quaeri oportere, qua ratione effecerit Capito, ut legati Sullam non adirent. An quod iste fretus erat aliqua mora horave? Minime. Neque lucrabimur quidquam, ubi Pantagathi emendationem comprobarimus, quum eadem intercludendi rationem non reddat. Quod quum ita sit, reliqui interpretes, qui aut *ficta mora* aut *facta mora* aut *ficta caussa* proposu-

erunt, aliquanto propius ad verum accessisse dicendi sunt; quamquam rem tetigisse eos non arbitror. Quod si fides Hotomano et Lambino, multi codd. exhibent *aliqua fretum* vel *fretus aura.* Quid multa? emendo: *hisce aliquo fretus auro*, *semper* et q. s. Quam si volueris accurate examinare emendationem, fatebere, sic demum optime perspici perfidiam Capitonis atque malitiam. Etenim sententia haec est: Capito etsi quotidie una cum sociis Sullam adire studebat, tamen aliquo fretus auro, quod ab semet ipso oblatum erat iis hominibus, qui aditus ad Sullam custodiebant, legatos non esse umquam Sullam conventuros confidebat; sibi igitur ipsi speciem honestatis servabat, legatis autem perfidiose aditus omnes auro intercludebat. *Aurum* pro nummis aureis dictum est. Cf. Cic. pro Cluent. c. 64. §. 179. *in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri.* pro Flacc. c. 28. §. 68. *ante pedes praetoris in foro expensum est auri pondo centum* etc. Voculam *semper* ab Facciolato et Orellio prioribus adiunctam arcte cum sequentibus coniungo, ita ut propria eiusdem vis vel ita sit conspicua: legati quamquam saepe conati sunt in Sullae conspectum venire, tamen semper aditus deprehenderunt sibi interclusos. —

§. 111. *in his operae nostrae vicaria*, *fides amicorum*, *supponitur*] Quorum verborum duplex est et interpungendi et interpretandi ratio; aut enim *vicaria* pro substantivo habetur aut sequenti *fides* adiicitur. Nos quidem priorem amplexi sumus rationem, propterea quod, quum addita videamus *in his*, verba *operae nostrae* malimus accipere pro genitivo, quam pro dativo. Si omissa essent *op. nostrae*, rationi alteri lubenti animo essemus adstipulati. —

Cap. XXXIX. §. 113. *Ignominia mortuum afferit*] Sine dubio tale quippiam desideratur: *vivum fortunis everterit*, vel *vivum bonis spoliarit. Hotom. Ignominia mortuum*] Deest alterum membrum, quod ita respondeat *fortunis vivi*, ut *famae mortui ignominia m.* Expleri *damno vivum*, sed cum nota emblematis, ut tamen sensus integer esset. Et id posui primo loco, ut Chiasmus fieret, qua figura in talibus libenter utitur Cicero. Hottomannus explere tentavit integra phrasi;

non bene; nam et in antecedente est tantum una, et fortuna et fama ad communia praedicata referuntur. *Ernest.* Quam hic lacunam viri docti sagaciter adesse persenserunt, eam denique Jannoctii explet codex omnino praeclare. Sic enim in eo legitur oratione continua: *Cum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae, ignominia mortuum, egestate vivum affecerit.* Nobis licuit esse tam felicibus, ut hoc proferremus. Sic cap. 49. de eodem Sex. Roscio *vitam in egestate degere* et cap. 5. *Caussam dicit, is cui non modo luctum mors patris attulit verum etiam egestatem.* Sic denique in hac oratione senties. *Garaton.* *Egestate vivum* e cod. Jannoctii recep. B. Sch. 2. W. M. Videtur tamen ingeniosum Itali supplementum. *Orell.*

§. 113. *Atque adeo inter vivos numerabitur*] Sensus est: non modo inter homines honestos, sed etiam inter vivos; quae sententia inepta est; hoc tamen particulae illae *atque adeo* significant. Quare corrigendum sic putarem: *atque adeo inter viros.* Nam hoc modo *viri* nomen ab *hominis* distinguit, scribens ad Q. Fratrem: *Sed quum veneris, virum te putabo; si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo.* Et Tusc. II. *Ita et tulit dolorem, ut vir; et ut homo, maiorem ferre sine caussa necessaria noluit.* Et similem Graeci inter *ἄνδρα* et *ἄνθρωπον* differentiam statuunt; ut apud Xenophontem in Tyranno: *οἷς δὲ ἐμφυῆ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, οὗτοί εἰσιν ἤδη οἱ πλεῖστοι μὲν τῶν βοσκημάτων διαφέροντες· ἄνδρες δὲ καὶ οὐκέτι ἄνθρωποι μόνον νομιζόμενοι.* *Hotom.* Nihil contra fidem librorum muta. Sententia est: is non modo honestatem amittat, sed vitam ipsam. Dignus est, qui non modo ex honestorum, sed vivorum numero expungatur, qui tanti criminis reus est. *Graev.* Quam Graevii interpretationem praeter Schuetzium, qui rem sagacissime perspexit, omnes hodie comprobarunt editores. Sed tamen non viderunt, Graevium sententiam oratoris accurate explanasse, verba ipsa, ubi regulas spectas grammaticas, non item. Etenim certum est atque exploratum, particulis *atque adeo* ubique praecedentia magis magisque adaugeri, ita ut respondeant nostris *oder vielmehr.*

cf. c. 10. §. 29. *hoc consilio atque adeo hac amentia.* Cic. in Verr. III, c. 8. §. 19. *cum maximo detrimento atque adeo exitio.* Ibid. §. 20. 21. Vid. Zumpt. L. Gr. §. 734. p. 550. Quod quum ita sit, nostro loco sic loqui debebat orator: *is inter honestos homines atque adeo inter honestissimos numerabitur?* Quod quum persentisceret Schuetzius, reposuit *viros bonos*, motus, ni me fallit coniectura, his oratoris verbis: *Recte iam maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* cf. §. 116. — Quam Schuetzii emendationem aliqua ex parte hoc quo que confirmari exemplo perspicuum est: Cic. in Verr. I, c. 49. §. 128. *Quid est aliud omnibus omnia peccata et maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere?* Matthiaeus, ut Graevianam explicationem confirmaret, particulas *atque adeo* pro *immo* accepit; male; verba enim *atque adeo inter* etc. interrogantis sunt, non respondentis. Neque Hotomani commentum poterit comprobari, propterea quod voci *homines* additum est *honestos.* Quid igitur est? Schuetzio num adstipulabimur? Minime; nimis enim haec coniectura recedit ab codicibus, qui ad unum omnes vulgatam tuentur. Accedit, quod loquutio *inter vivos numerare* iuveni Tullio videtur in deliciis fuisse, quum eadem iam in Orat. pro Quintio usus sit c. 13. §. 43. *ne numeretur inter vivos?* Rem igitur ut explanemus, figuram verbis inesse statuimus, quam vocant ὑστερολογίαν; quocirca nobiscum expone verba sic: *is inter vivos atque adeo inter honestos homines numerabitur?* Interrogatio autem praeclare nos docet, oratorem hoc mente comprehendisse atque cogitatione: profecto dignus iste est, qui non modo inter honestos homines, sed ne inter vivos quidem numeretur. Quae quidem cogitationis inversio etiam illud effecit, ut in ea verborum structura, qua hoc loco usus est orator, verba *inter vivos* posteriore loco collocaret. Perspicuum igitur est, Ciceronem, ut cogitationem animo informatam exprimeret oratione, alia usum esse, atque voluerit, verborum structura.

§. 113. *In crimen mandati iudiciumque infamia revocatur*] Sic omnes libri veteres. Impressi ex ingenio,

ut opinor, correcti *iudiciique infamiam.* Ego sic corrigerem *in crimen mandatique iudicium infame revocatur.* Etenim *infame* sic accipio, ut priore pagina semel atque iterum *iudicium turpe*, pro eo, quod infamiam ac turpitudinem affert. Sic etiam passim loquitur, ut in oration. pro Caecina et pro Q. Roscio multis locis. *Hotom. In crimen iudiciumque infame vocatur*] Sic restitui, coniectura haud dubia ductus. Judicium autem infame est, quod alibi turpe appellatur, ut pro Caecina (c. 3. §. 8.). *Est enim turpe iudicium; et factum quidem turpe.* Et paullo ante (pro Rosc. A. c. 38. §. 111.): *itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti.* Turpia autem iudicia sunt, quae infamiam ei irrogant, qui iis iudiciis damnatus sit, qualia sunt mandati, pro socio, tutelae, fiduciae, furti, et si qua sunt eiusmodi. Quod autem Ren. Boëmoraeus mavult legi *in crimen mandati iudiciique infamiam revocatur*, Claudius Puteanus vero *in crimen iudiciumque infamiae vocatur*, neutra lectio placet. Nam, ut de hac posteriore loquar, *iudicium infamiae*, Latine dici non potest; neque simile est, quod Latini dicunt *iudicium capitis*, aut *iudicium existimationis.* Nam *iudicium capitis*, *famae*, *existimationis* etc. Latini dicere solent, *iudicium infamiae* non item. *Lambin. Infame* olim Faërnus, a quo emendationem accepit Lambinus; sed videndum, num melius sit *iudiciique infamiam. Ursin. Judiciumque infamia*] Sic vett. editt. Sic plerique MSS. etiam Pal. prim. Nam ceteri nostri *iudiciumque in fama.* Guilielmus divinabat *iudiciumque in familiare vocatur*, hoc est, ad arbitrum. *Gruter.* Censeo nomen *mandati* non suo loco in libris poni legendumque: *negligentia mandati in crimen iudiciumque revocatur.* Illud *infamia* videtur esse interpretatio vocis *crimen*, quae in textum irrepsit. Sed sine libris nihil affirmo. *Graev.* Plerique ad Graevium usque habent *iudiciumque infamia.* Sed hinc nullus erui potest sensus, ut omnes ultro fatentur. Ego secutus sum editiones Gryphianas, ut alias non minimae auctoritatis, legens *iudiciique infamiam;* quas vidit Hottomannus ipse, licet non probarit. *Facciol.* Hunc secuti sunt Olivetus et Lallemandus. Sic etiam in editionis Lambi-

nianae repetitione repositum fuit, coniectura eius, ut fiebat, ad marginem amandata. Sed locus hic absque MSis haud facile sanabitur. *Garaton.* *Negligentia in crimen mandati* etc.] Alii aliter. Graevius sic haec corrigenda putat: *negligentia mandati in crimen iudiciumque revocatur. Infamia* pro glossa criminis habet, eaque est optima, quam nos quidem cognovimus, coniectura. De *infamia* non valde repugnem. In ceteris nil mutem, etsi et ante negligere mandatum dixit. *Crimen mandati* commode dici potest, sicut actio, iudicium mandati, intellecto male gesti, violati etc. Ed. Gryph. *iudiciique infamiam*, quod probat Facciolatus. Ea lectio est e coniectura, non illa contemnenda; nam ante dixit, iudicium mandati turpe esse, c. 37. Etsi iudicium sic nude poni in tali re non solet, tamen id hoc loco oratorie fieri potuit. *Ernest.* Edd. Gryph. scripturam Facciolato aliisque comprobatam *in crimen mandati iudiciique infamiam* etiam Beckius recepit; eidemque adstipulatus est Matthiaeus, nisi quod *mandati*, utpote quod explicandi caussa ab aliquo additum videatur, eiecit et pro *revocatur* reposuit cum Lambino, Puteano, Guilielmo et aliis *vocatur.* — Verba sic excudenda curavit Orellius *in crimen* [*mandati*] *iudiciique infamiam revocatur.* Steinmetzius cod. Balliolensis scripturam recepit, quam Manutium etiam emendando videmus invenisse, *in crimen mandati iudiciumque infamiae revocatur.* Ex tot coniecturarum opinionumque colluvie quum non possimus seligere ullam, quae Tullii verbis inseratur tamquam genuina, plurimorum codd. vestigia excudi volumus haec: *in crimen mandati iudiciumque infamia revocatur.* Sed tamen ut dicam, quid sentiam, haec viris doctis expendenda trado. Cicero posteaquam de Capitonis perfidia disputavit atque malitia, illud recte exposuit, maiores mandati constituisse iudicium, quo infamarentur ii, qui mandatum violassent vel neglexissent. Quod quum ita sit, profecto mirum videtur, quid sit, quod nostro quoque loco haec tam verbose explicarit *in crimen mand. iudiciumque infamiae* etc. Profecto satis fuisset, ubi iudices, qui, quid vellet orator, per se intelligebant facillime, Tullium audissent haec dicentem: *etiam negligentia notatur infamia*, *propterea quod* etc.

Quare verba *mandati iudicium* pro librarii alicuius interpretamento accipio, quod ex superioribus (cf. §. 111. *itaque mandati constitutum est iudicium)* margini adscripsit, ut haec Tullii genuina verba explicaret: *in crimen infamiamque vocatur.* Interpretamento autem in verborum ordinem recepto orta scriptura haec est *in crimen mandati iudicium infamiāque vocatur;* en! habes codd. Parr. scripturam, nisi quod ibidem ex *que vocatur revocatur* effictum est; eamque posthac librarii mutarunt ita, ut in plerisque hodie libris legitur *iudiciumque infamia revocatur.* Loquutionem *in infamiam vocare* quamquam non habeo, quibus tuear exemplis, tamen id impedimento non est, quo minus Tullium hoc loco sic scripsisse existimem. Namque loquendi formula *in crimen vocare* quum sanequam sit usitata (cf. Cic. in Verr. V, c. 50. §. 133. *iccirco a me in crimen et invidiam (f. in invid.) vocari)* eadem hoc loco ita usus est orator, ut priori *crimen* adderet *infamiamque.* Neque video, cur Latini, quum dixerint *in invidiam vocare* (cf. pro Caecin. c. 23. §. 65. pro Rabir. c. 7. §. 20.) dicere non potuerint *in infamiam vocare.* Namque *in invid. voc.* est *invidiam in aliquem excitare; in infam. voc.* autem *infam. in aliquem congerere.* Sed tamen nobis repugnabit Steinmetzius, qui haec protulit: „Graevius autem *negligentia mandati in cr. iud. que revoc.* legendum censuit. Perperam. nusquam enim genitivus *mandati*, sed potius appositum nomen *actio* vel *iudicium* omittitur; hinc loquendi formulae: *mandati agere, manda teneri*, i. e. actione mandati neglecti, obviae apud iuris consultos sunt. Vid. Gai. III, 155. Cst. 10. C. 4, 35. fr. 12. D. 17, 1.“ — Quid igitur? manus num dabimus? Minime. Namque *in crimen vocare* quum nihil aliud significet, nisi *alicui aliquid crimini dare* (cf. in Verr. l. l. pro Caec. l. l. pro Rabir. l. l.) verba nostra sic interpretor: *etiam negligentia crimini datur atque infamia notatur.* —

§. 113. *Si propterea quod, si recte fiat, illum negligere*] *Si* pro *an*, ut apud Terent. in Heaut. I, 1, 118. *Visam si domi est.* Et apud Plautum in Milite Glor. II, 5, 26. *Philocomasium dicere nomen, si iniuria est? Hotom. Propterea, quod, si recte fiat*] Nihil

mutandum. Neque vero *si* positum pro *an*, quod putavit Hottomannus, sed pro particula conditionali, ut proprie poni solet, ut sit Ciceronis sensus: negligentia (inquit M. Tullius) eius, cui negotium mandatum est, in iudicium turpe vocatur; id est, si is, cui negotium mandatum est, negligenter illud negotium administraverit, aget cum eo mandati iudicio is, qui mandavit; et, si probarit iudicibus, illum rem mandatam negligenter administrasse, damnatus ille ignominia afficietur. Quid ita? quia, si recte fiat, id est, si is, cui res mandata est, officium faciat et munere fungatur boni viri, oporteat eum, qui mandavit, negligere rem, quam illi mandavit, et, quod ad eam rem attinet, in utramque aurem dormire, in illius denique cura, diligentia ac fide acquiescere. *Lambin.* Editio anno 1472: *infamia revocatur*, *propterea quod*, *si ratione fiat*, *illum negligere oporteat;* quod sane non contempserim. Nam Ciceroni *ratione fieri* dicuntur, quae recte fiunt, superius orat. pro Quintio, c. 7. §. 28. *modo et ratione omnia facere.* Juven. Sat. 10, v. 4. *Quid enim ratione timemus Aut cupimus. Graev.* Cum ed. 1472. ed. Ven. 1480. plane consentit. *Garaton.* Particulam *si*, quam ante *propterea* ab Hotomano collocatam videmus, nemo interpretum praeter Beckium commemoravit, ita ut, in quibus codd. vel edd. vett. ea reperiatur, omnino ignoremus. Beckius autem quum addiderit, eamdem ab aliis pro *an*, pro particula conditionali ab aliis esse acceptam, videntur ei nonnisi Hotomani et Lambini interpretationes ob oculos esse versatae. Sed tamen non vidit, Hotomanum alteram demum *si* voculam, quae ante *recte* locum habet, pro *an* accepisse, ita ut verborum structura haec esset: *propterea quod eum oporteat negligere*, *si recte fiat* etc. Quae quidem interpretatio iure refutata est a Lambino. Ceterum quam sit negligenter in his versatus Hotomanus, dilucide verba testificantur ex Plauti Milit. Glor. ab eo allata, quae sunt legenda sic: Ph(ilocomasium). *Glycere nomen est.* Pa. *iniuria es.* Pro *Pa.* quum edd. vett. praebeant *Sc. (Sceledrus)*, Hotomanus illud suum *si* excogitavit. Restat, ut de verbis *si recte fiat* dicamus, quae male explicavit Lambinus; male explicata repetiit Matthiaeus. Namque Lam-

bini explicatio si vera esset, profecto verba aut sic legeremus scripta: *si recte faciat is, qui mandatum recepit* aut *si recte fiant (res minimae privataeque).* Deinde plane perversa est propter sequentia: *non illum qui mandatum receperit.* Etenim ubi is, qui mandatum recepit, boni viri revera fungitur officio atque rem strenue gerit mandatam, is demum, qui mandavit, negligens potest esse. Insulsum autem foret, si velles iam addere *non is, qui mandatum recepit*, propterea quod tum pessum daretur prior sententia, res mandatas revera strenue geri atque diligenter. Perspicuum autem est, his oratoris verbis hanc fere contineri sententiam: Rei mandatae negligentia vel maxime vituperanda est, propterea quod, tametsi eum, qui mandarit, veri simile non est rei suae alteri mandatae esse prorsus negligentem, tamen, si recte fiat i. e. si ordine f. (cf. pro Quint. c. 7. §. 28. *recte atque ordine factum videtur)* i. e. si velis rem diiudicare subtiliter et ad certam normam ac rationem exigere, uter debeat rem negligere, eum potius negligere oporteat et in fide alterius acquiescere, qui mandarit, quam qui mandatum receperit. Similiter nos fere dicimus: *wenn's recht geschiehet.* Cf. Ernest. ad h. l. Quod quum ita sit, multo sane res significantius dicta est, ubi *ratione* ab Cicerone esse profectum statuimus. Vid. infra c. 45. §. 132. *ratione dispositam se habere existimant.* ad Attic. XII, 44. §. 3. *Quod domi te inclusisti, ratione fecisti.* Vid. Matth. Sed tamen id ipsum argumento nobis est, praesertim quum libri plurimi *recte* praebeant, scripturam *ratione* potius, quam *recte*, pro interpretamento esse habendam. Steinmetzio igitur assentimur, qui ex codd. *recte* verborum ordini inseruit. —

§. 114. *damnatus per arbitrum*] Sic libri omnes praeter Scholiastam Veterem, qui *per arbitrium* affert. Quae quidem scriptura non est spernenda, praesertim quum revera eum sic legisse eiusdem doceat ceteroqui non probanda interpretatio: *id est iudicio omnium.* Iudex autem veluti respondet iudicio, ita arbiter arbitrio. Cf. Cic. pro Rosc. Com. c. 4. §. 10. *iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae.* Ibid. §. 11. *quid est in iudicio? directum, asperum, simplex: si paret,*

HS Iↄↄↄ *dari; — quid est in arbitrio? mite, moderatum: quantum aequius, melius, id dari.* Topic. c. 17. §. 66. *in omnibus igitur iudiciis, in quibus ex fide bona est additum, ubi vero etiam ut inter bonos bene agier, imprimisque in arbitrio rei uxoriae, in quo est quod aequius melius, parati esse debent.* de Offic. III, c. 15. §. 61. *in arbitrio rei uxoriae melius aequius.* Pro Quint. c. 3. §. 13. *qua in re ita diligens erat, quasi ii, qui magna fide societatem gererent, arbitrium pro socio condemnari solerent*, ubi Hotomanus restitui voluit *arbitrio*, ita ut similis esset structura loquutioni *iudicio damnare.* cf. Phil. I, c. 9. §. 21. Non probo. Unum illud me commonet, ne temere Scholiastae admittam scripturam, quod nusquam equidem neque *per iudicium* neque *per arbitrium damnare* me legere memini, quamquam ne inusitate quidem dictum foret, quum Latini *per iudicem, per arbitrum* dixerint saepius. cf. pro Rosc. Com. c. 9. §. 25. *quem per arbitrum circumvenire non posses, — hunc per iudicem condemnabis?* Mirum autem est, quid sit, quod Gesnerus quoque, tametsi ab nemine hoc loco scripturae discrepantia sit annotata, in Thes. v. *damnare* verba nostra sic laudarit: *per arbitrium damnari.*

§. 115. *publice Roscio mandatus est*] Nescio, cur *Roscio* post *publice* omitti Hotom. voluerit, ad vim orationis necessarium. *Beck.* Hotomani annotationem equidem investigare non potui; eum autem exstingui voluisse *Roscio* tum propter antecedens pronomen *ei* tum quod statim sequatur *T. Roscius*, facile intelligitur. Sed tamen nihil mutandum; nisi forte cum Schuetzio, Matthiaeo scribere volueris *T. Roscio.* Praeter Hotomanum etiam Facciolatus vocem *Roscio* abundare contendit.

Cap. XL. §. 116. *Cum per eius fidem laeditur*] Putat quidam legendum *per eius fraudem* seu *per eius perfidiam*, sed nihil arbitror mutandum. Nam *per eius fidem*, hoc est: per eam fidem, quam ei habet. Itaque hoc totum cum *per eius fidem laeditur*, sic explico: cum laeditur eo, quod ei credat et fidem habeat. Atque ita loquuntur alii boni scriptores, in his Plautus in Mostell. *Lambin.* Cf. Cic. de Inv. I, c. 39. §. 71. *qui*

saepe numero nos per fidem fefellerunt. Vide Matth. ad h. l. —

§. 116. *socium cavere qui possumus?*] Eliminavi *τὸ vero* volentibus omn. Parr. Ox. *χ.* ed. Romana. Istas particulas saepe a glossatoribus additas esse satis constat. v. Orat. I, 9. 37. et Beier. ad Off. I, 4. et 31. *Steinm.*

§. 118. *ubi multa avare — videbitis*] Sic Parr. omnes, Oxonn. tres, edd. Rom. et Venet. pro Vulg. *videtis.* Quae quidem scriptura ab nobis non esset repudiata, nisi codd. auctoritas hoc fere flagitasset. Licet enim sequatur imperativus futuri *putatote*, tamen recte se habere *videtis* pro *videbitis* haec comprobabunt exempla: Cic. in Catil. I, c. 2. §. 5. *qui si hic permanent, mementote non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos.* Sallust. Catil. c. 58, 9. *Si vincimus, omnia nobis tuta, commeatus abunde, coloniae atque municipia patebunt.* Liv. V, c. 4. *Perficietur bellum, si urgemus obsessos.* pro Rosc. Am. c. 53. §. 153. *hanc vero — nisi hoc iudicio a vobis reiicitis et aspernamini, videte, per deos immortales, quem in locum rem publicam perventuram putetis.* Qui Ernestium sequuntur, hoc quoque loco *videritis* intro dabunt. Vide, quae ad §. 12. annotavimus.

§. 118. *Ibi scelus quoque latere*] Legendum videtur *ibi id scelus quoque latere*, ut paullo ante: *in his tot tantisque flagitiis hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, reperietis.* Sic scribendum esse clare quoque sequentia ostendunt. *Graev.* Ursinus, Facciolatus, Lallemandus huic adstipulantur et vere ita legendum, invitis licet MSis. *Garaton.* Repudiato Graevii commento verissimam librorum omnium scripturam servare voluimus. Etenim recte Beckius, Orellius aliique absolute dici verba monuerunt, id quod vel maxime ex antecedentibus *etenim quaerere ita debetis* apparet. Sensus autem est, verisimile esse, eum scelus quoque admisisse, qui multa avare, audacter, perfidiose fecerit. Qui id scelus, de quo iudicium est constitutum, spectari sibi persuadebunt, iidem corrigent *id quoque scelus;* vide supra *hoc quoque maleficium.* Quamquam enim

loci passim sunt obvii, quibus particula *quoque* aliter videtur posita esse, quam plerumque poni solet, cf. annot. ad §. 52., tamen inusitatam hanc collocationem negamus emendando esse ullo modo imitandam.

§. 118. *Si quod illorum forte dubitabitur*] Sic postulat verbum *convincatur.* Vidi tamen, qui corrigendum putarent *si quo de illorum*, quorum sententiam locus ipse refellit. *Hotom.* Franc. Prim. *Verum ex hoc, si quod de illorum sorte dubitabitur, convincatur. Graev.* Si etiam in ed. 1480. errore manifesto. Nam *de* profluxit ex ultima littera verbi *quod;* tum ex *forte* imperite factum est *sorte*, quasi nomen praepositioni *de* quaerendum esset. Unde illa demum dura et invenusta emendatio *quo de illorum* pro *de aliquo illorum.* Rectam lectionem dederat iam ipse Naugerius. *Garaton.*

§. 118. *A gladiis recessisse*] Ita probo, quum in aliis omnibus scriptum sit *a gladiatore cessisse.* Sensus autem hic est: num ille ludi gladiatorii magister artem desiisse videtur? *Hotom.* MSS. nostri editionesque, item cusae praeside Victorio *a gladiatore cessisse.* Facile fuerit emendare repetita syllaba: *a gladiatore recessisse.* Alterum tamen videtur potius, si modo ortum debet libris pluteariis. *Gruter.* Recte MSS. etiam quos ego vidi: *a gladiatore Graev.* Certa emendatio, quam Olivetus sine caussa repudiavit. Fundus eius emendationis est etiam in ed. Veneta, quae habet *a gladiatore cessisse. Garat.* Coniectura *a gl. recessisse* etiam ex eo magnam veritatis speciem adipiscitur, quod verbo composito *recedere* infra *concedere* videtur respondere.

§. 118. *aut is discipulus*] Rectius putarem *hic discipulus*, ut T. Magnum demonstret, qui in accusatoris subselliis sedebat. *Hotom.* Editiones SS. exhibent *is*, alii dederunt *hic*, optimi ii quidem, quod ad sententiam. Verum aut vox *iste* inventa ipsa in MSis fuit, quod tamen a nemine notatum vidi, aut certe vel ex eo est admittenda, quod alteri *is* propius accedit. Nam *τὸ is* T. Magno praesenti non convenit, ut vidit Hottomannus, cui adde Ferratium ad c. 7. Convenit autem tam *hic* quam *iste.* Vide etiam cap. 6. in fine, ubi Capito similiter *lanista* et *gladiator* et Magni dicitur *Magister.* Garaton.

Cap. XLI. §. 120. *Neque enim, quum de hoc quaeritur, vos dominos esse dicitis*] Iacet vox *enim* et meo iudicio, ut otiosa et supervacanea, inducenda est; ut illa in vetustis codicibus *vos enim dominos esse dicitis. Hotom.* Renatus Boëmoraeus legit *neque quum de hoc quaeritur, vos eum dominum esse dicitis. Lambin.* Vetus liber *dominum* pro *dominos. F. Ursin.* Deleta voce *enim* lege cum Lambino *vos eum dominum esse dicitis.* Et sic habet Ursini vetus liber, cui proxime accedunt nostri codices, in quibus scribitur *vos eum dominos esse dicitis. Lallem.* Quod est in vett. edd. et in Veneta ipse legi, *vos enim dominos*, hanc lectionem firmat; apparet, id ex *vos eum* esse ortum. Assentior Lallemando aliis etiam de caussis sane potioribus. Primum enim quum Roscii aiebant, *in dominos* quaeri non debere, se ipsos et Chrysogonum dominos videntur esse professi. Neque enim Chrysogonus servos omnes habebat, quum Cicero *apud vos ipsos* esse in honore dicat, neque Roscii omnia illi dederint. Sed voce *dominos* designetur, si ita placet, solus Chrysogonus, bonorum emptor, cuius nomine iam diu Roscii abutebantur. *Cum de hoc quaeritur*, ipse dominus, non Roscii dicantur. Quid hoc ad rem pertinet? *Sex. Roscius reus est* significat: quaeritur in Sextum. Quam ergo inepte illa sequentur: *neque enim vos dominos esse dicitis.* Quasi quaeratur in Titos. Quod si in hos quaeri Tullius volebat dicere, cur Sextum nominavit? Sed in nostra lectione plana sunt omnia. In dominos non quaeri, ait Cicero, quia in reum quaestio instituitur, non in accusatores; ergo in Sextum quaeri, quem dominum Roscii non dicerent. Neque sane, si dominum, ut usque ad proscriptionem fuerat, vellent fateri, iniquam in eum hanc rem dicere poterant, cum ultro is postularet. Iniquitatem igitur in praesentes dominos intelligebant; neque enim obscurum esse, qui peteret, eum non adversus se petere, sed ad refutandos adversarios. Quod quidem recte suspiciosum esse Tullius affirmat; nisi enim sibi timuerint, profecto dedissent. *Garaton. Sex. enim Roscius reus est; neque enim, quum de hoc quaeritur, vos enim dominos esse dicitis.* Sic locum exhibent codd. plurimi iique optimi; sed depravatum

eum esse facile intelligitur, quo factum, ut plurimis tentaretur coniecturis. Vid. Varr. Lectt. Omnium autem, quotquot factae sunt, emendationum non posse admitti ullam arbitramur. Quid ita? Boëmoraei commentum nonne ad sensum est fere praeclarissimum: *neque*, *quum de hoc quaeritur*, *vos eum dominum esse dicitis*? At velim attendas ad verba *quum de hoc quaeritur;* num Sex. Roscius tum demum non esse dominus dici potest, quum de hoc quaeritur, alias qui sit dominus? Melius certe foret, ubi *dicetis* scriptum legeremus, ita ut haec verbis inesset sententia: reus est Sex. Roscius neque, quum omnino dominus non sit, eum tum tantum dominum esse dicetis, quum de hoc quaeritur. Matthiaeus ingeniose scripturam, quam recepit, sic explicavit. „Sex enim Roscius reus est, non dominus, neque vos dominos esse dicitis. Igitur sive in illum sive in vos quaeritur, non in dominos quaeritur.“ Difficultatem autem non vidit, qua praetermissa nobis quoque olim impositum est, quum conaremur locum emendare sic: *Sex. — reus est*, *neque dominus* etc. Pessime enim sibi opponuntur *reus* et *dominus*, quum sanequam absurdum sit, si qui voluerit eum, qui reus sit, non amplius dominum in suos esse contendere. Quod ut refutes, noli ad hoc ipsum de Sexto iudicium provocare. Quod enim dominus non amplius erat, id certe non eo factum, quod reus erat, sed quod bona patria lugebat empta, possessa, direpta. Quid ergo est? Verba accuratius sunt tractanda. Verba, quae §. 119. leguntur: *res porro abs te eiusmodi postulabatur*, *ut nihil interesset*, *utrum eam rem recusares an de maleficio confiterere*, haec igitur verba si accuratius consideraveris, profecto Ciceronem concedes id demonstrare voluisse, quod infra §. 123. tamquam totius capitis conclusionem sic proponit: *ego sic existimo: qui quaeri velit ex iis*, *quos constat*, *quum caedes facta sit affuisse*, *eum cupere verum invenire; qui recuset*, *eum profecto*, *tametsi verbo non audeat*, *tamen re ipsa de maleficio suo confiteri.* Quod quum ita sit, sic agit orator: si nobis quaestionem de servis concedunt, nos ab iisdem edocemur, non Sex. Roscium sed Tit. Roscium Magnum una cum Glaucia patrem occidisse; si recusant, quid tum? quid est, cur recusent? — In do-

minos, inquiunt, quaeri de servis iniquum est. — Nonne de maleficio iam confitentur, quum non Sex. Roscius, sed potius ipsi sint domini? Nolunt igitur de servis quaeri, ne suum ipsorum scelus patefiat et cognoscatur. — Callide autem responsum adversariorum, quod isti ad reum referri volunt, ita in rem suam convertit orator, ut neque in Roscium id convenire demonstret et eo ipso adversarios mire implicari ostendat et circumretiri. Quod adversarii, tantum non convicti, quum perspiciant, novum proferunt argumentum, cur quaeri ex iis servis nequeat; esse enim eosdem in Chrysogoni potestate. Verba *cum Chrysogono sunt* sic esse interpretanda, luculenter apparet ex seqq. §. 122. *Quid igitur? Chrysogonus suine maleficii occultandi caussa quaestionem de his haberi non vult?* Sed tamen in hoc quoque argumentum quam vehementer invehatur Cicero, manifesto docent, quae deinceps leguntur: *ita credo* et q. s. — Quae quum ita sint, optimorum librorum retinemus scripturam et facili mutatione eorum, quae manifesto sunt corrupta — dico enim verba *neque enim quum* — locum emendamus sic: *Sex. enim Roscius, reus, estne dominus, quum de hoc quaeritur? Vos enim dominos esse dicitis.* Post *quaeritur* animo est supplendum *minime*, ita ut sequens *enim* cogitationis, quae exprimitur hac negatione, reddat rationem. Cf. Annot. ad §. 1. Qua in re ne viri docti praeterea me corripiant, quod vim *ne* particulae prorsus neglexerim, quippe quae verbo adiuncta affirmandi vim habeat, et negandi tum demum, ubi alii voci fere primariae sit addita, haec velim considerent exempla: §. 54. *exheredavitne? — Non.* — §. 107. *poteritisne dubitare, iudices, qui indicarit?* Intellige *non.* Ac ne dubites, quin *enim* in interrogatione recte dicatur, haec laudarim exempla: Cic. Tusc. II, c. 4. §. 11. *Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, — ut ratio postulat?* Ibid. c. 14. §. 33. *cur enim fortitudo desideraretur?* Ibid. V, c. 16. §. 48. c. 35. §. 101. Verba *de hoc* interpretati sunt viri docti sic: „*de hac re*, quum quaeritur, quinam sint domini.“ Qua refutata explicatione novam protulit eamque verissimam Steinmetzius, verba *de hoc* dicta arbitratus pro *in hunc*, i. e. in

hunc ipsum Roscium; quam in rem Ulpiani excitavit auctoritatem in fr. 1. §. 4. D. 48, 18. *D. Antoninus et D. Hadrianus rescripserunt, cum servi pariter cum domino aurum exportasse dicerentur, non esse de domino interrogandos.* Abundat igitur coniectura ceteroqui satis speciosa *de his*, quam excogitavit Doeringius, recepit Weiskius, Matthiaeus comprobavit.

§. 121. *Non est ita profecto, iudices, non est verisimile*] Maneo in sententia, ut putem legendum *iudices, non est, ut* etc., non ut in libris vulgatis *non est verisimile, ut* etc. Non enim ita loquuntur Latini: *verisimile est* aut *verisimile non est, ut hoc vel illud factum sit;* sed *verisimile est* aut *non est, factum esse.* Contra hoc loquendi genus est Latinis usitatum *est, ut, non est, ut* pro fieri seu accidere potest aut non potest, ut; eoque et Lucretius et Horatius saepe utuntur, ut indicavimus in nostris commentariis. *Lambin.* Quam viri docti sententiam iamdudum exploserunt interpretes his scriptoris nisi exemplis: Cic. Verr. IV, c. 6. §. 11. *verisimile non est, ut ille homo — anteponeret.* pro Sext. c. 36. §. 78. *An verisimile est, ut civis Romanus — descenderit ante lucem.* pro Sulla c. 20. §. 57. *verisimile non est, ut — hunc — ab se dimitteret.* cff. Brem. et Daehn. ad Cornel. Nep. vit. Hannib. c. 1. Stallbaum. ad Ruddim. II, p. 234 sqq. Mueller. ad Cic. pro Sext. l. l. — Steinm. ad n. l. — Alteram autem excitavit difficultatem Matthiaeus, quae silentio praetermittenda non est: „Sed *non est verisimile* minus est, quam, quod praecessit *non est ita profecto*, ideoque delendum videtur *verisimile.*" Qua in re assentientem sibi habet Matthiaeus Muellerum ad Cic. l. l. Sed tamen illud vix ac ne vix quidem nobis persuaderi patimur, ab librariis esse insertum *verisimile*, propterea quod illi eorum locorum, quibus post *verisimile* particulam *ut* positam esse videmus, gnari fuisse censendi non sunt; contra illud pro certo potest affirmari, eosdem communem illam loquendi consuetudinem tenuisse ita, ut, quum hoc loco sequeretur *ut*, voculas *verisimile* inserere non conarentur. Quocirca eas ab Cicerone profectas esse nobis exploratissimum est. Difficultatem autem illam consideranti facillima sane videbitur emendatio haec esse: *non*

est profecto, *iudices*, *non est verisimile* etc. Etenim librarii quum verba *non est prof.* ad antecedentia referrent, iidem ea pro corruptis haberent necesse erat; quo factum, ut iis succurrerent particula *ita* illata. Quare uncis eam inclusimus. Sequentia optime de Weiskii coniectura sic distinxit Matthiaeus: *aut humanitatem; non. Ut rei* et q. s. Particula *ut* concedentis est, veluti *quamquam.* Etenim licet illud non esset verisimile, Chrysogonum eorum delectari litteris et humanitate, tamen hoc orator pro certo affirmare non potuit, eumdem non item rei familiaris negotio diligentiam cognosse eorum et fidem. Qua verissima verborum distinctione vides quantum ponderis afferatur coniecturae a nobis supra propositae. Negationem ter repetendo orator vim verborum auget mirifice. Ironiae enim supra inchoatae imaginem dum servat, iam ad summam severitatem invertit orationem, quo sit maior vis sequentium: *est quiddam*, *quod ocultatur.*

Cap. XLIII. §. 124. *Sub quo nomine tota societas latuit*] Sic reposuimus de coniectura pro vulg. *statuitur.* Etenim librorum Oxonn. Pariss. et ed. Romanae scriptura *statuit* orta nonnisi vel inde est, quod ultima praecedentis vocis littera perperam cum *latuit* est conglutinata. Quae in edd. hodie legitur scriptura *statuitur*, ea exstirpanda est vel propterea, quod Latini non *statuere societatem* dicere soliti sunt, sed potius *coire*, *contrahere.* Loquutionem *sub nomine latere* haec confirmabunt exempla: ad Attic. XII, 17. *quoniam sub nomine pacis bellum lateret.* contr. Rull. III, c. 3. §. 12. *Non mediocris res neque parvum sub hoc verbo furtum*, *Quirites*, *latet.* Dixit autem orator *latuit* pro *latet*, quia societas ista revera non amplius latet, sed iamdudum in aperto posita est. cf. §. 20 sqq. Latuit igitur, antequam ad Sextum Roscium defendendum Cicero sese accingeret. Similiter loquutus est Tullius pro Cluent. c. 24. §. 66. *Repetam paullo altius*, *iudices*, *et omnia*, *quae in diuturna obscuritate latuerunt*, *sic aperiam*, *ut ea cernere oculis videamini.* Ubi *latuerunt* orator scripsit, quod sibimet ipsi omnia sunt ita aperta et extra omnem posita dubitationem, ut eadem non lateant amplius sed potius latuerint. — Posteaquam

haec schedis mandavi, copia mihi facta est exemplaris Steinmetziani, eumque laetatus sum eodem argumento usum esse ad exstirpandam vulgatam *statuitur*. Verum tamen quam reposuit scripturam, licet codices pro ea pugnent, eam videat ipse quibus confirmet exemplis. Namque verbi *statuere* significationem, qua nostrum sic expedit locum *negotia sua gerit*, *administrat*, Ciceroni non debebat imputare.

§. 125. *sive Valeria est sive Cornelia*] Quae de proscriptione lex iniquissima sese ignorare simulat orator, utrum lata sit a L. Valerio Flacco interrege a. u. 671, an ab ipso Sulla. Qua quidem simulatione id efficit, ut summam eius legis ostendat et acerbitatem et iniquitatem. Tulit autem hanc legem L. Valerius Flaccus ita, ut ipse L. Cornelius Sulla dictator diceretur et ut omnia, quae ille fecisset, rata essent. cf. Appian. B. C. I, p. 411 sqq. Steph. *ὁ Σύλλας, ὑπάτων οὐκ ὄντων, ἐπεὶ καὶ Κάρβων ἐν Σικελίᾳ καὶ Μάριος κατὰ Πραινεστὸν ἐτεθνήσκεσαν, αὐτὸς μέν που τῆς πόλεως· ὑπεξῆλθε, τῇ δὲ βουλῇ προςέταξεν ἑλέσθαι τὸν καλούμενον Μεταξὺ βασιλέα. ἡ μὲν δὴ Οὐαλέριον Φλάκκον εἵλετο, ἐλπίσασα ὑπάτων προτεθήσεσθαι χειροτονίαν. ὁ δὲ Σύλλας ἐπέστελλε τῷ Φλάκκῳ γνώμην εἰς τὸν δῆμον εἰςενεγκεῖν, ὅτι χρήσιμον ἡγοῖτο Σύλλας ἐν τῷ παρόντι ἑλέσθαι τῇ πόλει τὴν ἀρχήν, οὓς ἐκάλουν δικτάτωρας, παυσάμενον ἔθος ἐκ τετρακοσίων ἐτῶν.* cf. Cic. in Rull. III, c. 2. §. 5. *Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus, interrex, de Sulla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata.* de Legg. I, c. 15, 42. *Nihilo, credo, magis illà, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta caussa impune posset occidere.* cf. Plut. Sull. c. 33. — Cic. in Verr. III, c. 35. §. 82. —

§. 126. *posteaquam ab armis recesserunt*] Alii *ab armis recessum est* et sic duo e nostris MSis. *Lallemand.* Omnes, quas vidi editiones, *recesserunt.* Quaecumque tamen illae sint, quae a Lallemando nuper, iamque ad oram ed. Lambinianae 1572 absque nomine citabantur, cum praesertim duobus MSis muniantur, eas non ego contempserim; earum enim lectionem vehementer probo, *Garaton.* Recepit Lallemandi scri-

pturam Matthiaeus. Male. Pessime enim sonat *recessum est* — *occisus est.* cf. §. 16, ubi omnes codd. et edd. servant *recessimus*, quum antecedat *constituta est.* Quare plurimis codd. obtemperare voluimus. Multum autem ponderis scripturae receptae nuper addidit Steinmetzius, qui in nullo cod. Par. sese *recessum est* reperisse testificatur.

§. 126. *quo modo*] Scribendum puto *quo more;* ius, mos, lex bene coniunguntur. Quid modus inter ius et legem? *Modo* autem et *more* saepe confusa in libris scr. et edd. v. Drakenb. in Liv. XXXVII, 4. In MSS. fere est *mõ. Ernest.* Recepit hanc emendationem Matthiaeus laudavitque haec ex §. 143. *quae vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta.* Repugnavit Schellerus Observatt. p. 45, *modum* de regula, praecepto accipiens. Neque post eum defuerunt, qui Ernestium mole exemplorum congesta refutarent. Ex quibus hoc unum velim accurate consideretur, ut intelligatur, quantum intersit discriminis inter nostrum locum et exempla allata. Cic. pro Cluent. c. 35. §. 96. *non fuit igitur illud iudicium iudicii simile, iudices, non fuit; in quo non modus est habitus, non mos consuetudoque servata, non caussa defensa. Modum* igitur num excedebat Chrysogonus, quum Roscii bona venire iuberet? En! temperantiae ne minima quidem habita ratio est. Jam vide Cic. pro Quint. c. 7. §. 28. *existima — modo et ratione Naevium omnia fecisse*, ubi voculam *modo* optime vides ab Manutio sic explicatam *temperate.* — pro Muren. c. 34. §. 72. *ab eius amicis autem m o r e et m o d o factum est.* in Verr. II, c. 3. §. 9. cf. Manut. ad Orat. pro Quint. l. l. — Ex quibus quum appareat, *modo* plane alia esse accipiendum significatione atque *more*, quumque prior illa significatio non quadret, cum Ernestio scripsimus *aut quo more.* —

Cap. XLIV. §. 127. *ut hisce de rebus — doceri L. Sullam passus non sit*] Hoc nullo modo verum est, nec cum superioribus coit. Quid est enim: *haec fecisse Chrysogonum dico, ut passus non sit Sullam doceri?* Saltem debebat esse *non pateretur.* Sed aliud hic latere videtur, quod sine librorum auxiliis erui non potest.

Ernest. Vulgatam item defendit Schellerus Observ. p. 45, perfectum docens saepe positum esse post perfectum. Cf. Cic. pro Sulla c. 23. §. 65. *ita se gessit in tribunatu, ut — nihil postea nisi de rei publicae commodis cogitarit.* pro Arch. P. c. 5. §. 9. *Metellus — tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit et dixerit.* pro Muren. c. 5. §. 11. Ibid. c. 9. §. 20. Ibid. c. 15. §. 33. Ibid. c. 16. §. 34. pro Deiot. c. 5. §. 14. Philipp. V, c. 12. §. 33. Sed tamen hi loci cum verbis nostris comparari non debebant, propterea quod temporum aequalitas nostro loco observata non est. Beckius rem expedivit sic: „debebat a Cic. scribi: neque de his rebus (Sex. Roscii patris animo et sorte) a legatis Amerinis Sullam doceri passum esse. Sed accommodavit ea ad structuram praecedd., tempore tamen servato.“ Rem videtur melius perspexisse Matthiaeus, qui haec attulit: „Quod autem post plura imperfecta perfectum *passus non sit* sequitur, eo factum est, quod priora actiones continuas et saepius repetitas declarant, ultimum rem certo aliquo tempore absolutam, tum quum legati Amerinorum Volaterras venerant.“ Neutra tamen nobis satisfacit, quum, quae allata sunt argumenta, si qua sunt, non tam sint firma, ut hanc tam duram atque subitam temporum immutationem aliquo modo possint excusare. Medicinam autem verborum quaerenti haud facile ulla mihi offertur alia, quam quae eo efficitur, ut verba *ut hisce de rebus* a prioribus omnino distinguantur. Quo facto particula *ut* pro *quamquam* est accipienda (cf. annot. ad §. 121.), unde verborum haec exoritur sententia: Ut concedam, eumdem de hisce rebus doceri L. Sullam passum non esse, denique etiam illud suspicor et q. s. Quam verborum interpunctionem ut vel maxime comprobem, illud cumprimis facit, quod sic quasi praeteriens orator et invitus hoc attingit, Chrysogonum legatos impedisse, quo minus ad L. Sullam accederent. Quid ita? quod supra pluribus verbis de Titi Roscii Capitonis perfidia disserens istum potius nebulonem neque Chrysogonum struxisse dolos asseveravit, quibus omnes aditus intercluderentur legatis. cf. §. 110. Ipsi autem quum esset persuasum, plurimum in hac re fecisse Chrysogonum, leviter tantum hoc voluit attin-

gere, ut iudices repugnantiam ne perspicerent. Ceterum in prioribus notanda loquutio illa periphrastica *Chrysogonum fecisse, ut.* Verbo facere plerumque *hoc* vel *id* etc. additur, uti infra §. 151. *Solent hoc boni imperatores facere — ut in eo loco* etc. ad Famil. IV, 4. *fecerat autem hoc senatus, ut — consurgeret.* contr. Rull. I, c. 3. §. 9. de Orat. I, c. 7. §. 28. Vid. Matth. Exempla, quibus aeque atque nostro loco pronomina omittuntur, congessit ad h. l. Steinmetzius, quem vide.

§. 128. *nimirum ad Kalendas Junias*] Id est usque ad Kal. Jun. Hoc iccirco annotavi, quod in priore editione operarii impresserant *a. d. Kal. Jun.* mendose. *Lambin. Nimirum Kalendas Junias*] Ita MSS. nostri editionesque primae; posteriores *nimirum ad Kal.* non necessario. *Gruter.* Nos retinuimus et *nimirum*, quod uncis inclusivit Matthiaeus, propter antecedentia *opinor enim* etc. et *ad* praepositionem, licet eam ignorent et Pall. et Parr. codd. Etenim necessaria est propter priora *quam ad diem.* Unde apparet, eiusdem vim hoc loco plane eamdem esse atque hoc exemplo: Cic. ad Attic. VII, 16. §. 2. *Nos a consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Februarias* i. e. quovis die ante Nonas Febr. nobis advenire licet, sed ultra hunc diem adventum nostrum differre non debemus. Qui omittunt praepositionem, ambiguitati favent mirifice.

§. 128. *nulla redierunt*] Sic legendum; et ita scriptum est in libris manuscr. *Nulla redierunt* autem, id est, non redierunt, nempe bona. *Lambin.* Ed. 1480. *nulla ratione redierunt.* Hoc ego probarem, cui opponitur alterum illud *aliqua* ratione. Videant acutiores. Multa enim in utramque partem dici possunt. *Garaton.* Recte dici *nulla red.* pro *non red.* satis constat inter omnes. Scriptura autem *nulla rat.* speciosior est propter seqq. *aliqua rat.*, quam verior. Nam tum demum recte dictum esset *nulla ratione redierunt*, ubi in prioribus omnia essent accurate enumerata, quae fuissent impedimento, quominus bona in tabulas publicas referrentur. Quod quum factum non sit, profecto vis verborum longe est maior atque sententia ipsa multo signi-

ficantior haec: bona aut nulla redierunt aut tabulae publicae aliqua ratione corruptae sunt.

§. 128. *reduviam curem*] Quam *reduviam* Cicero, *reluvium* Festus appellat, ea *reluvia* fortasse dicenda est. *Garaton.* Cf. Fest. s. v. *Rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa ungues cutis se resolvit, quia luere est solvere.* Quo factum est, ut Turnebus Advers. XVII, c. 8. *reluviam* dicere mallet; cui hodie adstipulatur Garatonius. Manutius atque Graevius *rediviam* comprobarunt, quod praeter Festum nonnulli praebent libri MSS. *Reluvia* quin recte dicatur, dubitandum non est, quum Latini littera *l* pro *d* nonnumquam consuerint uti, veluti *delicare* pro *dedicare; melicae* pro *medicae;* item *lacrimae* ex *δάκρυον* formarunt. cf. Fest. s. v. *Melic. Delic.* Sed tamen in eo est impositum Festo, quod formam *reluvium* genuinam esse existimavit eamque a *luendo* i. e. solvendo repetiit. Quae si vera esset, probandum sane foret, litteram *l* item in *d* esse mutatam. Probabilior igitur Vossii visa est etymologia. cf. Etymol. p. 498. s. v. *Reduviae.* „Quid si deducamus ab antiquo *reduo*, unde erit *reduviae*, ut ab *induo* et *exuo*, *induviae* et *exuviae?* Ita *reduviae* proprie erit *nova cutis generatio*, quia cutis instar vestis unguem denuo reduit, hoc est, iterum vestit ac tegit. Graece dicitur *παρονυχία*, ut apud Pollucem. De ea proverbium est apud Cic. orat. pro Rosc. Amer. *cum capiti mederi debeas, reduviam curas.* Hoc est: *maioribus malis neglectis minoribus remedium quaeris.*" — cf. Schol. Vet.

§. 129. *ex animi mei sensu*] Franc. *et animi mei sensu.* Non male. Nimirum *pro animi mei sensu.* Sic paullo ante idem: *ad omnis. Graev. Et animi* etiam ed. 1480. Sed praefero *ex*, non equidem illa motus Facciolati ratione, quod ita sensus a Cicerone distribuatur: *alia ego dico pro me ex animi mei sensu, alia pro Roscio ex ipsius voluntate dicam*, sed propter aptissimam hoc loco atque omnibus notam eius, quam praefero, elegantiam locutionis. Ita enim existimo, facilem earum litterarum permutationem aptiori formae loquendi fraudi esse numquam debere. *Garaton.* Codd. multi *et animi*, neque absonum foret, si qui su-

spicaretur, hoc loco formulam *ex animi mei sententia* et librariis imposuisse et recentioribus interpretibus, ita ut multis libris et edd. *et* in *ex* corrumpere non dubitarent. Quo factum est, ut Steinmetzius codd. auctoritate motus Tullio copulam *et* restitueret atque locum hoc tueretur exemplo, quod legimus apud Cic. in Verr. I, c. 27. §. 69. *Haec quum omnes sentirent et quum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur* etc. Sed tamen praeter ea, quae iam attulerunt Facciolatus et Garatonius, hoc addo gravissimum argumentum, quo, si placeat, infirmem scripturam *et animi mei s.* Etenim ablativi *sensu ac dolore* quum comprobata Steinmetzii sententia apti sint ex priore *pro*, perspicuum iam est ut quod maxime, vim praepositionis *pro* duplicem esse oportere, id quod ferri omnino nequit; ferrem, quamquam invitus, si scriptum esset *ea pro me ipso pro animi mei s. a. d. pron.* Vis enim praepositionis, qualis in verbis *pro me ipso* deprehenditur, omnino respondet nostratium dicendi consuetudini, ubi sic loquuntur: *für sich etwas thun; eine Meinung für sich haben.* Rem igitur cogitatam qui pro se eloquitur, suam ipsius, neque alterius pronuntiat sententiam. vid. supr. *ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio.* in Verr. I, c. 27. §. 68. *quaerunt, quid optimum factu sit; pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur.* Contra verba *pro animi mei sensu ac dolore*, quid significant aliud, nisi sic loqui, uti animi sensus fert atque dolor? Quod quum ita sit, codicum haud sane paucorum praeferenda visa est auctoritas.

§. 129. *Quae ad huius vitae casum caussamque pert.*] Suspecta haec fuerunt viro summo, Ruhnkenio, qui ad Rutil. Lup. p. 36. ea restitui voluit sic: *quae ad huius vitae caussam pertineant.* Non probo. Verba enim sic videntur explananda esse: quae ad huius vitae periculum, quod parricidii crimine in eum intenditur, quaeque ad argumenta, quibus hae tam nefariae criminationes diluendae sunt, quae denique ad huius luctum ac dolorem, quo vos, iudices, ad misericordiam velit inflecti, pertineant, iam in extrema oratione nostra audietis. In sequentibus pro *iam in extr.*, de coniectura,

ut videtur, Lambinus dedit *ea in*. Verum tamen orationis variandae caussa orator *iam* videtur scripsisse; vide priora *quae enim* — *ea* et q. s. —

Cap. XLV. §. 130. *qui neque apud adversarios occisus est*] *Neque*, inquit Asconius (pro Scaur. II, 2. p. 23. ed. Orell.) est *coniunctio disiunctiva et semper postulat, ut rursus inferatur; ut quum dicimus neque hoc, neque illud.* Deesse igitur alterum membrum videtur; imo vero, nisi plane caeci sumus, aperte ac dilucide perspicitur; desunt autem haec verba *neque proscriptus fuerat;* quod illum locum, quem subiiciam, consideranti perspicue constabit: (vid. §. 126.) *Scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt; quo in numero Sex. Roscius non est; aut eorum, qui in adversariorum praesidiis occisi sunt. Hotom.* Quam emendationem praeter Steinmetzium omnes, quod sciam, receperunt interpretes. Felicissime autem librorum omnium scripturam defendit Wernsdorfius l. l., particulam *neque* pro ne — quidem positam esse arbitratus. cf. Cic. Acad. Quaest. I, c. 2. §. 7. *quod bonum quale sit, negat Epicurus sine voluptatibus sensum moventibus nec suspicari.* Tusc. Quaest. I, c. 26. §. 65. *Quid est enim memoria rerum et verborum? quid profecto id, quo nec in deo quidquam maius intelligi potest.* ad Fam. II, 4. §. 1. *Atque in hoc genere hoc mea caussa est, ut neque ea, quae nunc sentio, velim scribere.* Senec. cons. ad Helv. c. 9. p. 137. ed. Hal. — Verba igitur *in eos solos* et ad proscriptos et in adversariorum praesidiis interfectos spectant.

§. 130. *partim imprudente L. Sulla commisisse*] *partim connivente.* Binae hae voces non sunt in MSS. nostris aut edd. veterrimis, et non videntur auctoris. Is adiecit, qui arbitrabatur, *partim* semper bis ponendum. *Gruter.* Sunt in editione Naugerii, unde autem, ignoro; alius ab editionibus locuples investigabit. Mihi vero consensio tanta in iis omittendis verbis, quamquam eadem sit in superioribus illis *neque proscriptus*, quae tamen certe adsint necesse est, suspicionem quamdam iniiciunt, Tullium scripsisse *multa multos privatim imprudente L. Sulla commisisse.* Nam et *ptim* in MSis et editt. saepe scribitur, quod utramque vocem subesse

monet olim potuisse, et illa Sullae obiecta conniventia in peiorem sane, quam Cicero vellet, accipi partem poterat. Adde quod statim *aliquid imprudentia praeteriri*, tum *aliqua non animadvertere* de Sulla dictum et cap. 8. *L. Sulla imprudente* legamus; nihil umquam de conniventia. Hic vero *privatim* significaret *ex se*, Sulla non participe, ipsos denique solos commisisse, non ineleganti, imo plane Tulliano loquendi modo, qui pro Quint. c. 4 fuit usurpatus. Nam quae privatim deberet Quintius, ea distinguuntur ab iis, quae societatis nomine deberentur, quae tamen ipse Quintius debuisset. Similis est huius verbi usus apud Liv. V, c. 30, ubi vide Drakenborchium. *Garaton.* Verba *partim connivente* miserrimum, quo umquam Cicero commaculatus est, redolent interpretamentum. Quis tandem est, qui oratorem improbum illud connivendi studium L. Sullae attribuere voluisse sibi persuaderi patiatur, ubi haec in animum revocarit: §. 21. *Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse certe scio.* §. 25. *intelligitur — imprudente L. Sulla scelera haec et flagitia fieri.* Ibid. *ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri.* §. 127. *Nam Sullam et oratio mea ab initio et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit.* Idem autem librariorum commentum documento sit oportet, haec quoque *partim imprud. L. S.* pessime esse corrupta, quum ex iis, uti hodie leguntur, necessario sit consectarium, certa aliqua L. Sullam connivere voluisse. Quam offensionem sublevare studuit Garatonius egregie emendando *privatim impr.*, neque mirum est, cur eam recipere maluerit coniecturam Steinmetzius, quam consistere in vulgata. Verum tamen restant, quae silentio non arbitror esse transeunda. Quid enim? num credibile est, scripsisse Ciceronem, multa multos propter *magnitudinem rerum commisisse?* Nemo, nisi qui rem publicam gubernat, propter magnitudinem rerum multa potest praeterire; scelesti homines maleficia admittunt nonnisi propter rerum perturbationem. Neque hanc equidem admittendam esse existimo interpretationem, L. Sullam fuisse imprudentem propter rerum magnitudinem; etenim si velles locum ita exponere, damnanda foret verborum collocatio. Accedit, quod ex sequenti-

bus: *placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriri* luce fere clarius est, in prioribus non de maleficiis committendis, sed potius de iisdem sermonem fuisse *propter rerum magnitudinem* praetermittendis. Quae quum ita sese habeant, locum sic esse emendandum statuimus: *nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos per imprudentiam L. Sullam omisisse.* Iam, si quid video, plana sunt omnia atque dilucida. Orta autem totius loci corruptela ex inepta syllabae *im* geminatione. Ex *perim* quum *partim* esset excogitatum, sequentia ad verba *imprudente L. Sulla*, uti §. 21 et §. 25 leguntur, accommodarunt; quibus hunc in modum commutatis quid, quaeso, erat facilius, quam ex *omisisse* effingere *commisisse*, praesertim quum sic optime videretur sententia esse restituta? *Omittere* autem rem vel hominem dicebant Latini, ubi curam eius non amplius habebant; cf. Liv. XXIII, c. 25. *Gallicum bellum et omitti tuto et differri posse.* Ibid. XXII, c. 12. *ut neque omitteret eum neque congrederetur.* Deinde *per imprudentiam* loquutio est Ciceroni vel maxime usitata; cf. pro Rosc. Com. c. 7. §. 21. *incredibile est — et Fannium per malitiam fecisse et Roscium per imprudentiam deceptum esse.* in Verr. II, c. 23. §. 57. *Tu, qui institueras in eos animadvertere, qui perperam iudicassent, quod saepe per imprudentiam fit, hos pateris impune discedere?* Orat. c. 56. §. 189. *incidere vero omnes in orationem etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus.* Asyndeton autem illud *multa multos* sententiae optime convenire arbitramur. Exempla vide apud Ramsh. L. Gr. §. 188, I, A, a. p. 804. ed. 2. —

§. 131. *quorum nihil pernicii caussa*] Sic legendum, si Gellio lib. 9, c. 14 credimus, ut credimus. *Pernicii* autem patrius casus est antiquis a nomine pernicies. Carisius tamen videtur legisse *pernicies caussa* lib. 1. *Lambin.* Sic et Ciceronem in Laelio scripsisse *luxurii*, *dirimi tamen contentione luxurii*, ex MSS. ostendit Giffanius in indice in voce *effigia*. Vide in G. Vossii Aristarch. l. II. de Analog. c. 19. *Graev.* Omnino Gellii auctoritas Charisio est praeferenda, si tamen

mendo caret Charisii locus, Gellioque consentit Nonius, hunc ipsum locum citans v. *pernici;* antiqua enim scribendi ratio, ut omnes norunt, *pernici* est. Postulavit id analogia vocum, quas similiter inflexas Gellius refert, quarum una est *luxuries*, *luxurii*, plane ut in Cic. MSis reperit Gifanius. *Garaton.* De scriptura *pernicii* cf. Bentl. ad Horat. Odd. III, 7, 4. Cort. ad Sall. 52, 3. Seyffert L. Gr. §. 2405. Nos Gellium sequi voluimus.

§. 131. *sed vi ipsa et magnitudine rerum*] Sic Virgil. Georg. II, 192. *pateris libamus et auro*, hoc est, pateris auratis. Putabant autem veteres, Iovem ipsum fato subiici et rerum ordine rapi. *Facciol.* Estne figura haec necessario advocanda? Vim rerum naturae insitam et elementorum, ex quibus talia gignuntur, magnitudinem, quantitatem, conflatam molem intelligi posse, quis non videt? *Garaton.*

§. 131. *quam armis receperat*] Franc. prim. *quam armis receperat*, *quum legibus confirmaret. Graev.* Etiam ed. Venet. *cum legibus*, quod non est aspernandum. Cur enim additum existimemus, certissimae non sunt caussae. *Garat.* Cicero ubi repetere voluisset *quum*, profecto, uti aliis locis, scripsisset: *quumque imperii maiestatem*, *quam armis receperat*, *legibus confirmaret.*

§. 132. *cuius honoris caussa accusare se dixit Erucius*] Deperdita est pars illa argumentationis, qua Cicero bona neque venire debuisse neque venisse omnino ostendit. Cuius argumentationis nobis aliqua servavit Scholiastes Gronovianus vestigia; verum tamen ex his, utpote quae vel maxime sint mutila atque corrupta, contexere equidem nil potui.

Cap. XLVI. §. 133. *animi relaxandi caussa*] Sic libri omnes praeter duos Oxonn., qui *relaxandi* omittunt, quo factum, ut, quum *animi caussa* dictum sit pro *voluptatis caussa* (cf. in Pison. c. 26. §. 65. ad Div. VII, 2. §. 3. Phil. VII, c. 6. §. 18. de Finib. II, c. 17, 56. Senec. de Benef. IV, c. 17. §. 4. Vid. Goerenz. ad Cic. de Finib. l. l. p. 207). Matthiaeus *relaxandi* eiiceret. Quod quidem virum doctum temere fecisse iudicamus, quum *relaxandi* minime oleat interpretamentum. In vulgus enim nota est loquutio *ani-*

mum relaxare; cf. Cic. de Offic. I, c. 34. §. 122. *Atque etiam quum relaxare animos et dare se iucunditati volent.* Brut. c. 5. §. 21. *relaxa modo paullum animum aut sane, si potes, libera.* de Orat. II, c. 5. §. 22. Accedit, quod non sine ironia quadam et acerbitate dictum videtur *an. relaxandi c.*, et improbissimus ille libertinus accuratius describatur, quippe qui rapinarum ardore atque dolorum machinationumque mole defatigatus in rus suum amoenum nonnumquam solitus sit secedere, ut animum paullisper relaxaret suum. Quicquid id est, retineo librorum scripturam. —

§. 133. *pretium enumerari*] Non in hac lectione consentiunt libri. MS. apud Gruter. edd. pr. habent *numerare.* MS. Gu. *enumerare.* Gruterus corrigit *praeconi adnumerari*, quia in MS. S. Victoris erat *praecoenum* pro *pretium.* Male. Summa pretii non auditur, cum pecunia numeratur, neque pecunia dabatur praeconi, sed magistris auctionis. Sed pretii summa audiebatur, cum praeco pronuntiabat pretium. Quint. c. 15. *vox praeconis praedicat conficitque pretium.* Illa igitur praedicatio praeconis debet esse in verbo *enumerari;* estque accipiendum sensu pronunciandae pecuniae; quod nec nimis abhorret ab usu eius verbi; nisi malimus corrigere *enunciari*, quod pronuntiandi vim habet. *Ernest.* Mire codices inter se discrepant; vid. Varr. Lectt. Quae hodie in omnibus fere exemplaribus legitur scriptura *qui praetereuntes pretium enumerari audiebant*, ea vel in eo maxime a libris recedit, quod voculam *quid* ante *pretium* in codd. fere omnibus obviam omnino ignorat. Quo argumento Steinmetzius prae ceteris usus ita est, ut codd. Parr. 1 et 4 et cod. S. Victoris vestigia sequutus hanc excogitaret praeclaram sane, quod ad vestigia ipsa attinet, coniecturam: *ut, qui praetereuntes, quid praeco enumeraret, audiebant* etc. Verum tamen me doleo viro doctissimo non posse adstipulari vel propterea, quod verba *quid* — *enumeraret* ex sequente *audiebant* apta esse non possunt. Quid enim? praetereuntes ubi praeconem audiebant praedicantem, num iidem dici possunt audisse, quid enumeraret? immo, quod enumerabat, clare auribus eorum redditum est. Etenim hoc faciunt Latini, ut tum demum dicant *audire, quid c. coni.*, ubi trans-

late dictum est pro *sentire*, *percipere*, *intelligere*. cf. Terent. Hecyr. I, 2, 3 sqq.

Audin', quid dicam, Scirte? si quaeret me, uti
Tum dicas; si non quaeret, nullus dixeris.

ubi recte Donatus: *audis modo*, *sentis*, *intelligis*. Eadem ratione Latini *aveo audire*, *quid velis* et quae sunt id genus alia. Contra vox ubi significatur vel sonus, qui ad aures fertur, *quid* pro *quod* c. ind. dici nullo modo potest. Rem si qui voluerit perscrutari argutius, emendationem fortasse sic defendet, ut praetereuntes dicat audisse auctionis magistros praeconi, quid enumeraret, imperantes. Sed tamen ne haec quidem locum habebit explicatio, quum id ipsum non magistrorum, sed praeconis esset officium, ut ipse pecunias ab licitantibus propositas audiret et pretium conficeret. Scripturas autem codicum ponderanti mihi optima sane visa est, quam praebet Cod. Pal. prim. *ut quidam praetereuntes*, *qui id pretium enumerari audiebant*, etc. Dixerit fortasse quispiam, verba *qui id pr.* librarii esse *quid* interpretaturi coniecturam. Quid igitur est? num spernenda? Si coniectura est, et facillimam et verissimam eam iudico. Namque orator quum supra scripserit *tanto pretio*, profecto praetereuntes id pretium i. e. tantum illud audirent oportebat, ut vel inde fundum venire sibi possent persuadere. Deinde etiam scriptura *quidam praet.* propius ad veritatem videtur accedere, quam vulgata. Perspicuum enim est, verbis *qui praet.* fere omnes significari, qui praeterierint ullo modo. Quid? num eos ad unum omnes rei vendendae fuisse ignaros potuit pro certo affirmare orator? Nil addo. Restat autem, ut de verbo *enumerari* disputemus, quod viri docti, ni fallor, omnes sic interpretantur, ut vim praedicandi inesse statuant. Addit Matthiaeus haec: „Sed quum additum sit *venire*, non *venisse*, pretium enumerare dici videntur licitantes, quum alia post aliam pecuniae summa pronuntiatur; nam *enumerare* est e pluribus aliud post aliud numerare.“ Haec ille. Nobis hoc verbum idem significare videtur atque *pretium conficere*. cf. pro Quint. c. 15. §. 50. Praeco enim pretia a licitantibus deinceps pronuntiata excipit et quasi enumerat, summumque sic conficit pretium. —

§. 134. *et deversorium*] Lambinus edidit *deversorium.* Erudite; ipsum vide ad lib. I. in Verr. c. 6 et 25. Ibi Graevius et ad Phil. II, c. 27. ex Salmasio verbi *devertere* et derivatorum antiquam hanc esse scripturam notavit, ediditque similiter in or. pro Milon. c. 20. Neque aliter scribi debet, ut post Salmasium summi viri docuerunt. Consule Ind. Lat. Ern. v. *devertere.* Hic ergo in Graevio constantiam Lambinianamque diligentiam, quae ipsi ob oculos erat tamen, magnopere requiro. *Garat.*

§. 134. *Videtis, iudices*] Et Naugeriana editio Lucae Antonii Iuntae et Victoriana Rob. Stephani habent hoc amplius: *Volitet cum magna caterva togatorum, videtis, iudices; etiam videtis iudices, ut omnes.* Haec ab illis prodita esse ex MSis, cur dubitem? et ab posterioribus per solam negligentiam praetermissa cur non querar? Certe et Lambinus et Gothofredus et Gruterus cur omiserint, causam dicant, quam ego nullam video, necdum satis iustam. *Gronov.* Haec verba a recentioribus deleta reposui, cum reperirentur in editione prima et Franc. primo. Sententia sane illa requirit. Hiat alioquin oratio. *Graev.* Ed. 1480 ita exhibet, plane, ut hic editum vides (*a Graevio*). Ed. 1572 ea verba Lambino, quae ab ipso Gronovius omissa conqueritur, non restituit et, quod magis mirere, Olivetus a Gronovio et Graevio exorari se non est passus, ut ea reciperet. Quid Facciolatus? Ne is quidem admisit, in ima tamen ora probavit. Tum illud recte, ista ex MSis, non quod alioquin hiat oratio, restitui oportere. *Garat.* Verba, de quibus sermo est, ab Cicerone profecta esse mihi non persuadebo umquam. Quid igitur est? librariumne ea uti hodie leguntur, inseruisse statuemus? Quod cur faciamus iudicium, item probabile nullum nobis suppetit argumentum; namque iis omissis hiare orationem Graevio non est concedendum, id quod recte vidit Garatonius. Verum tamen rem, si quid video, facile expeditum iri arbitror, ubi verba sic scripseris: *etiam ut omnes despic.* Quae si comprobaris, intelliges facillime, qui factum, ut verba *videtis iudices* interpretandi gratia ex prioribus repeterentur ab librariis. Codd. Pariss. duo praebent *et unum vid.* Quod si in iisdem

omissum etiam esset *videtis*, sanequam eleganter haec possent Ciceroni restitui *et unus ut omnes despiciat.*

Cap. XLVII. §. 136. *me pro illa tenui infirmaque parte*] Marii, Cinnae, Carbonis. *Hotom.* *Me pro illa*] id est, pro mea illa virili parte, pro illa mearum virium infirmitate atque imbecillitate, pro mearum opum tenuitate. Male enim, qui referunt ad Marii, Cinnae, Carbonis partes. *Lambin.* Fortasse hic verbum aliquod excidit. *Garaton.* Verbum non excidit, id quod infra docebitur. Lambinum sequutus est Matthiaeus laudavitque Cic. ad Fam. V, 2. *ut ita fieret, pro mea parte adiuvi.* Quem iure refutavit Steinmetzius, quod, ubi illud significare voluisset Cicero, certe pronomen *mea* non omisisset. Cic. ad Fam. XV, 15. §. 3. *Aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset.* — Adde, quod idem Matthiaeus male videtur explicasse pronomen *illa*, „quam omnes norunt." Verba enim, unde petiit interpretationem, *qui me norunt* minime sunt intelligenda sic: *qui meas norunt vires facultatemque*, sed potius *qui compertum habent, qualem equidem me praebuerim tum, quum dilaceraretur res publica*, id quod ex prioribus luculenter apparet: *non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse a caussa nobilitatis existimet.* Tenenda autem verborum *pro illa* etc. interpretatio, quam proposuit Scholiastes Vetus: *pro Mariana, pro equitibus Romanis.* Steinmetzius, qui Scholiastae assentitur, praepositioni vim attribuit vulgarem illam, qua Ciceronem non sine contemptu hoc loco de Marianis loqui patefiat. Nos eam respondere statuimus nostro *an Statt*, ita ut sententia haec sit: me non tenuem illam partem, sed eos potissimum defendisse. Verum tamen arrogantiae crimen ne sibi afferret, modeste sane ea circumscripsit *id defendisse, ut ii* etc. Callide autem, id quod fugit viros doctos, Scholiastes verbis *tenui infirmaque* non solum infimam Marianorum faecem, verum etiam equites plebeios, in quos omnes duce L. Sulla tota saeviret nobilitas, significari contendit. Licet enim orator sese nobilitatis fuisse studiosissimum asseverarit, tamen ex sequentibus non potest non perspicuum esse, (vid. infra §. 137) eiusdem animum certe ab equitibus non fuisse

abalienatum. Quod benevolentiae studium unde natum sit, haud sane est obscurum. Constat enim, lege Sempronia ab ordine senatorio iudicia ad equestrem translata esse et penes equites varia rerum perturbatione animorumque dissensione permansisse usque ad L. Cornelium Sullam, dictatorem. cf. Ascon. Div. in Caecil. §. 8. p. 103. ed. Orell. *C. Gracchus legem tulerat, ut Equites Romani iudicarent; iudicaverunt per annos XXXX sine infamia. Post victor Sulla legem tulerat, ut senatorius ordo iudicaret; et iudicavit per X annos turpiter.* Quod quum ita esset, dolendum sane maximo opere Ciceroni erat, non equites, utpote quos sanequam infirmos oppressisset L. Sullae dominatio, sed senatores, qui equestrem illum splendorem pati non potuissent (cf. infra §. 140) sedere in subselliis de Sex. Roscio iudicaturi. De quibus quid sentiret, et infra §. 139 paucis indicavit et seriore tempore uberius exposuit in Verr. Act. I, c. 13. §. 37. *Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus agentur, quae inter decem annos, posteaquam iudicia ad senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefarie flagitioseque facta sunt. Cognoscet ex me populus Romanus, quid sit, quamobrem, quum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos nulla, iudice equite Romano iudicante, ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem iudicandam constituta sit.* —

Cap. XLVIII. §. 138. *Si recte et ordine*] Ed. Venet. *si ratione et ordine.* Eamdem varietatem vidimus c. 39. Permutantur haec, quia scribitur r̄oe aliove compendio. Sed haud facile res iudicabitur. Superiore illo loco utrumque potest defendi. Hic autem pro *ratione* id facit, quod in eamdem sententiam proximum illud sit *modo recte.* Sed *recte atque ordine* formula adprobantium et laudantium est, qua senatus quotidie utebatur; et notissimum est ex Brissonio de Formulis II, 197. Ego MSorum numero adhaerere tutissimum arbitror. *Garat.* Iam supra c. 39. §. 113. scripturam *ratione* pro interpretamento accipiendam esse iudicavimus, neque hoc loco aliter statuendum videtur. Etenim formula est sollemnis, qua senatus plerumque magistra-

tuum facta comprobabat. cf. Cic. Phil. V, c. 13. §. 36. *His verbis, Patres Conscripti, senatus consultum faciendum censeo: — id eum recte et ordine exque re publica fecisse.* Liv. XXVIII, c. 39. Vid. Steinm.

§. 139. *qui recuperarunt*] Firmat hoc editio 1480. Nam in Naugeriana *receperunt*, quod multi postea probarunt. Camerarius anceps fuit. Rectum enim utrumque est. Supra etiam c. 45. *imperiique maiestatem, quam armis receperat.* Coniectum fuit in margine ed. Lambinianae *reciperarunt*, ut l. c. idem Lambinus malebat *reciperarat.* Quam saepe tria haec confundantur, ex Drakenborchio ad Liv. VII, 18, ne antiquiores nominem, discitur. Profecto illud *reciperarunt* gustum habet antiquitatis, sed huic nimium nolo indulgere mihique videtur Gruteri et Graevii lectio MSis edd. et iis etiam, quae affert Drakenborchius, satis muniri. *Garat.*

§. 139. *ne ominis quidem*] Sic a viris doctis restitutum est; nam diu editum fuit *hominis. Garaton.*

§. 140. *quam viam munitet*] Renatus Boëmoraeus legendum putat *quo viam munitet, quo iter affectet. Lambin. Quam viam* etc.] Sic MSS. et antiquitus cusi; recentius *quo iter.* Videntur esse verba alicuius poetae; nam pedes aperte apparent Trochaici versus — *quam viam Munitet, quod iter affectet — Gruter.* Dicendi modus Terentianus est: *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.* Phorm. V, 7, 71. *Facciol.* Certe de Comico aut Tragico poeta istaec sumta videntur; quorum etiam in ore fuerunt saepe illa frequentativa *munito, gestito* etc. Unde in Enniano versu ed. Hessel. p. 214. *restitat* pro *restat* quantitatis caussa reponebat vir summus R. Bentleius epist. ad Mill. post Malel. edita p. 43. (p. 488 ed. Lips.) In ed. Veneta *munitet et quod.* Sed hoc mihi est insuave et syllaba male repetita videtur. *Garaton.* cf. Matth. *Munitet* utrum sit pro *muniat* an *munire cupiat*, disputant viri docti. cf. Voss. Anall. III, 44. —

§. 141. *quod speravit sese*] Vox *posse* restat solum in Palatin. prim. hoc positu: *viros posse aliquid ad perniciem.* At enim ceteri duo, item S. Victoris, nec non edd. exoletae eam non agnoscunt et poterat abesse, dummodo et *sese* mutaretur in *ipse. Gruter.*

At quam mollis, quam delicata, quam vere Ciceroniana hic se ex MSis prodit locutio! Legendum enim: *quod speravit esse apud tales viros aliquid ad perniciem innocentis. Gronov.* Acute; verum toties hic ingeritur illud *posse*, ut verear, ne hunc etiam locum tueri velit. Nam *aliquid posse, potens esse, ne quid possit*, in hac sunt vicinitate. Sed totum hoc viris ingenio praesidiisque abundantibus est committendum. *Garaton.* Scripturam *posse* flagitant priora *quod verear, ne quid possit.* Neque video, cur tandem cod. Palat. primi scriptura *apud tales viros posse aliq.* corrumpatur ita, ut *posse* post *perniciem* collocetur, id quod editores, quod sciam, omnes fecerunt. Immo multo significantius dicta sunt *apud tales viros posse*, quum vel optime describatur iis Chrysogoni impudentia, utpote qui vel iustitiam ipsam cedere suae voluerit licentiae ac potentiae. Verum tamen ex codd. Oxonn. quum praeter cod. χ, in quo item *posse* desiderari annotatum est, nulla sit commemorata scripturae discrepantia, certe in quinque codd. Oxonn. hoc verbum eo loco legi, quo ab viris doctis collocatum videmus, sat probabiliter colligi potest. Quare mutare quidquam noluimus.

Cap. XLIX. §. 141. *Iccircone exspectata nobilitas*] Sic codd. Oxonn. quinque, Pall. et editt. nonn. vett. — Codd. Parr. quid praebeant, ignoro. Quae quidem scriptura quum sententiam videretur praebere non satis aptam, bene quam ingeniose vulgatam librarius aliquis excogitavit *experrecta.* Nobilitas autem exspectata vocatur, quam Cicero ipse una cum omnibus viris bonis tum, quum humilitas importunissima in re publica versabatur summaque imis miscebat, vehementissime desideravit, id quod tum ex sequentibus *si id actum est, fateor me errasse, qui hoc maluerim* tum ex §. 136. dilucide apparet. Nobilitas igitur est desiderata valdeque a bono quoque exoptata. cf. Cic. ad Famil. XVI, 7. §. 1. *Nemo nos amat, qui te non diligat; carus omnibus exspectatusque venies.* Ibid. XVI, 9. §. 2. *Servus — tandem aliquando mihi a te exspectatissimas litteras reddidit.* Virgil. Aen. II, v. 288. *quibus Hector ab oris, Exspectate, venis?* Plaut. Trin. II, 4, v. 173. Amphitr. II, 2. v. 26. Most. II, 2. v. 11.

§. 143. *imperitus morum*] Ed. 1480 *imperitus morum civilium*, quod in alia nulla editione reperio, earum quidem, quas vidi, haud parvo numero. Itaque in ea aut in aliis etiam eiusdem aevi, hoc ferme arbitror latuisse. Atque illud *civilium* ex interpretatione obrepsisse, facili promptoque iudicio statim existimabitur. Verum in hac lectione nihil est tam nostro contemtu dignum, ut ampliari res iudiciumque non possit. Cic. de Offic. I, c. 41. *Quae more aguntur institutisque civilibus*, et: *contra morem consuetudinemque civilem.* Nec dubium est, quin, uti consuetudo et institutum, ita etiam mos civilis dicatur, et quin homo rusticus et agricola morum civilium imperitus optime appelletur. Lambini margo alios ait legere *rerum*, qui etiam *rerum civilium* non absurde legere possent. Sed quinam hi sint, adhuc ignoro. *Garaton.* Illud *civilium* quin pro interpretamento sit habendum, equidem non dubito. —

§. 144. *Annulum de digito suum tibi tradidit*] Sic nunc restitui coniectura ductus ita certa et aperta, ut neminem non indoctissimum eam improbaturum confidam. Doctis quidem aliquot viris, quibuscum eam communicavi, probari scio; in iis Renato Boëmoraeo, cui item multo ante, quam mihi, venerat in mentem, ut ex eo cognovi. Licet etiam legere *annulumque de digito suo tibi tradidit. Lambin.* Hic MSi hactenus editionesque veteres, si diligenter inspectae fuerint, sunt certe corruptae. Neque enim commoda ulla explicatione illud *os suum* donari potest. Silvius, qui tamen laudatores invenit, imaginem annulo insculptam Roscii putat significari. Qua quid potest esse, ne gravius dicam, verbi ambiguitate invenustius? Verburgius emendat *rus suum* magna confidentia. Quam hoc sit Latinum, mitto quaerere. Illud dico, rus post vestitum et annulum satis imperite, nedum parum oratorie, collocari. Sed insignis est Lambini emendatio acrique ab ingenio summi viri profecta. Quod si qua certa esse potest emendatio, haec erit certissima. Nam in ea scriptura *dedit os suum* hoc inest aperte *de dito suum.* Praetermissa igitur in medio vocis syllaba una fuit, quod non est in codicibus certe novum. Innumera hoc maiora compendia reperiuntur, plurae saepe omissa fuerunt. Praeterea

talis ea syllaba est, ut perire facillime potuerit, quemadmodum in nostra denique lingua periit, posteaquam Latinae ista occupavit locum. Nam pro digito nos Itali dicimus *dito. Garaton.* Quam protulerunt olim scripturae vulgatae explicationem Hotomanus ad h. l. et Malaspina ad Cic. Epp. ad Att. I, 18. §. 5., eam denuo adscivit nuper Wernsdorfius, ita ut verba *os — tradidit* vulgari illa et in communi vita admodum crebra tueretur dictione *os praebere alicui* i. e. sese contumeliis offerre, verberandum dare. cf. Liv. IV, c. 35. *desisse postremo; praebere ad contumeliam os.* Cic. in Verr. III, c. 16. §. 41. *qui testes interrogari priore actione nolueris et iis tacitum os tuum praebere malueris;* ad Attic. I, 18. §. 5. Tacit. Hist. III, c. 31. Terent. Adelph. II, 2. v. 6. Explicat igitur Wernsdorfius locum sic: „Se ipsum tradidit tuae libidini et contumeliae, ut in se, quod colliberet crudelitatis, exerceres, dum vitae parceres.“ Quae quidem sententia quo minus comprobetur, sequentia sunt cum primis impedimento. Namque orator in rebus recensendis, quas Chrysogono infelix Sex. Roscius concesserit, usque eo progreditur, ut ex omnibus tam amplis bonis eumdem dicat sese ipsum excepisse nudum; pessime igitur inter verba *si vestitum — dedit* et *se ipsum nudum — excepit* inserta foret contumeliae exercendae commemoratio; ea demum ultimum occupare locum debebat. Accedit, quod *os praebere* peculiaris fere est loquutio: neque usquam *os tradere* me legere memini. — Iisdem, uti iam video, argumentis ad refutandam Hotomani explicationem usus est etiam Steinmetzius, quem vide. —

Cap. L. §. 145. *ab eone aliquid metuas*] Sic optime Francii primus. Vulgati *ab eone metuis. Graev.* Edd. SS. *ab eone aliquid metuis.* Sic Naugeriana et omnes, ut hanc lectionem pro vulgata Graevium oporteat habuisse. Errore τὸ *aliquid* omissum fuit; nam si consulto, ambigua saltem ea lectio relinqueretur. *Garaton.*

§. 145. *Quod praeter ceteros tu metuere non debeas*] Cum tantum apud Sullam gratia valeas, quantum in civitate nemo alius. *Graev.* Sic quoque Manutius; sed, quaeso, videamus ea, quae sequuntur.

Utrumque enim Cicero exposuit, tum quid esset, quod in ea re Chrysogonus metueret, tum qua de caussa metuere ipse non deberet. Quod metuebatur, hoc erat: *ne quando — reddantur.* Id autem Sulla vivo quis umquam sanus timeret? Quod ne illo quidem mortuo praestare potuit biennio post M. Lepidus Consul armatus. Itaque Cicero ipse statim subiicit caussam, cur id non deberet Chrysogonus metuere: *Facis iniuriam*, *Chrysogone*, *si maiorem spem* etc. Qui metuebat, ne redderentur aliquando bona liberis proscriptorum, primum putabat, ea per vim et iniuriam erupta fuisse proindeque, ubi leges valere coepissent, restitui debere; deinde non dubitabat, quin acta Sullae quam primum rescinderentur; hoc enim ex illo consequitur. Quam iniuriam ne Sullae patrono libertus Chrysogonus faceret, maxime omnium metuere ipse debebat, ut haec Sulla vivo sese ostenderet existimare. *Ferrat.* Haec probe intelligebat Lambinus, dum conabatur emendare, *facis iniuriam Lucio Sullae*, *Chrysogone.* Lambino ipsi iniuriam Guilielmus fecit, existimans a locutione et egregie Latina et admodum pervulgata talem virum abhorruisse. (vid. infra). Ita vero est hoc absolute dictum, *facis iniuriam*, i. e. iniuria hoc facis, iniuste facis, ut referatur tamen ad Sullam. *Garaton.*

§. 146. *Facis iniuriam*, *Chrysogone*] Male hic voces transponit Lambinus; nam est formula leniter obiurgantis peccantem. Addatur Plaut. Mil. Glor. II, 5. v. 28. Sic et pro Flacco c. 17. Facis iniuste, Laeli, si putas etc. *Guilielm.* cf. Donat. ad Terent. Hec. IV, 4. v. 70. —

§. 146. *ne monumenti quidem caussa clam reservavit*] *Clam* inseruimus ex codd. Oxonn. Pall. et S. Victoris. — Dilucide enim *clam* exaratum est in cod. Pal. prim. et Oxon. ψ.; codd. Oxonn. C, H, S, S. Vict. et Pal. octav. praebent *clare serv.* i. e. *clā reserv.* — Codd. Oxonn. T et χ *dare serv.* Disiunge litteram *d* et lege nobiscum *clā reserv.* — Vocula autem *clam* tam est necessaria, ut equidem vel de coniectura eam addidissem, ni in codicibus reperissem. Orator enim posteaquam Sex. Roscium omnia sua Chrysogono praeter animam tradidisse dixit, illud unum potuit restare, ut

libertinus ille eumdem clam sibi monumenti caussa reservasse quidpiam opinaretur. Quod ne sibi persuaderet Chrysogonus, consulto prioribus, ut rem plane conficeret; haec adiecit orator, ne clam quidem eumdem sibi quidquam reservasse. Qui *clam* abesse iubebit, idem Ciceronem ieiune balbutisse nobis concedet. Praeterea hanc notato librorum discrepantiam; in quattuor codd. *quidem* desideratur, legitur *caussa*, in duobus Pall. *quidem* exaratum est, omissa vocula *caussa*. Fortasse ab oratore haec profecta sunt: *nec sibi quidquam paternum nec monumenti caussa clam reservavit; nec mon.* i. e. ne monum. quidem. cf. not. ad §. 130.

§. 147. *hunc et ali et vestiri a Caecilia*] Fortasse vera est codd. Oxonn. quinque scriptura *nunc* pro *hunc*. cf. Not. ad. §. 59. Quae post *Caecilia* in exemplaribus ex codd. addi solent *Balearici filia*, *Nepotis sorore*, ea expunximus. cf. not. ad §. 27. —

§. 147. *quanto honore ipsa* etc.] Fortasse legendum *quantocumque honore*; et infra mox legendum fortasse *quod summa Respubl.* seu *summa res* simpliciter. *Lambin.* Non bene ista sibi pro facilitate Ciceronis respondent, etsi sensus bene constat. Constarent sibi, si pro *quanto honore* esset *quum tanto honore*. Et interdum verba in libris veteribus sic coaluerunt. *Ernest.* *Quanto* videtur alienum. Igitur vel puto pro *quanto* legendum *quando* (i. e. *quum*, *quia)* vel *quantocumque;* nisi forte *quanto* pro *quantocumque* capiatur, ut *quo modo* pro *quocumque modo*. Cic. ad Div. V, 20. init. *quo modo potuissem*, *te convenissem* etc. Forsan tamen melius foret legere *quando*. Ita *Scheller*. Observatt. p. 46. Verum tamen nihil est mutandum: *quanto* enim pro *quantocumque* accipiendum est. —

Cap. LI. §. 148. *quod summa respublica*] Lambini margo et Gruter. editio *summa respublica;* si est ex MSS. valde laudo. Nam sic saepe Cicero loquitur; aliique I. ad Attic. 12. *Rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica*, hoc est, de re, in qua maxime versatur salus totius rei publicae. Multis de hoc loquendi genere vir summus J. F. Gronovius egit in notis ad Liv. XXVI, c. 9. Sane in vetustissima editione, quam saepe laudavi, et Francii primo legitur

quod summa reipublicae in huius honore tentatur. Graev. Ed. 1480. diserte *summa respublica Garaton.*

Cap. LII. §. 150. *Crudelitate sanguinis perlitus*] Non ferunt aures meae in Cicerone *crudelitate sanguinis perlini*, nec hoc ulli alii condonaremus, qui sermonis elegantiae spretor non esset. Legendum *crudelitati sanguine perlitarit.* Quod elegantissime exprimit crudelitatem hominis Crudelitati quasi deae sacra facientis eique perlitantis sive καλλιεροῦντος sanguine Roscii, quem spoliaverat, hoc est, explentis crudelitatem, ut avaritiam iam expleverat. *Clericus* Art. Crit. III, 1, 8. Ingeniosa quidem coniectura et commoda, non tamen necessaria. Quid est enim crudelitas sanguinis? Omnino sanguis per crudelitatem effusus. Amat eas commutationes vocum Cicero atque hac arte novitatem suae orationi admirabilitatemque conciliat. Vel in hac ipsa oratione multa ferre non possent, qui aures habent tantum grammaticas. Cap. 2. *pecuniam tam plenam.* cap. 5. *quotidiano sanguine.* cap. 10. *quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent.* Quin est in hoc significandi vis maior et quaedam colorandi efficacia, quam philosophi non norunt, sed boni oratores habent, quemadmodum poetae. *Olivetus.* Ed. 1480. *praeditus* sicque aliae; quod est tam nihili, ut, qui tueatur, nemo, nisi homo nihili, esse possit. *Garaton.* En! grave dictum, quod sane deterreat ab inquirendo veritatis studiosos. At neque Olivetus neque Garatonius videntur perspexisse, quid sit illud, quod revera Clericus reprehenderit. Quid enim? Clericum tam hebetem fuisse num credibile est, ut non intellexerit, dicta haec esse pro *perlitus sanguine crudelissime effuso?* Est profecto in his verbis, quod summam possit creare difficultatem; quam persuasum mihi est removere voluisse Clericum. Dico enim verbum *perlitus*, quod apud bonae notae scriptores non videtur inveniri usquam. Laudant Plaut. Cas. II, 3. v. 23. *Senecta aetate unguentis perlitus ignave incedis.* Verum tamen edd. vett. *unguentatus ignave inc.* Neque videtur *perlini* investigari posse usquam, nisi apud serioris aevi auctores. cf. Apulei. Met. III, p. 138. Elmenh. Colum. VII, 5. — Deinde librorum ponderato discrepantiam, quorum plurimi exhibent *praeditus;* et fate-

bere, scripturam *perlitus* in summum iam vocari discrimen. Verum tamen non sum dubius, quin retineam eam scripturam, quum plurima, id quod iam dudum vidimus, in hac reperiantur oratione, quae ab usitata loquendi consuetudine recedant. Cf. not. ad §. 66. Vide praeterea Steinm.

§. 150. *eadem*, *quae reip.*] Ed. Veneta exhibet *eademque*, sensu eodem, sed mea sententia etiam melius. *Garat.* Recte. Vide §. 152. —

§. 150. ***Quae hoc tempore in re publica versata est***] In libro manuscripto pro *versata* scriptum est *grassata*, quae scriptura vehementer mihi placet. *F. Ursin.* Pall. et Franc. *in rem publicam*, quae videntur Fulviani libri scripturam firmare. *Graev.* Jannoctii codex *in remp. crassata* est. Solemnis huius verbi scriptura per *c* librariis fuit. Consule Drakenborch. ad Liv. II, 12.; copiam exemplorum invenies, simulque ex Festo doceberis, legendum esse *grassatus*, *grassari* etc. Quin autem Tullius scripserit *in rem publicam grassata est*, vix tandem dubium esse potest. Sic Liv. VI, c. 5. *Nobiles homines in possessionem agri publici grassari*, ubi eumdem Vir. Cl. vide. Hinc est, quod acutissimus Graevius, cum in duobus MSis *in remp.* scriptum invenerit, ut etiam Ven. habet editio, favere id Ursini codici existimaverit. Sic enim construi sciebat *grassor*, non autem *versor*. Quamquam de verbo *versor* id sine ulla exceptione affirmari non facile potest, ut vidimus ad Orat. pro Quint. c. 30; sed plerumque ita est; ut contra *grassor* aliquando ablativum habuit comitem. Justin. XXXVII, 6. *Neque in se uno*, *sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos* recondito dicendi modo, quem ibi J. Fr. Gronovius illustrat. Sed nihil opus est talia huc revocare; satis firma iam nostra lectio est, quam illud etiam inventam tueri potest, quod proxime sequatur *in hac tanta immanitate versari;* neque enim suaderet, ut eam adduceremus. *Garaton.* Mirum sane iudicium, quod de hoc loco fecerunt viri docti, genuinam oratoris manum *grassàta est* corruptam esse contendentes propter sequentia *in hac tanta immanitate versari;* vid. Beck. ad. h. l. Immo vel sic statuendum erat, veram scripturam *versata est* ab librario



aliquo propter sequentia in *grassata est* commutatam esse. Neque magis comprobanda Garatonii et Matthiaei sententia, propter verba *in hac tanta imm. vers.* veram non videri structuram nostram *in r. versata est.* Quid multa? Ex plurimis codd. equidem repono haec: *in rem publicam versata est.* Quae structura quum librariis nova esse videretur et inusitata, optime sibi visi sunt locum emendasse hac coniectura *grassata est*, praesertim quum sequeretur *in hac t. i. versari;* unde veri sane videbatur simile, Ciceronem eadem loquutione in prioribus non esse usum. Receptam ingens exemplorum consimilium tuebitur acervus, quem Gronovius aliique ad Liv. II, c. 14. congesserunt. cf. Passerat. ad Orat. pro Quint. c. 5. §. 22. — Ibid. c. 30. §. 92. codd. nonn. et edd. vett. *nunc in discrimen versatur;* at vid. Garat. —

§. 152. *Num quid aliud videtis obstare*] Sic quoque codex Francii, quum *hic*, quod est in editis, in quibus legitur *num quid hic aliud*, nullam hic vim habeat. Mox in eodem rectius scribitur: *quod si vos id suscipitis et ad eamdem rem operam vestram profiteamini.* Appositum tamen erat *ad* ab alia manu, sed antiqua. *Eamdem rem* est etiam in Palatinis plerisque. Hinc ferme, ut edidimus, coniecerat Guilielmius edendum esse. *Graev.* Gruteriani codices, ut et nostri, habent aut *eadem re* aut *eamdem rem*, unde Guilielmius faciebat *eam ad rem. Lallemand.* Et Ven. *eadem in re*, quae Naugerii etiam et vulgata denique lectio est, nec sane damnanda; quamobrem Graevio in hac, quae satis antiqua videtur, varietate lubens accedo, quocum facit ipse Tullius in Rull. cap. ult. *Si vos vestrum mihi studium P. C. ad communem dignitatem defendendam profitemini. Garaton.* Nos optimam Steinmetzii scripturam *eam in rem* recepimus; nam priori *id* melius *eam* quam *eamdem* respondet.

Cap. LIII. §. 153. *atque ad infantium*] Sic dedimus ex codd. quinque Oxonn. et ed. Venet. 1480. Vid. Not. ad §. 32. —

CORRIGENDA.

Pag. 3 lin. 7 ab in. leg. *afferret* pro *afferet*.
- 4 lin. 3 a fin. leg. *iudicorum* pro *ind.*
- 7 init. leg. *Argumentum Veteris Schol.* pro *Veteris Schol.*
- 8 init. leg. *Argumentum Veteris Schol.* pro *Argumentum.*
- 16 l. 15 ab in. leg. *fieri* pro *sieri.*
- 26 l. 1 ab in. comma post *aliquantulum* pon.
ib. l. 14 ab in. leg. *expulsum* pro *expulsum.*
- 73 l. 2 a fin. delenda: Scr. *ut hoc iudicium ne de illorum pr.*
- 82 l. 7 ab in. leg. *eius scelus* pro *eiusce vis.*
- 85 l. 12 a fin. leg. *Puteani* pro *Pateani.*
- 92 l. 3 ab in. comma post *fidem* pon.
- 111 l. 8 ab in. leg. *Messala* pro *Massalla.*
- 117 l. 5 a fin. leg. *incipit* pro incipit.
- 118 l. 11 ab in. leg. *quia* pro *qui.*
- 125 l. 3 ab in. leg. *eum* pro *enm.*
- 142 l. 22 ab in. leg. *efficiat* pro *officiat.*
- 143 l. 24 ab in. comma post *demum* del.
- 153 l. 4 a fin. leg. benevolentia pro *benevolentia.*
- 161 l. 8 ab in. leg. *Verr.* pro *Vers.*
- 175 l. 5 a fin. leg. *Oxon.* χ pro *Oxon. X.*
- 177 l. 15 ab in. leg. *tulissent* pro *tulerint.*
- 178 l. 17 ab in. leg. *Ox.* χ pro *Oxon. X.*
- 179 l. 7 ab in. punctum post *clariss* pon. — ibid. l. 14 leg. *Boëmor.* pro *Boem.* — ibid. l. 6 a fin. leg. *traiicerent* pro *traiicerunt.*
- 184 l. 2 ab in. leg. *obiicienda; deinde* pro *obiicienda. Deinde.*
- 194 l. 2 a fin. leg. *habeto* pro *habet.*
- 210 l. 15 a fin. leg. *voluerint* pro *valuerint.*
ib. l. 4 a fin. leg. *sese* pro *sere.*
ib. l. 2 a fin. leg. *prioribus* pro *priscibus.*
- 212 l. 19 a fin. leg. *vidisset* pro *viderit.*
- 215 l. 3 ab in. leg. *qua* pro *quam.*
- 238 l. 16 ab in. leg. *Etenim* pro *Et enim.*
- 240 l. 8 ab in. leg. *gallo* pro *galla.*
- 243 l. 1 a fin. leg. *quum* pro *quam.*
- 244 l. 4 a fin. leg. *negligi* pro *nigligi.*

Pag. 246 l. 18 a fin. leg. *illud Metellum*, pro *illudne*.
- 249 l. 9 a fin. comma post *docto* del.
- 261 l. 5 ab in. leg. *refutavit* pro *refutavit*.
- 263 l. 1 ab in. leg. *adduxerunt?* pro *adduxerint?*
- 268 l. 2 ab in. leg. *in* pro *ni*.
- 271 l. 17 ab in. leg. *est* pro *esset*.
- 280 l. 7 a fin. leg. *omisso* pro *omisseo*.
- 285 l. 8 a fin. post *nuntiavit* punctum del.
- 301 l. 10 a fin. leg. *lectionem* pro *lectionem*.
- 310 l. 13 a fin. leg. *mandati* pro *manda*.
- 321 l. 18 ab in. leg. *Σικελίᾳ* pro *—λία*.
  ib. l. 19 ab in. leg. *ἐτεθνήκεισαν* pro *ἐτεθνήσκεσαν*.

